


*[Faint, illegible handwritten text or scribbles]*

Co. Collegio della Compagnia degli studij - Bol  
N. 1564




ANTIDOTA  
EVANGELICA  
contra horum tem-  
porum hæreses.

*In quibus  
Quatuor Euangeliorum illi textus  
explicantur, quibus vel hæretici  
hodie (maximè Calanus et Beza)  
ad sua dogmata propugnanda vii  
solent, vel ad hæreticorum dogmata  
impugnanda Catholici vii possunt.*

AVTHORE  
THOMA STAPLETONO ANGLO,  
S. Theolog. Doctore, et S.  
Scripturarum in Academia  
Louaniensi professore Regio.

ANTVERPIAE  
Apud Ioannem Keerbergium.  
Anno M. D. XCV.



AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMOQUE  
VIRO, D. CHRISTOPHORO DAS-  
SON-VILLIO, CONCILII SECRETI ET  
STATVS REG. CATH. MAIEST.  
IN BELGIO SENATORI  
PRUDENTISSIMO.

**S**CITVM illud & perele-  
gans (Amplissime Do-  
mine) nobilissimi & in-  
tegerrimi Senatoris Qu-  
Catuli responsum perhi-  
betur, qui cum in Senatu Romano  
Philippum quendam corruptissimum  
iudicem multis & gravissimis verbis  
increpasset, exclamante tandem Philip-  
po, *Quid latras Catule?* appositè respon-  
dit: *Quia video furem.* Quod eius respon-  
sum, si quis fortè exclamet orthodoxæ  
& sacrosanctæ fidei nostræ corruptor  
† 2 pesti-

EPISTOLA

pestilens, dum vt iam pridem ante annos multos contra nostri temporis corruptissimos hæreticos varia in lucem dedi monumenta, ita nunc aduersus eosdē alia procudere nō desino; vocifereturque, *Quid adeò hic vsque latrat Stapletonus? vsurpare me oportet, ac dicere, Quia video fures. Quia video homines, qui non intrates per ostium, sed ascendentes aliunde in ouile Christi, fures ac latrones sunt, mactant & perdunt gregem Dominicum. Quia video & dolens video innumeros pseudopphetas, robustos animarum predones, qui (vt Propheta tales describit) furantur verba Dei vnusquisque à proximo suo. Clamant apud vnumquemque: Hæc dicit Dominus Verbum Domini, Verbum Domini. Interim non Dei verbum, sed sua somnia narrant: sua commenta obtrudunt: sua nefaria venena propinant: suas Diuini Verbi corruptelas pro Dei verbo venditant. Quia denique video in agro Dominico*  
*grassari,*

Isaia. 10.

Jerem. 23.

DEDICATORIA.

grassari, rapere, prædari, qui eius agri nec possessores, nec coloni, nec inquilini sunt; sed ab omni eius possessione, cultura, tractatione summo & clarissimo iure alieni, abdicati, extorres haberi debent. Cōtra quos antiquissimi Tertulliani verbis ita latrare cogor: *Homines non Christiani, sed sectarij & hæretici, Christianarum literarum ius nullum capitis. Qui estis? quando & vnde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo iure, Marcion, siluam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transfuertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoues? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo. Quid hîc ceteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? Eadem prorsus voce ad nouos hodie agri Domini inuales, Diuinarum Scripturarum corruptores, Lutherū, Cinglium, Caluinium, exclamare nos licet. Prædonum & latronum more Christianas literas, quū Christiani non sint, nec eorum nomine iuxta Christianorum Im-*  
*perato-*

De præscript. hg. ret. c. 37.

EPISTOLA

Lib. 6.  
cap. de  
hæres.

peratorum leges vti debeant, inuadunt; filuam Dominicam cædunt; fontes Diuinos transfuerunt; limites sacros commouent. Vident haud dubiè hanc prædatoriam hæreticorum hodie licentiam alij quàm plurimi. Vident, deplorant, tacent. Sed ego ad huius agri ac vineæ Dominicæ veluti custodiam positus, Diuinarum Scripturarû in Cathedra Academica professor & pertractator constitutus, sic vidi & ingemui, vt tacere nequeam, inò nec debeam; Propheticum illud meritò reformidans: *Omnes bestiaæ agri venite ad deuorandum, vniuersa bestiaæ saltus.* Sed quare? Causa subiicitur: *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti, non valentes latrare.* Venerunt certè ad deuorandum, irruerunt ad prædandum multæ bestiaæ agri, multæ bestiaæ saltus, lupi rapaces, fera indomitæ, pecora campi; homines ad seducendas animas attentissimi, vigilantes, feroces; homines Ecclesiasticæ vnitatis, obedientiæ,

&

DEDICATORIA.

& disciplinæ, nec vinculû, nec iugum, nec normam sustinentes; homines animales, carni & ventri placencia loquentes: denique, vt Apostolus eos describit, *homines seipfos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei:* Tales bestiaæ agri venerunt: sed quia sub specie & in vestimentis ouium, Apostolus addit; *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes:* Diuinas quidem Scripturas crepantes, Verbum Dei in ore habentes, Euangelium resonantes, sed Diuinarû Scripturarû, Verbi Dei, & Euangelij virtutem abnegantes, vim ac sensum genuinû inuertentes, dolo & astutia adulterantes, ad absurdissima quæque placita stabilienda obtorto collo pertrahentes, inò, vt præsentibus subseruiat hæresibus, eculeo subiicientes.

† 4 Porro

## EPISTOLA

Porro tales bestiae agri eo numerosius confluerunt, eo audacius in singula pertruperunt, eo plenius omnia deuorauerunt, in vniuersam penè Scripturam Diuinam pestilentibus editis commentarijs, & in varias Christiani orbis partes transfusis; quo haecenus pauciores extiterunt canes latrantes (penè dixeram nulli) qui huiusmodi bestias hunc in modum grassantes inuaderent, qui sacri textus pudendas & infames corruptelas ab illis editas refutare, qui Diuinissima Christi redemptoris verba, Euangelica & Apostolica scripta, in fauorem praesentium haeresum indignissime violata, deprauata, inuersa, toxico denique haeretico vitiata, suae integritati ac puritati restituere, in animum induxerunt. Quo factum est, ut in huius celeberrimae Scholae specula constitutus, & ad Diuinarum Scripturarum interpretationem vocatus, contra fures ac latrones istos, Diuinique Verbi intoxicatores, altissima voce latrare, à grege Catholi-

## DEDICATORIA.

co omnibus viribus (quantas mihi Deus dabit) eos abarcere, pestiferas eorum corruptelas iusta refutatione ( quantum in me erit ) profligare, singula denique eorum venena saluberrimis sacrae paginae verbis inspersa, singulis appositis antidotis, abstergere, abluere, persanare, Deo propitio, decreuerim: idque per vniuersum ( ut minimè ) noui Testamenti instrumentum.

Quam diu stat in acie hostis, imò rapinas ac praedas agit; qui in aduersum mittuntur belli duces complicatis manibus quiescere non debent. Totis se viribus opponunt, ac vim vi repellunt. Stat adhaec in acie haereticus hostis, Cathedras occupat, commentarios scriptitat; Diuinas Scripturas tam verbo quam permanente littera contaminat, lacerat, ludibrio exponit. Ego Diuinis Scripturis exponendis, elucidandis, ab omni corruptela vindicandis praefectus, tacere debui? Nec debui, nec potui. Volumè istud totius noui Instrumenti ve-

## EPISTOLA

Iob 4.

luti à Deo mihi in hac vocatione por-  
rectum comedi, deuorauì, percurri; &  
uiscera mea completa sunt illo. *Con-*  
*ceptum sermonem tenere quis poterit?*  
Vilas, compertas, palpatas Diuini Verbi  
horrendas & indignissimas corruptelas,  
tacere, dissimulare, intactas relinquere,  
quí potui? Sanè vni Caluino, qui veluti  
singularis ferus depastus est hãc vineam  
Domini, & in vniuersum nouũ Testa-  
mentũ scriptis commentarijs maximas  
animarũ prædas egit, (cõtra quem pro-  
pterea nostra maximè dirigitur inten-  
tio) hoc vnicè in scribèdo propositum  
1. fuit, quicquid pro Catholicæ religionis  
dogmatibus facit, diligenter conuellere;  
2. quicquid ad noua ipsius dogmata stabi-  
lienda quoquo modo facere videri pos-  
sit, sedulò annotare, premere, explicare;  
3. quicquid denique ad Papam, ad Episco-  
pos, ad Monachos, ad clerũ vniuersum  
taxandos, traducendos, in odiũ pertra-  
hendos aliquo tandè colore per fas ne-  
fasque applicari, trahi, contorqueri po-  
tuit,

## DEDICATORIA.

tuit, illud diligentissimè vrgere, inculca-  
re, amplificare. Ego, fauente Christo,  
huius Belluæ vestigijs sedulò insisto,  
singula accuratè perscrutor, inuestigo,  
persequor; nec quicquam ab hoste  
maleuolo, oculato, astuto, in fidei  
orthodoxæ præiudicium prolatum,  
tentatum, tractatum prætermitto.

Huius ergo ardui & prolixi operis  
primas lineas, & laboris in hoc genere  
nostri primitias, in quatuor videlicet  
Euangelia de vita & doctrina Christi  
Redèptoris nostri, cuius prima semina  
in Cathedra Theologica Reg. Cath.  
Maiest. iacta sunt, Amplit. tuè (Amplif-  
sime Consultissimeque Domine) di-  
catas volui, cuius in primis operã, com-  
mendatione, & studio, (collaborante  
sibi in hac parte piè ac celebris memo-  
riæ viro D. Gulielmo Pamelio, Conci-  
lij priuati Regij in hoc Belgio sapien-  
tissimo & integerimo Præside) ad  
hanc professionem Regiam euocatus  
& euectus fui. Ne penitus eius facti pe-  
niteat

EPISTOLA

niteat Amplitud. tuâ, primos huius professionis nostræ fructus in publicû datos, sub tuo clarissimo nomine comparere volui: vt si quid in illis sit quod vel ad Dei gloriam, vel ad orthodoxæ fidei nostræ luculentiorẽ defensionem, vel ad publicam studiosorû utilitatem faciat, id totum permagna ex parte Amplitud. tuę beneuolę de nobis existimationi acceptum Lectores ferant. Taceo alia erga me deinceps cumulata beneficia, amoris cõstantiam, in conditione mea ornanda & augenda singularem diligentiam, in causis à me commendatis fauorem ac propensionem semper eximiam. Et quidem recentibus beneficijs gratiam non habere, stupidi & ingrati est: Vbi illis positus fueris, ea sine honore præterire, etiam astuti. Vtramque hanc notam vt effugerem, quę prima se obtulit tam animi grati testimoniũ quàm aliquam honoris speciem deferendi occasio, ea vt mihi elaberetur, committere nolui.

Porro

DEDICATORIA.

Porro erga Reg. Cath. Maieft. ea semper optimi Senatoris fides, in dubijs temporibus constantia, in aduersis ferendis animi fortitudo, in malis superandis prudentia, in Amplit. V. persona ita semper eluxit, ita toti Belgio ab annis quàm plurimis innotuit: vt ab omnibus suæ Maieft. deuotis ac Belgicæ incolumitatis studiosis Amplitud. V. meritò diligatur, magnoq; in honore habeatur. Taceo frequentes & amplissimas legationes, quibus apud exteras quoque nationes tam vltra Oceanũ quàm trans Rhenum nominis vestri celebritas inclaruit. Sanè hæc Academia Louanienfis Amplitud. vestræ admirabilem propensionẽ, beneuolentiam, studium toties & tam insigniter experta est, ita in omni politici literaturæ eadem excusa est, ita demum pietate in Deum, charitate in proximum flagrat, vt nemo Academicus, literatus, pius, eam vicissim singulari non debeat tum amore complecti, tum



EPISTOLA

tum honore prosequi. Sunt hæc & alia permulta quæ nec dicere est opus, nec à me sic dici possunt quemadmodum dici debent, quibus meritò permotus ac stimulatus, Amplitudini V. hoc opus nostrum Evangelicum donare volui, opus, ut spero, orthodoxis lectoribus non inutile, certè ad hæreticorum perfidiam patefaciendâ necessarium. Quod & eo gratius Amplitudini V. futurum non dubito, quo auitæ, orthodoxæ, Catholicæ & Apostolicæ fidei tenacissimâ eam esse certius cognosco. Quamquam & quod ab eo quem amas proficiscitur, aliquâ apud te gratiam reportabit. Tua enim prudentia, tua pietas illa est, ut Tros Rutulusque illi nullo discrimine habeatur: nec ideo minus gratum munus sit quod ab homine Anglo prodeat, quando eo videatur acceptius, quo pauciores illa nunc gens habet orthodoxæ fidei cultores, ne dicam defensores. Accipe igitur, vir Amplissime, & animo grato complectere quale-


DEDICATORIA.

qualecumque istud animi grati, obsequij debiti, obseruantia & officij nostri testimonium, & futurum apud posteros diuturnum, ut spero, monimentum. Ut diu ac feliciter huic Belgio uiuat ac floreat Ampl. V. Deum precor & precabor. Vale.

Louanij, Cal. Febr. 1595.

Amplissimæ Dom. tuæ  
humilis seruitor

*Thomas Stapletonus.*



AVGVSTINVS TRACTAT.

XVIII. IN IOANNEM.

**N**ON aliunde natae sunt haereses,  
& quaedam dogmata perversitatis  
illaqueantia animas, & in profundum  
precipitantia, nisi dum Scripturae bonae  
intelliguntur non bene; & quod in eis  
non bene intelligitur, etiam temere &  
audacter asseritur.



**S**CIAT Lector, quae in Promptuario  
Catholico contra haereticos disputa-  
tantur, in istis Antidotis non repeti-  
t, exceptis plarisque locis in parte  
Quadragesimali eiusdem Prom-  
ptuarij pertractatis.



PRAEFATIO  
AD LECTOREM.



**Q**VVM ante annos quatuor ex Operis  
Academia Duacena ad hanc huius oc-  
Louaniensem euocatus, Sacra- casto.  
rum Scripturarum profesio-  
nem Regiam suscepissem, nihil  
prius aut antiquius habui, quam  
vt in eo munere fidelem operam ad Dei gloriam  
& auditorum vtilitatem nauarem. Illud autem  
me consecuturum existi mai, si diuinæ Scriptu-  
rae & sensum literalem ac genuinum, & vsum his  
maximè temporibus accommodatū Auditoribus  
traderem. Et sensum quidem literæ breuissi-  
mis quasi glossulis paraphrasticè explicatum de-  
di. Vsum verò his temporibus maximè accom-  
modatum in eo consistere arbitratus sum, vt ea  
loca imprimis annotarem, excuterem, & pertra-  
ctarem, quae vel contra horum temporum hae-  
reses facere possunt, vel ab horum temporum  
haereticis contra veritatem orthodoxam profer-  
ri solent. Ijs igitur quae ad mores vel quae ad  
dogmata non controuersa attinebant, leui br-  
achio tactis, ea maximè curiosus loca tractan-  
da suscepi, quae noua & controuersa huius tem-  
poris dogmata propriè concernebant. Quo in  
genere cum pertinaci studio insisterem, & toto  
\* penè



penè nouo Instrumento hoc quadriennio decurso, locorū farraginem opinione maiorem collectam cernerem, cogitare cœpi an is labor talis esset, vt in publicum quoque prodesse posset. Sed huic cogitationi meæ vnum in primis obstabat, quòd annotationes nostræ breuissimæ essent, sic auditoribus accommodata, vt totius textus explicatio commòdo tempore absolueretur. Ista quippe dictandi breuitas multa prætermittere cogebat, quæ vel ad refellendas hæreticorum corruptelas, vel ad explicationes nostras confirmandas à varijs lectoribus meritò desiderentur. Fuerunt igitur non solum relegenda omnia, sed & pleraque vberius explicanda, ac de nouo describenda. Qui sanè labor nouus in quotidiana hac professione mea, & aliorum in dies locorum annotatione quotidiana, non mediocriter me à proposito deterruit. Multiplex tamen quæ statim mihi ablandiebatur laboris huius vtilitas, in id quod honestius erat, facillimè pertraxit. Imò attentius ista & accuratius cogitanti, quædam necessitas animo sese offerebat meo, quæ ad hunc laborem propensa calcar adderet.

Operis  
huius  
cessitas.

Quæ enim alia fundi nostri calamitas, quæ alia tot hodie grassantium hæresum causa, quam quia diuinis Scripturis ad suum placitum hæretici abutuntur? Homines importuni, superbi, sibi placentes, ex sola Scriptura, Conciliorum, Patrum, totius Ecclesiæ reiecto iudicio, omnem de fide controuersiam terminari volunt. Hanc Scripturam non ex sensu Ecclesiæ, non ex iudicio doctissimorum Patrum, qui hæctenus diuinis Scripturas maxima cum laude pertractarunt, sed ex suo

ex suo sensu suoque iudicio interpretantur. In hac interpretatione ad dogmata sua confirmanda Dei verbum indignissimè contorquent. In hac interpretatione loca omnia quæ fidem orthodoxam quocumque modo vel illustrât, vel confirmant, omni studio inuertunt, & nobis eripere contendunt. In hac denique interpretatione, sententias orthodoxas, personas Ecclesiasticas, ceremonias, & quicquid vel ad fidem, vel ad cultum, vel ad politiam Ecclesiæ Catholicæ quoquo modo spectat, quauis data occasione arrodunt, taxant, traducunt, ludibrio exponunt. In hanc Scripturarum interpretationem, seu deprauationem potius, tanto studio, tanto conatu, tanto impetu incubuerunt, vt à paucis retrò annis varij & laboriosj hæreticorum in diuinis Scripturas commentarij, id est, variæ & fixissimæ corruptelæ in lucem prodierint. Ex quibus sanè omnibus ad nouum Testamentum quod attinet vniuersum, vnâ catheram, seu, vt eam vocat, Ecclesiasticam & Catholicam expositionem collegit Augustinus Marloratus. Ex istis hæreticorum commentarijs, Ministris eorum prædicandi, rixandi, debacchandi, populum simplicem & ignarum sub specie verbi Dei potenter seducendi, materia copiosa suppeditatur. Ex istis commentarijs, scriptoribus hæreticis disputationum omnium firmamenta ad manum præstò sunt. Sensum quippe in scribendo pro vero & indubitato ponunt, quem in commentarijs vel suorum vel suis legitimè probatum supponunt. Ex istis denique commentarijs, omnibus hodie hæreticis tela & arma subministrantur, quibus Ecclesiam Catholicam & fidem orthodoxam hostiliter ac certatim

10. *tatim impugnent.* Catholicis qui horum commentarios non legunt, nec fraudulentis eorum corruptelas refutare, nec seductis validam opem afferre possunt. Sed & saepe contingit doctissimos alioqui controuersiarum tractatores minus dexterè minisque appositè hæreticorum argumenta è Scripturis petita soluere, eo quòd quibus technis ac fraudibus Scripturà deprauarint, & in sensum suum peruerterint, quibusque apparentibus ex causis eam deprauationem securus hæreticus fuerit, penitus ignorant. Ita ridet in sinu hæreticus, quum argumentum necdum penitus solui videt, stante adhuc integro & saluo
12. *Scripturæ, qua nititur, sensu.* Sed & populo seducto succurri non potest, stante ea persuasione, Scripturarum sensus, quos Ministri adferunt, verbo Dei conuenire. His omnibus malis aliquod remedium hoc nostro labore adferri posse quum cernerem, ad eum intrepidè capessendum facilè adductus fui.

Operis  
varia uti-  
litas.

Hæc quippe nostra explicatio, innumeras hæreticorum corruptelas patefaciet; verbi diuini verum ac legitimum sensum tuebitur; Catholicos veris & necessarijs præfidijs armabit; hæreticis sua, in quibus maximè confidunt, arma detrahet. Denique quum hæctenus veteres & orthodoxas interpretationes, Conciliorum sensa, Patrum iudicia, traditiones Ecclesiasticas, vel audacter despiciendo, vel arroganter impugnando, nostram veluti Romam impugnarint; ipsorum nunc nouellas & proprias diuinæ Scripturæ expositiones examini subiiciendo, excutiendo, refellendo, in ipsa eorum Carthagine eos aggrediemur: & an suâ defendere valeant, qui aliena

tam

tam diu & tam ferociter impugnarunt, periculum faciemus.

Cæterum quia omnes omnium commentarios excutere labor & immensus & inutilis foret, vel quia eadem plerique adferunt, vel quia minus noxia & leuioris momenti sunt quæ ab alijs proferuntur, vnus Caluini in totum nouum Testamentum commentarios, & Theodori Bezae in idem vnuerfam Annotationes, examinare, expurgare, refutare, (quantum præfens institutum postulat) fauente Christo decreui. Vnus Caluinus vt de illustratis à se Scripturis impotenter iactitat, sic præ cæteris omnibus ita in pretio habetur. De semetipso ita arroganter sensit, vt postquam Catholicos horum temporum Scri-

Cur Caluini im-  
primis  
commentarij im-  
pugnatus.

In Antid.  
Synod.  
Trident.  
in Præfat.  
& sess. 4.  
& sess.  
7. ad can.  
7. & 8.

Caluini  
iactantia  
de seipso.

In lib. de  
Isonibus.

tum exortum fuisse negare nunc debet, quod toties alibi aperte profiteretur. Sed mentem Caluini parentis sui oprime assecutus Theodorus Beza, sic in eius laudem per apotrophen exclamat. *Res ipsae, Caluine, testificantur selectissimum te fuisse Dei Opt. Max. organum, cuius ministerio perficeretur vera religionis instauratio aliquot ante annis ab alijs feliciter imchoata. Nam tu is es, cuius doctrina diligentia & indefatigabili zelo, Gallia quidem & Scotia restitutum apud se Christi regnum merito acceptum ferunt, &c. Testes harum rerum sunt nunquam intermoritura monumenta, quibus nihil in Sacris Literis explicandis neque iudiciosis, neque enucleatis, neque magnificentius à quoquam verbi diuini interpretate adhuc scriptum fuisse, verè pij doctique omnes agnoscunt.* Hæc de suo Caluino Beza, quem propterea quoties in annotationibus suis in nouum Testamentū citat, (citatur enim eum frequenter) toties eum tacito nomine, *Doctissimum interpretem*, per antonomasiam & excellentiam vocat: sicuti nos, quum Paulum dicere volumus, Apostolum sæpe dicimus. Sed & in præfatione in lib. Iosue, tanti suum Caluinum Beza facit, tanti eius scripta æstimat, vt sine næuis repurgata omnia defendat, vt præ his omnium antiquorum ac recentiorum Doctorum commentaria negligenda censent, vt sine his ad Sacrarum Literarū certam cognitionem neminem peruenire posse iudicet. In nostra Anglia vnum Caluinū secta illa Puritanorū, quæ nec hodie vsq; politicæ ac disciplinæ Ecclesiæ Anglicanæ subesse vult, tanti facit; vt Carterobirus, qui causam Puritanorū scriptis publicis defendit, ita alicubi scribat. \* *D. Caluinum recipimus & veneramur, vt nobilissimum Dei organum ad Ecclesiam expurgandam, planamque & sinceram diuinam*

In Epist.  
ad Rom.  
c. 1. vers.  
12. cap. 6.  
vers. 6. cap.  
8. v. 33.  
c. 9. v. 22.  
2. Cor. 9.  
vers. 4.  
Act 8. v.  
33. & 17.  
vers. 28. ad  
Heb. 4. v.  
12. & ali-  
bi passim.  
Claudius  
saintes in  
respons. ad  
Apolog.  
Bezæ.  
\* Lib. 1.  
pag. 32.

*vum Literarum interpretationem orbi restituendam à Deo suscitatum; cui ab Apostolorum tempore par non fuerit.* Vnde factum est, vt dicere Puritani non vereantur, ad eò Caluinum ac Bezam in Scripturis exponendis cæteros omnes antecelleve, vt reprehensioni mirus obnoxium sit veterum omnium expositiones rejicere, quàm Caluini ac Bezæ de sensu Scripturæ iudicium refugere. Alij ex illis rursum vnum Bezam noui Testamenti optimum esse interpretem scribunt. Sic apud nostros seductos Anglos Caluinus & Beza in Scripturis exponendis palmam ferunt. Quin idem sit Caluinistarum in Gallia, Germania, Scotia, & huius Belgij corrupta parte iudicium, dubitari non debet.

Praxis  
prælatorū  
cap. 20.  
pag. 378.

Defens.  
discipl.  
Eccles.  
pag. 412.

Sanè Augustinus Marloratus, qui ex tam multis nouis interpretibus, Bucero, Erasmo, Musculo, Melancthone, Sarcerio, Brentio, Bullingero, Zvinglio, Vito, Theodoro, atque ipso Caluino, suam, vt vocat, Catholicā & Ecclesiasticam 4. Euangeliorum expositionem confarcinavit, ex vno Caluino plura quàm ex cæteris omnibus collegit. Imò quum ex aliorum commentarijs quædam delibauerit, vnius Caluini commentarium penè integrum suæ cathenæ inseruit: & nihil ferè eorum quæ nos hic refutauius, prætermisit. Nam ego ipsis Caluini commentarijs vsus, plura & plenius, ex eo refutanda desumpsi, quàm ex eo confarcinavit Marloratus. Scripsit Caluinus post alios, post Bucerum, Melancthonem, Bullingerum, Erasnum, Musculum, Brentium, quorum omnium vel in disputando fœcordiā, vel in reprehendendo negligentiam, vel in fallendo imperitiam, homo vafer, acutus, diligens plurimum superauit. Ad omnem quippe reprehensionem

Caluini hensionem attentissimus, & in reprehendendo singularis acurissimus, nihil vsquam prætermittit, quod vel industria, ad Catholicam fidem infirmam trahi possit, & nocendi libido. vel ad fidei nostræ firmamenta conuellenda valeat, vel ad totam Catholicam Ecclesiam quoquo modo taxandam facere queat. Quod quum in vnus D. Ioannis Euangelio cumulatè sese præstitisse arbitratus esset, in eius commentarij ad suos Geneuenses præfatione ita gloriatur. *Certè Papatum nihil aliud quàm monstrum ex innumeris Satana fallacijs constat esse, & quam obtendunt Ecclesiam, Babylone in regis confusam, vnus hic commentarius erit (vt spero) luculentus testis.* Hic in suis commentarijs Caluino scopus fuit, quem qua diligentia & quanta impietate persecutus fuerit, hæc nostra Antidota demonstrabunt. Pari quippe diligentia vsus, nihil prorsus eorū prætermisi, quæ in Catholicæ Ecclesiæ & fidei præiudiciū, vel in harmonia triū Euangelistarum, vel in commentarijs super Ioannem venenatus iste serpens euomuit: singulisque toxicis sua apposui Antidota. Tanto porro accuratius hos commentarios in lucem Caluinus dedit, quanto ferius & in oppugnanda veritate orthodoxa magis iam excitatus. Nā post tractationem dogmatum, post Institutionem quam vocat Christianam, verè Antichristianam (ad quam Lectorem in commentarijs interdum remittit) sedque in vltima ferè ætate, eos edidit: vt non immeritò ab omnibus Caluinistis summo in precio hi commentarij habiti fuerint. Sanè præter accuratam Catholicorum dogmatum vel refutationem vel reprehensionem (quo nomine suis mirabiliter placet) vbi ea aut refutandi aut reprehendendi locus non est, ita in reliquis quo ad litteram

teram interpres diligens, ita moralis, ita elegans & sua uis est, vt hac varia esca proposita, & veluti in aureo poculo propinato veneno, etiā ab ipsis orthodoxis auidè interdū legatur; qui in dictione pura doctrinam vix cauent impuram: quos etiam aliquando exoptare audiui, vt resectis quæ contra Ecclesiam & fidem disputantur, castratus prodiret: sic enim commentarios eius perutiles fore. Qui tamen vehementer falluntur, quando Caluinus etiam in ijs quæ dogmata controuersa non concernunt, ex fastu quodam ac typho hæreticis proprio, Patrum & Veterum expositiones fastidians, novos semper & singulares sensus studiosissimè affectat; vel etiam inter varias interdum veterum interpretationes, deteriore frequenter amplectitur. Ex quibus fit, vt etiam in illis à vera & genuina sacri textus intelligentia penè semper aberret. Quod tamen errorum genus nos in hoc opere non persequimur, quorum hoc vnicum institutum est, vt quæ in hæresum huius temporis fauorem, & in orthodoxæ fidei graue præiudiciū celebris iste Archihæreticus, & sub blanda admodum facie serpens callidissimus euomuit venena, illa oppositis Antidotis è medio tollamus, ac, ne quid noceant, cura ac studio quo possumus efficiamus. Quo vtilior magisque necessarius hic labor noster videri poterit: qui non de sensu probabiliter vero aut falso contra Caluinum ac Beza decertamus, sed de eo sensu qui stante fide orthodoxa verus esse non potest, quatenus vel ipsam fidem orthodoxam aliqua ex parte impugnat, vel hæreticum dogma fidei orthodoxæ aduersum propugnat. Est quippe mihi negocium cum tortuoso serpente, qui

\* 5 mille

mille per meandros fraudesque flexuosas veritati insidiatur, & errori patrocinator: qui Scripturarum sensus non tantum inuertit, sed longas saepe disputationes contra fidem & Ecclesiam coëxit.

Operis  
varia vti-  
litas.

1. Hæc igitur est operis nostri varia utilitas. Orthodoxa doctrina circa omnes textus, qui pro illa faciunt, stabilitur; quando illos omnes magno studio inuertere nobisque eripere vnus Calvinus conatus est. Quæ textus Evangelici loca pro hæresibus modernis sonare videntur, ea pro veritate orthodoxa sonare & sentire ostendimus. Ita hæreticorum dogmatum neruos præscindimus, & præcipua firmamenta subuertimus. Diuina Christi & Euangelistarum verba, & loca plusquam trecenta, à varijs & foedissimis corruptelis vindicamus, & claro ac genuino sensui restitui-mus. Caluini variam technologiam, vafri-ciam, fallendi artes patefacimus; & imprimis summam hominis impietatem, audaciam, furorem in Christi Domini apertis verbis deprauidis & inuertendis studiose refutamus.

Vide in-  
dicem  
in verbo  
Caluini.

5. Nec quum Calvinum atque interdum Bezam refutamus, vnus tantum aut alterius hominis impietatem iugulamus; ne hic excipiant ceteri hæretici se ab vno Caluino aut Beza non pendere. Quæ enim à Caluino proferuntur, asseruntur, disputantur, omnium sunt hodie hæreticorum firmamenta communia, eademque validissima: vt erat ipse omnium vaferrimus, & acutissimus, & in hoc scriptio-nis genere nobilissimus. Sententiæ quas astruit, criminationes contra Ecclesiam quas facit, Scripturarum intelligentiæ quas tuetur, omnibus alijs hodie hæreticis, aut penè omnibus sunt communes: vt hic fortissimè valeat

valeat quod ille dixit: *Ex vno omnes.* Sed & aliquas hodie columnas, aliquos diuinæ legis interpretes habere debent hæretici, quos sequantur, quibus nitantur, postquam veterum Patrum expositiones despectui habent. Aut Calvinus ac Beza illi sunt, aut certè nullos alicuius nominis proferre possunt. Quod si nullos proferunt, nec proferre volunt; quid ergo in religione ac fide Christiana certum, fixum, ac stabile erit? Ecclesiam Catholicam eiusque lumina, Patres, Episcopos, Veteres, Cõcilia audire recusant. Solam Scripturam diuinam vnicam & perfectissimam esse cuiuslibet veritatis normam affirmant. Hanc Scripturam diuinam aut à certis interpretibus eruditione, pietate, atque authoritate præstantibus expositam & explicatam accipere debent; aut hoc vnum rotundè dicere, diuinæ Scripturæ quemlibet Christianum interpretem legitimum esse: vt hoc vno verbo omnes Scripturarum commentarios, omnem siue docendi, siue prædicandi Scripturas authoritatem, omnes Pastores, Doctores, Prophetas toto orbe Christiano exterminent: & inuito ac reluctante Paulo, imò in despectum Spiritus S. per Paulum loquentis, *omnes esse Prophetas, omnes esse Doctores*, dicant. In vno igitur Caluino ac Beza cæterorum primipilis, calliditate, eruditione, diligentia cæteros longè superatibus, reliqui vulgares Protestantium interpretes refutati meritò videri possunt. Certum est, quicquid alij in Scripturis ad noua placita decorquendis præstiterunt, id vnū Caluinum cumulatè præstitisse, multa quoque ab alijs vel prætermissa vel negligentius tractata mendaciorum cumulo adiecisse. Cui & postea succenturiatus Beza non pauca de suo

suo addidit : in Euangelijis quidem parcius, in Epistolis Apostolicis multo vberius: vbi varios Caluini defectus longis disputationibus suppleuit; de quo in alia ad Antidota Apostolica praefatione plura dicentur.

7. Docebit porro hic labor noster, Scripturarum iudicium, examen, sententiam, adeo nos non subterfugere (quod ineptè clamat aduersarij, quia Ecclesiae iudicium & auctoritatem studiose defendimus) vt diuinas Scripturas luculentissimè à nobis stare ex ipsa Scripturarum collatione & contextu euincatur. In istis quippe Antidotis nostris Euangelicis Patrum auctoritate aliter sentientium perrarò Caluinū premo, sed ex contextu sacro & firmis rationibus corruptelas eius impietate plenas plerumque demonstrō.

Tituli  
ratio.

Placuit autem totū hoc opus ANTIDOTA EVANGELICA nūcupare, quia contra haereticorū toxica & venena, quibus sacrosancta Euangelia sceleratissimè infecerūt, medelā depromit. Si qua autē loca prolixius explicantur, sciat Lector non verbosius sed diligentius esse pertractata; idq; vbi rei subiectae vel ipsa necessitas, vel magna vtilitas ita postulabat. Sanè eo libentius huic labori incubui, quia Catholicos hodie interpretes primarios ac diligentissimos deprauationes haec haereticas aut studio vitasse ac dissimulasse, aut certè parcissimè & rarissimè attingisse aduertit: contentiosam fortè hanc, permolestam, & alicubi necessariò prolixā disputationem exhorrentes. Sed varia, quam dixi, huiusmodi laboris (vt mihi saltem videbatur) vtilitas, vt in hanc palestram descenderè me mouit, commouit, perpulit: eorum videlicet memorem, quae de hęc-

de haereticis verissimè & eleganter scripsit B. Cyprianus. *Nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen Lib. de  
assumunt, sedentes in pestilentiae cathedra, pestes & lues vnitat.  
fidei, serpentis ore fallentes, corrumpendae veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis euomentes; quorum  
fermo vt cancer serpit, quorum tactus pectoribus & cordibus  
singulorum mortale virus infundit.* Hoc igitur mortale virus, hęc lethalia venena, vt salutifero medicamento curarè, & à pectoribus ac cordibus Christianis expellerem, hunc qualemcumque laborem suscipiendum dāxi.

Prodiit quidem ante annos aliquot super ista Euangelia locorum quorundam explicatio Catholica, authore Renato Benedicto, cui Panopliam Catholicam titulum dedit; sed vaniorem quàm veriorem; quum & pauca admodum loca attigerit, & eadem satis mediocri armatura propugnauerit. Cæterum vtinam maiori vanitate homo ille infeliciter Catholicus in Ecclesia Catholica non peccasset. Prodierunt quoque authore Feliciano Capitone Auinionensi Archiepiscopo, *Explicationes Catholicae* (sic habet titulus) *locorum ferè omnium veteris ac noui Testamenti quibus ad  
Colonie Anno 81.  
stabilendas haereses nostra tempestate abutuntur haeretici,* tribus tomis distinctae. Sed vbi illae primū prodierunt, adeo Catholicis parum satisauerunt, vt à me tunc controuersias Duni proficente doctissimi quidam viri per literas vehementer flagitarint, in nouum saltem Testamentū, aut aliquam eius praecipuam partem, parem vt operam nauare vellem. Quod vt eo tunc tempore praestare non potui, alia professione alijsque scribendis praepeditus; ita nunc ad ipsarum Scripturarum professionem, Deo sic volente, vocatus, auidè & studiose



PRAEFATIO AD LECTOREM.

studiosè præstare contendi. Sanè neuter eorum  
aut alius quispiam (quod sciam) ipsos hæretico-  
rum commentarios refutandos, & Literæ Sacræ  
corruptelas expurgâdas hæctenus suscepit. Pro-  
deunt ergo nunc, fauente Christo, Euangelica  
primùm Antidota. Subsequentur postea (eodem  
propitio) Apostolica; prout quotidiana mea pa-  
tietur professio. His interim, orthodoxe Lector,  
fruere: & si quam aut tuis studijs lucem,  
aut fidei consolationem attulimus;  
pro omni mercede, tuis apud  
Deum precibus interdum  
nos iuua. Vale.

Louanij, Cal. Octobris,  
Anno salutis 1594.



APPROBATIO.

**I**N his Euangeliorum Antidotis, di-  
sertè & solide deteguntur errores &  
fraudes Caluini, Bezae, & aliorum no-  
stri æui hæreticorum: in quibus etiam  
nihil esse testor quod sanæ & Catholi-  
cæ doctrinæ aduersetur.


*Henricus Cuyckius, D. Petri  
Louanij Decanus, & Pon-  
tificius ac Regius librorum  
Censor.*

## SVMMA PRIVILEGII.

**R**egie Catholice Maiestatis literis concessum est M. Thomæ Stapletono Anglo, S. Theolog. Doctori, & in Academia Louaniensi Professori Regio, vt Antidota Euangelica contra horum temporum hæreses ab ipso conscripta, cui velit iurato infra Belgium typographo tradat imprimenda ac distrabenda: alijsque etiam omnibus seu typographis seu bibliopolis infra Belgium interdicens ne dicta Antidota Euangelica absq; consensu eiusdem Thomæ Stapletoni vel imprimant, vel alibi impressa diuendant, vsq; ad sexennium à data earundem litterarum exactum, sub pœnis confiscationis librorū & trium Carolorū auri pro quolibet exemplari: quorū vna medietas fisco regio, altera dicto Authori cedet: vt in literis Regijs plenius continetur, datis Bruxellæ, septimo die mensis Iulij, anno 1594.

Signatis, Berty.

Author dictum priuilegium pro Anno 1595, concessit Ioanni Keerbergio, typographo Antwerp.



# ANTIDOTA

## EVANGELICA IN EVANGELIVM S. MATTHÆI.

### Proœmium.

**I**N diuinarum Scripturarum lectione duo potissimū quærenda sunt: Literæ sacræ sensus genuinus ac germanus: deinde earum vsus presenti temporis magis necessarius. Literæ sensum in publica prælectione nostræ solis auditoribus dedisse contenti, quæ ad earum presentē vsum potissimū facere duximus, ea nonnihil relecta ac limata ad publicā vtilitatē emittere (propitio Christo) statuimus. Quum enim horū temporū hæretici Euangelica & Apostolica doctrina ita fœdè abutantur, in eaque suæ causæ firmamenta ac fundamenta ita constituent, vt reiectis probatissimorum Patrum iudicijs, totaque ecclesiasticæ traditionis autoritate, ex solis Scripturis, maxime Euangelicis & Apostolicis, omnem de fide quæstionem terminari oportere, & terminare se posse affirmant, vnde & Euangelici propriè vocari volunt; Catholicos verò quasi Scripturarum aut ignaros aut contemptores tra-

A ducant.

ducant; propterea ad earum præsentem vsum id maxime spectare & è re fore iudicauimus si omnia loca Euangelica & Apostolica accuratissime annotata tractaremus, vel quæ contra præsentem hæreses valent plurimum, vel quibus ipsi hæretici ad hæreses suas confirmandas impiè & sacrilegè abuti solent. Longum, arduum, & molestum Opus. Sed aut dabit perficere qui dedit velle, aut Operi ipsi, quò illi placuerit, immoriemur. Atq; vt ab Euangelij exordiamur, primùm & ante omnia, de ipsa voce ac verbo Euangelij, quod à nobis Catholicis penitus ignorari vanissimè iactitant, & in quo pessimè intellecto, se ipsos & alios hæretici miserrimè deceperunt, pauca, per modum apparatus, delibabo.

### Quid sit Euangelium.

**E**VANGELIVM bonū ac lætū nuncium significare, omnibus in comperto est. Sed quod sit hoc nuncium bonum ac lætū, & in quo propriè consistat, aded liquidum & clarum non est. In hoc tamen conueniunt omnes, hoc bonū nuncium, quod Euangelium dicimus, in eo consistere, quòd Christum Redemptorem mundi, à tot retro seculis promissum & expectatū, nobis exhibeat. Ad vnum enim Christum refertur, quòd Euangelium ea quæ sub vmbriis & figuris latebant explicat. Per vnum Christū, quæ olim promissa erant, Euangelium exhibet. In vno Christo rerū diuinarum cognitionem absolutam, quæ quidem ad salutem necessaria est, Euangelium præstat. *Gratia enim & veritas per Iesum Christum facta est: & hæc est vita æterna, vt cognoscant omnes te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Sed de gratia & salute patribus

Euangelij  
tres partes

Ioan. 1.  
Ioan. 17.

patribus repromissa ac per Christum exhibita, vnica ferè hodie, quum de Euangelio loquimur, controuersia mouetur. Et vt huius re promissa salutis & gratiæ faustissima annuntia doctrina maxime propriè Euangelium, sic in eius explicatione peruersa se & alios hæreticorum temporum miserabiliter deceperunt. Eorum primò sententias proponemus: postea quòd orthodoxum & sanum est, subiiciemus.

Euangelium sic salutis & gratiæ nuncium est iuxta Flaccū Illyricum Lutheranū nobilem ac veteranum, vt per solam fidem in Christū, exclusa legis obedientia, salutem mortalibus annuntiet & conferat. Hæc eius verba sunt. *Lex & Euangelium per se suaque natura contraria sunt. Alterum enim non nisi dignis ac iustis salutem offert, alterum verò tantum indignissimis.* Hæc ille in Clauæ Scripturæ. Sic indignissimum & flagitiosissimū te esse oportet vt Euangelij beneficio gaudeas. Quam Caluini ac Beze sententiam esse suis locis docebimus. Rursum in eodem opere in tit. De varia operum prædicat. tract. 6. ait, quòd *clamante lege, Deus dabit vnicuique secundum opera sua, mox occurrit Euangelium & contra excipit, protestaturque inquit, Vera dicitur lex, salua tamen mea correctione & exceptione.* Denique iterū docet, legis promissiones esse conditionales, quæ plenissimam obedientiā flagitant, euangelicas verò promissiones esse sine conditione & gratuita, tract. 1. præallegato. Huius vestigijs in hiftes Martinus Chemnitius paulo clarius rem definit. *Lex (inquit) habet promissiones vitæ, sed sub conditione perfectæ impletionis. Euangelium verò docet, id quòd legi propter carnem nostram impossibile erat, Deum præstitisse misso filio: ad Rom. 8. vbi Paulus monstrat Christum factum pro nobis sub lege, vt obedientia & passione sua pro nobis*

A 2 iudicio

Lex &  
Euange-  
lium iux-  
ta Luth-  
ranos.  
Par. 2. tit.  
de reg.  
cognosc.  
Script.

iudicio Dei in lege patefacto satisfaceret. Atque ita Euangelium contritis & territis conscientijs annuntiat, offert & exponit gratiam Dei, reconciliationem, & remissionem peccatorum, gratis, propter meritum Christi fide apprehensum. Hæc ille in examine decretorū Concil. Trident. ad Sess. 4. quæ est de pœnitentia. Statuunt igitur isti Lutherani apertè & perspicuè totam Euangelij rationem in hoc vno, quod gratuitam peccatorum remissionem per Christum fide apprehensum nobis annuntiat, exclusa conditione obseruandæ legis.

Caluini-  
starum  
sententia  
de lege &  
Euange-  
lio.

Astutius & tectius Calvinistæ rem tractant. Theodorus Beza in confess. fidei cap. 4. num. 23. quatuor adfert discrimina legis & Euangelij, sed in tertio & quarto totum venenum suum effundit. *Lex (inquit) iubet vt in nobis queramus iustitiam quam describit, in perfecta mandatorum impletione positam; Euangelium indicat vbi hanc impletionem querere debeamus. Nam lex pronuntiat felices si plenè eam præsterimus, sed Euangelium salutem promittit si crediderimus, id est, si per fidem Christum apprehenderimus. Quare Euangelium habet adiunctam efficiaciam Spiritus S. quando creat in nobis fidem, vnicum illud instrumentum quo beneficium, oblatum apprehendatur. Vnde non est Euangelium nuda litera, sed est Spiritus id est, organum Spiritus Sancti potens & efficax ad ingenerandam fidem. Quum igitur lex querat in nobis quod præstare non possimus, Euangelium ius istud acerbissimum melle misericordiæ temperat, & Christum demonstrat qui totam legem vsque ad extremum quadrantem impleuit.* Hæc ille. Docet Euangelium in hoc consistere, vt nobis annuntiatum fidem ingeneret, qua Christum apprehendimus, & in illo omnem legis iustitiam ab ipso met vberimè impletam, nobisque imputatam, vt sic coram Deo iustificemur & salui simus. Sic enim lib. eodem cap. 3. num. 26. apertius

apertius docuit his verbis. *Deus Paternos non agnoscit pro suis nisi coopertos ac indutos Christi innocentia, sanctitate perfectæque iustitia. Voluit enim filium suam nostram naturam assumere, vt in eo inueniret modum pacandæ iustitiæ suæ; nobis videl. cum gratis impartiendo cum omnibus suis beneficijs, vt sua vnius bonitate ac misericordia, Christo per fidem apprehenso, salui simus.* Hæc ille. Porro eodem lib. cap. 7. num. 9. Catholicos accusat tanquam legis & Euangelij penitus ignaros, quia quum Euangelium idcirco patefactum sit mundo, vt in Christo per fidem appreheso gratis iustificemur, & sanctificemur, nos è contrario existimamus euangelicam doctrinam nihil aliud esse quàm legem quandam perfectiorem Moysaica, vt sic in nostra iustitia spem habeamus, & Dei promissiones irritas faciamus. Hoc totum ille. Calvinus in Euangelij summa definienda vafrius incedit. In harmonia sua super Euangelia, in ipso argumento totius operis, sic rem definit. *Euangelium est sollemnis promulgatio de filio Dei in carne exhibitio vt perditum mundum instauret, ac homines restituat ex morte in vitam.* Sed quæ sit hæc instauratio & qualis, distinctè & dilucidè nondemonstrat. In institutione sua lib. 2. cap. 9. num. 4. reprehendit omnem hanc Lutheranorū sui que Bezæ explicationem. *Hinc (inquit) conuincitur eorum error qui legem nunquam aliter Euangelio conferunt quàm operum merita gratuite imputationi iustitiæ. Idem tamè ipse aliter non confert, planèque ibidem affirmat, Paulum iustitiam legis & Euangelij facere inter se contrarias.* Hoc solum addit, *euangelicam gratiam Patribus quoque sub lege fuisse communem, sed à Christo dilucidius manifestatam: quod ab omnibus in confessio ponitur. Hanc tamen euangelicam gratiam in sola ponit remissione peccatorum per Christum, sicut Lutherani. Sic*

Caluinus  
Luthera-  
nos repre-  
hendit,  
quum id è  
doceat.

enim lib. eodem cap. 10. num. 4. scribit. *Euangelica predicatio nihil aliud quam paterna Dei indulgentia iustificari preter suum meritum peccatores pronuntiat.* Et rursum lib. 3. cap. 3. num. 19. *Quum totam, inquit, Euangelij summam breuiter complecti voluit Christus, dixit se oportuisse pati & resurgere a mortuis, predicari in nomine suo penitentiam, & remissionem peccatorum.* Remissio autem peccatorum predicatur quum doceantur homines Christum sibi factum esse Redemptorem, iustitiam, salutem, & vitam: cuius nomine gratis in Dei conspectu iusti habeantur & innocentes: & hæc gratia fide apprehenditur. Hæc ibi. Sed postea lib. 3. cap. 11. num. 16. totum suum venenum effundit. *Hic est (inquit) fidei sensus per quem peccator in possessionem venit suæ salutis, dum ex Euangelij doctrina agnoscit se Deo reconciliatum: quod intercedente Christi iustitia, impetrata peccatorum remissione iustificatus sit: & quamquam Spiritu Dei regeneratus, non in bonis operibus quibus incumbit, sed in sola Christi iustitia repositam sibi perpetuam iustitiam cogitat.* Et paulo post, num. 17. *Inde iustificare dicitur fides, quod oblatam in Euangelio iustitiam recipit & amplectitur. Quod autem per Euangelium dicitur offerri, eo excluditur omnis operum consideratio.* Et iterum. *Quæ nobis per Euangelium donatur iustitia, legis conditionibus soluta est.* Hæc ille. Hoc est ergo totum hæreticorum hodie Euangelium, remissionem peccatorum per Christum consequi sine ulla bonorum operum iustitia aut etiam conditione. Ad hunc scopum omnis apud illos Scripturarum explicatio dirigitur. Ad hoc Euangelium confirmandum omnes & Euangelicas & Apostolicas & Propheticas literas detorquent. Proferemus ergo ex Scripturis Euangelicis & Apostolicis veram Euangelij summam quasi necessariam antidoton contra tam pestilentem & Epicuream doctrinam.

Euangelij

Euangelium hodiernum.

Euangelij sanè summam annūciauit Christo iam nato Pastoribus Angelus dicens. *Euangelizate vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator Christus Dominus.* Unde autem & quare Saluator sit dicitur, Angelus ad Iosephum & Mariam disertius explicat: *Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Iam si quæras quomodo à peccatis nos soluat, primum Zacharias nato Ioan. Baptista prædixit apertissimè his verbis. *Eccit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui, sicut locutus est per os Prophetarum eius, etc.* Daturum se nobis ut seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vite nostræ. Deinde Christus ipse in prima sua ad turbas concione tota morali, ne iustitiam predicare videretur legis conditionibus solutam, de ipsa lege quo ad moralia eius præcepta disertè proficitur. *Non veni solvere legem, sed adimplere:* videlicet non adiectione verborum, sed opere factorum, ait August. moxque addit. *Nisi iustitia vestra abundauerit plus quam iustitia Scribarum aut Phariseorum, non intrabitis in regnum celorum:* Deinde præcepta legis ut exactius obseruentur, interpretatur. Hoc est ergo gaudium nobis euangelizatum & totius Euangelij summa, venisse Christum ut saluos nos faciat à peccatis, id est, ut amplius non seruiamus peccato. Hoc Euangelium Christus prædicauit mulieri Samaritanæ, dicens. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternū: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* De eadem aqua iterum euangelizans, in die magnæ festiuitatis stabat & clamabat. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Euangelium ergo quod Christus

Euangelij summa vera &amp; orthodoxa. Luc. 2. Matth. 1.

Luc. 1.

Matth. 5.

Lib. 19. cap. 27. contra Faustum.

Euangelij fructus, non seruire peccato.

Ioan. 4.

Ioan. 7.

Euangelij  
donum  
Spiritus  
S. largitio.

Rom. 6.

Luc 4.

2. Cor. 6.

Rom. 13.

Tit. 2.

1. Iohan. 3.

Rom. 1.

prædicauit, est noua largitio Spiritus Sancti, seu Spiritus gratiæ, ad superanda peccata credentibus in eum impartitus. Vnde Apostolus quæ dixisset credentibus in Christum, *Peccatum uobis non dominabitur, hanc causam subiunxit; non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Quare alio in loco de seductum Christus affirmat quod prædixit Esaias cap. 61. *Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, predicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem* (quæ sola hæretici confiderant, quia ad fidem & remissionem peccatorum pertinent: sed sequitur) *predicare annum Domini acceptabilem, & diem retributionis.* Iam quis sit annus Domini acceptabilis, Paulus docuit. *Adiuuantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim. Tẽpore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te; ecce nũc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et alibi paulo clarius. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis.* Hoc ergo Christus euangelizauit, non solum remissionem peccatorum præteritorũ, sed ut deinceps sicut in die ambularemus. Audi Paulũ apertissime docentẽ quæ sit Euangelij gratia. *Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem & scularia desideria, sobrii, iusti, & pie uiuamus in hoc seculo.* Sic alter Apostolus Christo dilectissimus. *Scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret: omnis qui in eo manet non peccat. In hoc apparuit filius Dei ut dissoluat opera diaboli;* id est, peccata. Hoc est Euagelium quo exhibuit se mundo filius Dei. Sed doceat hæreticos solus Paulus (quo maximè abutuntur) quid sit propriè Euagelium, & cur Christus nobis exhibitus sit. *Paulus segregatus in Euangelium Dei (quod antè promiserat per Propheetas suos) de filio suo qui factus est ei ex semine Da-*  
*uid*

*uid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei (sed quomodo & in quem finem?) in uirtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Domini nostri Iesu Christi, id est per opera miraculosa, & per spiritum sanctificationem, qui sanctificat credentes in eum, & per resurrectionem generalem omnium mortuorum, quam Christi resurrectio fecit. Sed adhuc apertius alibi. Quod impossibile erat legi (id est, quod per legem fieri non poterat) in quo infirmabatur per carnem (id est, quia homini carnali dato infirma & inualida ad salutem erat,) supple, hoc ut fieret, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, id est, Deus Christum nobis exhibens & donans, de peccato damnauit peccatum in carne, id est, per hostiam peccati in carne, seu per carnem filij sui in sacrificium oblatum, peccatum in nobis seu sensualitatem hominis deprauati multauit, & dominio suo quod hæctenus contra superiorem rationem obtinuit, priuauit; ut non regnaret peccatum in mortali corpore nostro, quod prius dixerat, uel ut hic statim subiungit, ut iustificatio legis, id est, tota illa iustitia quam lex iubet, impletur in nobis, id est, à nobis opere completeretur, nobis inquam, qui non secundum carnem, id est, iuxta desideria carnalia, sed secundum spiritum ambulamus, id est, iuxta Spiritum gratiæ nobis per Christum suo sacrificio procuratum. Totum effectum incarnationis & passionis Christi (quod propriè Euangelium est) hic unus locus euidentissimè demonstrat. Nempe ambulare secundum spiritum, non secundum carnem: In nouitate uitæ ambulare, ut sumus noua creatura in Christo. Hoc enim esse in morte Christi baptizari, apertissimè ad Rom. 6. Paulus docuit. Denique cur Christus exhibitus & mortuus sit, docet clarissimè his uerbis*  
*Rom. 6. Galar. 6.*

IO EVANGELIVM QVID.

- Tit. 2.** Paulus. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni peccato (quod fecit per remissionem peccatorum) & mundaret sibi populum acceptabilem, scilicet bonorum operum, quod fecit per communicationem gratiæ, de qua alibi dicit, creatos nos esse in Christo Iesu in operibus bonis ut ambulemus in illis.* Sic rursus ad **Gal. 1.** Galat. cap. 1. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eripiat nos de presenti seculo nequam secundum voluntatem Dei.* Eripi autem de presenti seculo nequã, nihil aliud est quã ut alibi loquitur, *non conformari huic seculo, sed reformari in novitate sensus nostri, ut probemus quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens.* Hoc est ergo **Marc. 1.** Evangelium regni (ut Marcus loquitur) ut sicut ante Christi aduentum, vel apud omnes qui in Christum non credunt, *regnavit peccatum in morte,* ita nunc exhibitio Christo & apud omnes qui credunt in eum, *gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Sic mortui peccato vivimus Deo in Christo Iesu. Sic **Rom. 6.** soluti à lege mortis in qua detinebamur, servimus in novitate spiritus. Sic Christus non solum destruxit **2. Tim. 1.** morrem, sed & illuminavit vitam & incorruptionem per Evangelium. Hoc est Evangelium gratiæ: Hæc est lex nova scripta in cordibus nostris, de qua dicitur **Jerem. 31.** *Dabo leges meas in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eas.* De qua Scriptura cordis Paulus dixit **2. Cor. 3.** *Epistola Christi estis, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Quæ tabulæ cordis carnales, quales sunt, alius Propheta docet. **Ezech. 11 & 36.** *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum non ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Hæc est gratia novi testamenti, & propriè Evangelium Christi & gratiæ Dei. Sic Evangelium regni, sic gratiam novi Testamenti, omnes

EVANGELIVM QVID. II

omnes hæcenus fideles intellexerunt. Lege August. epist. ad Honoratum de gratia novi testamenti, & librum de spiritu & litera. Pulchre **Epist. 121** S. Basilius. *Si quis definiens dicat Evangelium esse formam vite quæ est ex resurrectione à peccato, mihi nequaquã videretur à vero aberrare.* Ad hunc ergo scopum totius Evangelicæ historiæ doctrinam & enarrationem dirigere oportet.

Evangelium in sensu hæreticorum relinquit hominem in peccatis suis, in vetustate & corruptione sua. Detrahit Christo præcipuum effectum incarnationis & passionis suæ: redemptionem videlicet & liberationem humani generis à servitute peccati. Vult nos vestire iustitia aliena, ut interim maneamus iniusti & peccatores. Christus factus est nobis iustitia & sanctificatio, non suam nobis imputando (quod nulla Scriptura dicit) sed spiritum gratiæ nobis impartiendo, per quem iustitiæ opera faciamus, & sanctificemur in conspectu Dei: quod tam multæ Scripturæ docuerunt, ut earum suis locis explicatio luculentius docebit. Negant Christum totum hominem sanasse. Si enim non nisi per fidem, qua Christum apprehendimus, saluos nos fecit, intellectum quidem nostrum fide purificavit & ab ignorantia liberavit, sed voluntatem in sua infirmitate reliquit, nec emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, quod Paulus **Hebr. 9.** affirmat. Deniq; legem Evangelio impiè opponunt, quam **Rom. 3.** *lex non destruat per fidem quam Evangelium prædicat, sed statuatur:* quia videl. *impetrat gratiam qua lex impletur:* ait August. Ac per hoc quæ per Evangelium donatur iustitia non legis conditionibus soluitur, ut impius Calvinus docuit, sed à legis maledicto, iugo, servitute liberatur: quia

De Spiritu Sancto cap. 15.

Evangelium in sensu hæreticorum quam impium.

De Spiritu & litera. cap. 30.

Rom. 8. quia spiritus gratiæ Euangelio proprius, seu lex  
 Rom. 13. spiritus vitæ liberavit nos à lege peccati & mortis: & plenitudo legis dilectio est: quia tota ratio implendilegem, est diligere Deum & proximum. Quod sane ut fiat, diffusa est charitas in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Vide plura in opere nostro de iustific. lib. 5. cap. 12. & seq. Hæc de voce & verbo Euangelij eiúsque vero sensu contra pestilentissimam hæreticorum depravationem præmittere operæ precium duximus, ut quis sit Euangelij finis ac scopus (cuius titulo huius sæculi pestes gloriantur) Lector orthodoxus intelligat. Antidota nostra super vnam ad Romanos epistolam totum hoc commentitium hæreticorum Euangelium, quanta literæ Apostolicæ, quam frequenti, quam luculenta, quam pendenda corruptela nitatur, fauente Christo, demonstrabunt. Sed ut ordinem Instrumenti noui seruemus, à quatuor Euangelij, pro pitio Christo (historiæ euangelicæ subiecto) au spicamur.

(. . . .)

(. .)

Ver. 2.

## IN MATTHÆI CAP. 2.

Ver. 2. *Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam.*

**M**AGI isti nec è terra Chaldæorum aut Mesopotamiæ regionibus venerunt, ut Origenes contra Celsum lib. 1. & homilia 13. in Num. Basilius in homilia de humana Christi generatione, Hieron. super Isaïæ cap. 19. & 47. ac demum Chalcidius Platonicus in Timæum Platonis scribens existimarunt: nec etiam ex Perside quasi Persarum Magi, ut multis veteribus visum est, Clementi Alexandr. lib. 1. Strom. Chrysof. homil. 6. in Matth. Cyrillo in cap. 49. Theodoro lib. 5. cap. 39. hist. eccles. Leoni Papæ ferm. 1. in Epiph. sed ex Arabia, ut iuxta manifestas Scripturas alij Patres docuerunt, Iustinus Martyr in dial. contra Tryph. Tertull. lib. 3. aduersus Marcionem, & in lib. contra Iudæos, Epiphanius in compend. doctrina, Hilarius lib. 4. de Trinitate, & Cyprianus in ferm. de Stella & Magis. Sic Dauid prædixerat Psal. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Sic & I sai. cap. 60. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha. omnes de Saba venient aurum & thibus deferentes, &c.* Madian autem & Epha regiones sunt trans Arabiam, omnique prouincia appellatur Saba, ait D. Hieron. in hunc locum Esaiæ. Madian quippe filius fuit Abrahæ ex Cætura vxore, eiúsque filius Epha, Saba quoque filius Iexam erat filij Abrahæ ex eadem Cætura, Gen. 25. Hi omnes Arabiam incoluerunt. Istis enim aliisque ex Cætura filijs Abraham munera dedit, ut eadem

Magos ex Arabia venisse.



eadem Scriptura docet, & ad plagam Orientale, quæ erat Arabia, dimisit. Porro inter hæc mûnera (vt scribit Epiphan. ex hebraicis traditionum fontibus, in compendiaria doctrina) concludit in peris eorum aurum, thus, & myrrham ex spolijs Regum Sodomorum & Gomorrhæ. Gen. 15. Isti posteri Abrahamæ in partibus Arabicis Magodiæ regionis habitabant. Vnde etiã fortasse Magi dicti sunt. In textu Syr. vocantur **Maguseos**; & Suidas *Maguseos* à Magis ortos hósq; philotheos fuisse affirmat. Epiphanius quoque in comp. doctrina adytorum & sacrorû duces Maguseos definit. Cæterum ex Arabia illos venturos alia Scriptura prædixit Isai. cap. 8. *Antequã sciat puer vocare patrem, & matrem suam, capiet vim Damasci & spolia Samarie contra Regem Assyriorum.* Hæc quippe mûnera à regibus illis Damascenis per Abraham recepta sunt, vt supra dictum est. Damascum enim ciuitatem fuisse olim in Arabia positam scribit Iustinus loco citato: quamquã & ipsa Syria Damasci, Arabia nominatur à Brocardo in descript. terræ sanctæ. Sanè illam Scripturam in his Magorum muneribus impletam fuisse diserte docet Tertul. Nam per regem Assyriorum ibi nominatum, ipsum Herodem intelligi posse vñtatus Scripturæ loquendi modus docet; quæ populi Dei hostes eo nomine frequenter designat; vt & notauit Iustinus Martyr loco citato. Porro Balaam qui de hac stella prædixerat, *Orietur stella ex Iacob*, (vnde à Balaam per traditionem maiorum hanc stellam didicisse hi Magi perhibetur) tamen si ipse in Harã Mesopotamiæ habitaret, & Chaldeus esset, vt apparet Num. 23. (quæ res eos fefellit qui hos Magos ex Chaldæa venisse arbitrati sunt) tamen hoc vaticinium non in Mesopotamia, sed in Arabia pronun-

Par. 1.  
cap. 1.

Contra  
Marc.  
lib. 3.

Num. 23.

nuntiauit. Nam Moab cuius rex erat Balac, & apud quem Balaam hic vaticinatus fuit, ciuitas atque prouincia eius nominis est in Arabia, vt docet Hieron. in libello de locis hebraicis, & in cap. 15. *Esaie.* Venerunt igitur hi Magi ex Arabia, sed interiori illa & remotiori, quæ ad meridiem se diffundit, quæ tota Iudæa orientalis est, maximè si ortû solis in hyemali solstitio spectes, quo tempore Christus natus est. Sicuti ergo ex Saba eiusdem Arabiæ venit Regina Sabæ ad Salomonem cum maximis muneribus, quasi tentatura, an hic esset ille Rex à Balaam prædictus, & stella ex Iacob, sic ad Christû, cuius typus Salomon erat, venerunt isti Magi cum muneribus, & verum Regem inuenerunt.

Fuisse autem hos Magos Reges, & Reges tres, quia in Prompt. Cath. in die Epiphaniæ ostendimus, hic nihil repetimus. Illud solû addimus, turpiter à Caluino proferri authorè operis imperfecti in hunc locum, apud Chrysofost. quòd hi magi 14. essent, tum quia author Arianum se prodidit, tum quia non nisi ex fabuloso libello rem narrat, tum præterea quia non tot Magos ad Christum venisse, sed tot Magos ex longa successione hanc stellâ expectasse scribit. Venerunt autè post natum Christum die 13. quem adhuc in Bethlehem inuenerunt, & in præsepe positum adorauerunt, vt clarè affirmant Patres. Chrysofost. in hunc locû homil. 6. & 7. & in 1. Cor. Hom. 24. August. serm. 2. de Epiph. Hieron. epist. 14. 17. 88. 27. Hos autè Magos fuisse quidem antea malis artibus magicisque excantationibus deditos, simulque astrologos curiosos, sed ab hac stella edoctos ad veritatem conuersos, tam multi Patres affirmant, vt vix absque temeritate negari debeat. Sic enim scri-

16 ANTIDOTA EVANG.  
 scribunt, Ignatius in Epist. ad Ephesios: Iustinus Mart. contra Tryphonē: Origenes contra Celsum lib. 1. & homil. 13. in Num. Basilius in orat. de humana Christi generatione: Hieron. in Isai. cap. 19. & 47. Pro hoc sensu facit vox Hebraica hoc loco מְפַלְפֵּלִים quæ sapientes vel præstigiatores significat à radice מְפַלְפֵּלִים præstigium.

Caluini  
 maledi-  
 centia re-  
 fellitur.

Porro ex hac explicatione, garrula Caluini maledicentia & ignorantia refellitur. *Plusquam ridiculi* (inquit) *sunt Papistæ quod Reges sibi fabricant, quia Psal. 72. 10. prædictum legebant venturos Reges Tharsis & Insularum & Saba qui munera Domino offerent. Ingeniosi artifices videlicet, qui ut nouam hominibus formam darent, à mundi conuersione cæperunt. Nam ex meridie & Occidente fecerunt Orientem.* Hæc ille. Ingeniosus sane impoitor Calvinus, qui ut noua formet dogmata, à totius Ecclesiæ contemptu orditur. Nam antiquos Patres in Papistas conuertit, & diuini Spiritus certissimū vaticinium scommate eludit. Nec eum pudet dicere nos ex Occidente fecisse Orientem, quū Euangelium aperire dicat Magos itos *ab Oriente venisse*: vnde ille qui vel ex Chaldæa vel ex Perlide hos magos venisse sustinet, prorsus ex Oriente fecit Meridiem & Occidentem. Et tamē tam leui scommate quum lulisset, ita fortiter concludit, ac si fortissimis argumentis pudendæ inscitæ Catholicos conuicisset. Sic enim addit. *Nec verò dubium est quin iusta Dei vindicta obstupefacti fuerint, ut omnium ludibrio pateret crassa eorum inscitia, quibus Dei veritatem adulterare & in mendacium vertere nulla religio fuit.* Vides lector, quàm vehementer concludit, quod nullo argumento probauit. Quæ autem à nobis de his Magis tum hoc in loco tum alibi, vt supra designatum

IN MATTHÆI CAP. 3. 17  
 tum est, in medium prolata sunt, omnium iudicio relinquo an ipsum Calvinum crassæ admodum inscitæ non conuincant, vt ad hanc accusationem tam atroceem hoc loco instituendam, iusta Dei vindicta obstupefactus videri queat, vt omnium ludibrio pateret, tum inscitia eius, tum maledicentia: cui (vt in sequentibus demonstrabitur) euangelicam veritatem adulterare & in mendacium vertere nulla religio, perpetua consuetudo est.

### IN MATTHÆI CAP. 3.

Ver. 1. *Prædicans in deserto Iudææ.*

**M**AxIMA est hoc loco, pertinax, & generalis omnium hodie hæreticorum impietas, Scripturæque euangelicæ deprauatio. Negant enim in vniuersum omnes Ioannem Baptistam in aliquo deserto propriè dicto, in solitudine aut eremo aliqua vixisse, sed solum domi paternæ in locis montanis ac saltuosis vitam egisse. *Quod dicitur Ioannes concionatus in solitudine* (ait in hunc locum Beza) *non est ita accipiendum quasi fugerit hominum conspectum, vt ij postea fecerunt qui dicti sunt Eremitæ: sed desertum ex vulgari consuetudine hic vocatur regio saltuosa, in qua habitabat Zacharias, vt scribitur Luc. 1. Ibi quoque fuisse domum Ioab legimus 2. Reg. 2. & huius deserti sex oppida numerantur Ios. 15.* Hæc Beza. Nempe quia Lucæ 1. Zacharias pater D. Ioannis dicitur habitasse *in montanis in ciuitate Iudææ*, argumentum capiunt isti hæretici, Ioannis desertum nihil aliud fuisse quàm domum paternam in locis montuosis positam. Sed eorū ignorantia

Ioannis  
 Baptistæ  
 habitatio.

B

rantia dupliciter refellitur. Primum quia domus seu habitatio Zachariæ *in montanis in ciuitate Iudæ* fuisse dicitur, eo quod illa ciuitas esset in monte Iudæ posita, & ciuitas sacerdotalis nomine Hebron celeberrima, in qua 7. annis regnauit Dauid de tribu Iudæ. Hanc enim ciuitatē in monte Iudæ filijs Aaron, ex quibus Zacharias erat, sorte datam fuisse, manifestè patet Iosue cap. 21. Ideoque D. Lucas satis habuit nominasse illam *ciuitatem Iudæ in montanis*. Nulla enim alia erat ciuitas sacerdotalis in monte Iudæ præter istam. Hæc ergo ciuitas sacerdotalis Hebron antiquitate & nobilitate celeberrima, desertum D. Ioannis nullo modo esse potuit, si in ea semper mansisset.

Deinde in hoc etiam turpiter errant hæretici, quod Ioannem in domo paterna habitasse, & in ea ciuitate prædicasse affirmant. Si enim desertum Iudæ quod hic Matth. dicit, est regio saltuosa, in qua habitabat Zacharias, vt affirmat Beza, necessariò sequitur quod in ea regione vbi habitauit Zacharias, prædicauit. Ait enim Matthæus, *Prædicans in deserto Iudææ*. At verò Ioannem prædicasse circa Iordanē, qui à montanis Iudææ remotissimus erat, tres Euangelistæ conformiter docent. Præterea D. Ioannem in domo aut ciuitate paterna nec habitasse nec prædicasse, tota antiquitas vna voce attestatur; cuius testimonia in Prompt. Cath. Dom. 2. Aduentus vide. Sed hic pauca addemus. Petrus Alexandrinus Episcopus & Martyr in regulis ecclesiasticis can. 3. quas recepit & probauit Sexta Synodus cap. 1. refert S. Elizabetham cum paruulo suo Ioanne in desertum fugisse, quum ab Herode ceteri infantes ad necem quærerentur; non quod ille in finibus Bethlehem esset, ideoque edicto comprehensus,

sed,

sed quod de eius admiranda natiuitate *magnus timor esset super omnes vicinos eorum, & quod diuulgarentur omnia verba hæc*, vt scribit Lucas; ideoque etiam ad Herodis aures suspiciosi tyranni peruenirent. Idem scribit Nicephorus in hist. Ecclesiastica, & Cedrenus in complemento ad annales Zonaræ. Propter hanc fugam in desertum Zacharias pater Ioan. Baptista inter templum & altare occisus est, quia locum fugæ prodere noluit, vt grauissimi authores testantur. Cyrillus Alexand. aduersus Anthropomorphitas; Origenes in Matth. tract. 25. Greg. Nyssenus in serm. de Christi nat. Basiliius in homil. de humana Christi generat. Certè in Prato spiritali authore Sophronio cap. 1. describitur spelunca D. Ioannis in deserto nõ longè à Iordanis ripa, cuius etiam meminisse videtur Beda in tract. de locis sanctis cap. 13. Postremò D. Ioannem eremum tota vita incoluisse, & hoc ipso nomine eremitarū patrem esse (quod hæretici ferre nullo modo possunt) præter authores in Prompt. Cath. citatos disertissimè scribit Chrysostomus his verbis. *Sicut sacerdotum principes sunt Apostoli, ita & monachorum princeps Ioan. Baptista*. Rursum in hom. de Ioanne Baptista. *Considerate monachi dignitatem vestram. Ioannes princeps vestri est dogmatis. Ipse monachus statim vt natus in eremo viuuit, in eremo nutritur*. Sic ad Eustochiū D. Hieronymus. *Epist. 22. Huius vitæ eremiticæ auctor Paulus illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista*. Impudenter igitur Beza cæterique hæretici negant hoc desertū Ioan. Baptista veram eremum fuisse, & vitā solitariā eum duxisse; quod magis adhuc in vita & vestitu eius postea apparebit.

Interim coniecturis vel mendacijs potius Bezanis breuiter respondendum. Per desertum hæc

Cap. 1.

Lib. 1.  
cap. 14.

Ioan. Baptista eremitarum pater.

Homil. 1.  
in Marcū.

Epist. 22.

Beza fig-  
mentum  
refutatur.

loca saltuosa in quibus habitabat Zacharias, intelligi non posse, iam ostensum est. Ex vulgi consuetudine desertum sic vocari probare vult duobus argumentis. Primum quia in locis saltuosis fuisse domum Ioab legimus 2. Reg. 2. ver. 34. Sed hoc purum mendacium est. Illo enim loco de domo Ioab nihil aliud dicitur, quam quod Hazael, frater eius sepultus esset cum patribus suis in Berhelem. Secundò quia Iosue cap. 15. huius deserti sex oppida numerantur: quod iterum aliud mendacium est. Quamuis enim illo in loco scribatur, *In deserto Betharaba ciuitates sex & ville earum*, tamen nec desertum Betharaba, quod ad sortem tribus Iudæ pertinebat, desertum in quo Ioannes prædicabat esse potuit, qui circa Iordanem prædicauit, qui fuit terminus possessionis filiorum Ruben, & à terra Iuda remotissimus; nec propriè illud desertum aut solitudo erat, quale Ioannis desertum fuit; quod vox hebraica longè diuersa satis indicat. Nam in Iosue vox est *מְרִבְרָה* quod loca magis mōtosa & habitata quā siluestria & vasta designat. Sed in Marthæo Syro vox est *חַרְבָּה* à radice *חָרַב* quod propriè desolare & destruere significat, quo verbo significantissimè vtitur Ezechiel cap 29. ver. 10. *Dabo terram Aegypti in solitudines, gladio dissipatam: לְחַרְבוֹת הָרֵב* id est, in solitudines solitudinis, siue in vastissimā solitudinem. Tale erat desertum Ioannis Baptiste, non quale fingunt molles heretici, vocatur autem desertum Iudæ, quia quum Marthæus scriberet, tota Iudæa ad Iordanem vsque se extendebat, quæ ad distinctionem Samariæ sic vocabatur.

Ios. 13.

Ver. 2.

Ver. 2. *Pœnitentiam agite.*

**V**ERTIT hic Beza, vertuntque alij heretici, *Respiscite*, acerrimeque contendunt pœnitentiam quam prædicauit Ioannes, posteaque Christus & Apostoli, nihil aliud fuisse quàm respicientiam, id est, mutationem vitæ in melius, absque vilo necessario dolore, vel satisfactione pœnali adiuncta: & vocem græcam hoc loco *μετανοεῖν* qua voce Christus quoque & Apostoli semper vtuntur, nihil aliud significare. Contendit hoc loco Beza acerrimè hoc rotum probare: & quia sæpius hæc vox recurret, hæreticorum corruptioni semel respondendum est. *μετανοεῖν* (ait Beza) propriè significat, post factum sapere, & de errore admissio ita dolere vt corrigas: quod latini propriè significat respiscere: *μεταμελῆσαι* vero declarat post rem aliquam factam sollicitum esse & anxium, pro quo latini dicunt pœnitere. Neque enim propriè complectitur vitæ & consilij mutationem in melius, sed simpliciter sollicitudinem quandam & displicentiam exprimit. Itaque Matthæus de Iuda proditore loquens *μεταμελῆσαι* inquit, *αἰσπετε*: non *μετανοεῖς*, tristitiam significans à qua absorptus est. Sic apud Paulum 2. Cor. 7. *μεταμελῆσαι* declarat dolorem capere ex eo quod factum erat: & ad Rom. 11. dona Dei dicuntur *μεταμελῆσαι*, id est, eiusmodi vt non possint ipsi displicere, quum semel placuerunt. Quod hebræis declaratur vocabulum *כַּחַס* quum *μετανοεῖν* potius significetur verbo *שוב* vnde *תשובה* conuersio. Itaque Petrus Act. 3. quum *μετανοεῖτε* dixisset, statim subiunxit *ἐμψαλάτε*, vt illud explicaret. Idem facit Paulus Act. 16. Ergo *μετανοεῖν* & *μετανοια* vbique interpretabimur. *respiscere* & *respicientiam*: idque ob hanc potissimum causam

Pœnitentia vocabulum.

Bezae argumenta contra Pœnitentia vocabulum.

B 3 quod

quod multi imperiti occasionem ex hoc dicendi genere arripuerunt falsarum opinioꝝ de satisfactione, quibus hodie agitur Ecclesia. Hæc hæctenus Beza, omnem hucusque ecclesiasticum loquendi modum, & totius Scripturæ latinæ perpetuam phrasim sua notitate deprauans. Cæterum *pœnitentiam agite*, hoc loco, græcè μετανοείτε, non simplicem resipiscenciam significare, qua corrigitur quod perperam factum fuit (qui pœnitentiæ effectus potius est quam ratio & natura) sed actionem quandam pœnalem, quæ in dolore ex peccatis anxio, & in satisfaciendi studio ac labore consistat, ex alijs Evangelicis & Apostolicis literis manifestè ostendetur. Infra cap. 12. de Niniuitis dicitur quod *pœnitentiam egerunt* μετανοήσαντες in prædicatione Ionæ. Illam autem pœnitentiam non fuisse simplicem resipiscenciam aut mutationem in melius, sed actionem valde pœnalem in ieiunio, sacco & cinere susceptâ, Ionæ cap. 2. legimus. de qua lege Basilium in sermone habito in fame & siccitate. Sic rursus infra cap. 11. de Tyrijs & Sidonijs ait Christus. *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egerunt* μετανοήσαντες. De Esau scribit Paulus, *Non inuenit pœnitentiæ locum* μετανοίας τοῦ ὄντος *quanquam cum lachrymis inquisisset eam.* Heb. 12. Vbi ipse Beza vertit *pœnitentiam*, non resipiscenciam, & fatetur accipi pro dolore quem aliquis ex re præterita accipit: & addit Paulum usurpare vocem μετανοίας pro μεταμέλειαν. Sed S. Chrysoſt. theologus Græcus, græcæque linguæ peritor, vocem μετανοίας hic propriè ab Apostolo accipias firmat. docet autem pœnitentiam hanc etiam cum lachrymis coniunctam, veram pœnitentiam seu μετανοίαν non fuisse, non quia dolorem habuit adiunctum, vt Beza fingit, sed quia iustus & legitimus ille dolor non fuit. Vnde postea dicit, *Judas pœnituit*

Latinae  
Ecclesie  
perpetua  
phrasidis  
deſenditur.

Beza refu-  
tat Chry-  
ſoſtomus,

*pœnituit* (μετανοήσας) sed male. Laqueo se namque suspendit. Vbi per verbu μετανοίας, illud expressit Chryſoſtomus quod per verbum μεταμέλειαν expressit Matth. græcus à Beza. citatus. Sed addit Chryſoſtomus. *Pœnituit & Esau vel potius non pœnituit*, lachrymae quippe illæ non erant pœnitentiæ & μετανοίας, ἀλλὰ ἐπιθυμίας καὶ θυμοῦ, sed doloris & iræ. *Pœnituit & David dicens lauabo per singulas noctes lectum meum.* Hec Chryſoſtomus semper vtens verbo μετανοίαν. Sane quum Christus dicit *iustos non indigere pœnitentiâ*, Luc. 15. οὐχ ὄντας ἐχέειν μετανοίας, satis ostendit pœnitentiæ vocabulo actionem aliquam pœnalem notari, quam iustos subire non est opus. Sed vnus Apostoli locus 2. Cor. 7. huius vocis proprietatem euidenter ostendit. *Etsi contristati vos in epistola non me pœnitet: & μεταμέλομαι*, id est, non inuito factum, nec aliter fieri vellem, & si pœniteret vidēs, quod epistola illa & si ad horam vos contristauit: id est, & si tunc mallem me non fecisse, facile præuidens quod saltem ad tempus illa epistola vos deberet contristare. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: eis μετανοίαν.* Contristati enim estis secundum Deum, id est, propter offensum Deū. *Quæ autem secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* μετανοίαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλειαν κατεργάζεται. Pœnitentiam salutarem operatur, de qua postea non pœnitebit, vel quam semel factam nemo vellet infectâ. Hec in loco μετανοίαν accipit Paulus pro pœnitentiâ propriè dictâ, id est pro tristitia peccati secundum Deum, quâ salutarem tristitiâ vocat, & cuius præclaros effectus in sequentibus describit. Μεταμέλειαν verò accipit pro noua animi mutatione qua id nollemus factum quod fecimus, aut contrâ: & sic ad Rom. 11. dona Dei vocantur ἀμεταμέλητα, id est, quæ semel collata non

Beza argu-  
menta re-  
ſutantur.

vult non contulisse. Nam & sic Gen. 6. *Pœnitent*  
*me fecisse hominem*: apud 70. est μεταμελῆν: & in tex-  
tu hebraico תתקן à verbo תקן, quod Beza  
vult displicentiam cum dolore significare, quasi  
illa in Deum cadere possit.

Quod autem Petrus Act. 3. & Paulus Act. 16.  
cum verbo μετανοήσατε adiunxerunt καὶ ἐπιστρέψατε,  
id est, *Pœnitentiam agite & conuertimini*, non est ex-  
plicatio vocis præcedentis, vt Beza colligit, sed  
effectus eius ac finis. Iubet enim Apostoli prius  
pœnitere de antea actis, & postea conuerti ad  
Deum per vitæ nouitatem. Quare in alia concio-  
ne Petrus quum dixisset, *Pœnitentiā agite, μετανοήσατε*,  
adiunxit: *et baptizetur vnusquisq; vestrum*, quod nemo  
dubitat distinctum quid esse à pœnitentia, &  
quod eam comitari debeat. Porro quod ad duo  
illa verba hebraica attinet, תתקן & תשוב, quæ  
duabus græcis vocibus μεταμελῆν & μετανοεῖν  
respondere Beza vult, certū est apud hebræos illa  
duo in eadem significatione inueniri, & vtrum-  
que conuersionem seu animi ac sententiæ muta-  
tionem significare: quod vnus locus Ionæ 3. cap.  
ver. 10. euidenter ostendit. Vbi *conuerti Deum & igno-  
scere*, per illa duo תשוב & תתקן ponuntur.

*Quis scit si Deus conuertatur & ignoscat?* Sane verbū  
תתקן propriè consolationem accipere significat,  
& per accidens sententiā mutare ad suam con-  
solationem. Quod autem de verbo תשוב Beza  
notat per illud significare *conuerti*, vnde תשובה  
conuersio, sciendum est per idem verbum signi-  
ficari, *auerti*. Vnde תשובה rebellio. Ideoque Iere.  
cap. 8. ver. 4. vbi legimus, *Qui auersus est, non reuer-  
tetur*, ὁ ἀποστρέφων οὐκ ἐπιστρέφει, in hebræo idem verbum  
est, תשוב & תשוב. Hoc igitur verbum vt multas  
habet

Hebraica  
verba Be-  
za noui-  
tate non  
adiuuant.

habet significationes, sic inter cætera, pœnitentiam  
quoque agere significat, vt notat Pagninus.  
Et in Matth. hebræo habetur hoc loco תשובה  
וּשְׁבוּ *agite pœnitentiam*. Quare non minus verbo  
μεταμελῆν quàm verbo μετανοεῖν vox illa respon-  
det: quæ etiam apud græcos eandem frequenter  
significationem habent, vt vtraque mutationem  
in melius, vtraque etiam displicentiam anxiam  
significant, vt ex locis iam citatis studiosus lector  
deprehendet. His accedit, apud veteres Ecclesiæ  
scriptores, publicos in Ecclesia pœnitentes, quo-  
rum erat maximè pœnalis pœnitentia, vocati  
τοὺς μετανοούντας: vt apud Sozom. lib. 7. cap. 16. &  
apud Socratem lib. 5. cap. 19. vel τοὺς ἐκ μετανοίας  
ὄντας: vt apud Dionys. Areopag. Eccles. hierarch.  
cap. 3. in principio. Quibus ita explicatis facile  
patet inanem esse hæreticorum prurium, qui  
Pœnitentiæ vocabulum in Resipiscentiæ vocem  
eos mutare compulit.

4. *Esca autem eius erat locustæ & mel siluestre.*

**D**E vestimento D. Ioan. in deserto con-  
tra hæreticorum corruptelas in Prompt. Dom. 2.  
Aduertus.  
Catholico disseruimus. Nunc de victu  
eius aspero ac vili aliquid contra eos notandum  
est. Nolunt enim ad vitæ eius sanctitatem ista ab  
Euangelistis commemorari. Dicit Calvinus in  
sua harmonia ad hunc locum. *Hoc Euangelista non  
numerat inter præcipuas virtutes, quod rudi & austeriori  
viuendi formæ addictus, etiam mediocrem vscatamque  
munditiam fugerit: sed quia prius dixerat montanum fuisse  
hominem, nunc subiicit victum & vestitum habitationi cons-  
tantaneum fuisse.* Mox reprehendit Catholicos,  
quod perfectam ferè iustitiam in externis laruis constituant,  
B 5 & quod

Victus  
austerus  
Ioan. Baptista.

*quod sinnerint Ioannem in vita solitaria abhorruisse à communi viuendi more, sicuti eremitæ & monachi. Hæc ille doctrinæ Euangelicæ corruptor pestilens: Euangelistas enim Ioannis asperum victum ac vestitum ideo commemorasse, vt eximias eius virtutes recenserent, vitamque planè eremiticam duxisse ostenderent, non solum omnes hæctenus Patres docuerunt, vt antea dictum est, sed ex ipsis quoque Scripturis manifestum est. Matthæus enim cæterique Euangelistæ, vt prædicationis eius auctoritatem magis exprimerent, hanc eius vitæ rationem diligenter tradiderunt. Deinde maximus populi ad eum concursus vt in seqq. Matthæus describit, manifestum fuit de eius vitæ sanctitate, testimonium: quam tanti estimabant, vt an ipse Christus esset, dubitarent. Tertio Christus ipse ex utroque hoc capite victus & vestitus, eum publicè apud turbas commendauit. *Quid exiitis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? ubi à contrario vestitus austeritate laudat. Rursum: Venit Ioannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum; & dicitis, Dæmonium habet. Vbi à victus parimonia eum laudat. Ex quo etiam loco patet summæ austeritatis causa solis locustis & melle Ioannem victitasse: sic enim illis vsus est, vt in vniuersum ab omni pane & vino abstineret. Si cibus illistanquam maximè parapilibus vsus fuisset, saltem panem quoque adhibuisset, quo nihil magis parabile est. Locustæ autem istæ qualia essent animalia, qualisque cibus, vide apud D. Hieron. in cap. 3. Nahum & lib. 2. aduersus Iouinianum. Insecti genus erant, paruas alas habens, ad volandum ineptum, ideoque satis parabile. Quum autem vox græca hoc loco dupl. ac non solum locustas, sed & summitates herbarum signi-**

Matth. 12

Luc. 7.

significet, putant aliqui fuisse herbas de quibus hic Matth. loquitur: & hanc sententiam fortissimè sustinet Isidorus Pelusiora lib. 1. epist. 132. ad Timotheum & epist. 5. ad Nilum. Caterum vox Syriaca hoc loco *nymp* locustam animal proprie significat. Mel siluestre fuit valde amarum, vt idem scribit Isidorus & Euthymius in com. in hunc locum.

6. *Baptizabantur à Ioanne confitentibus peccata sua.*

**A**D hæc verba hoc venenū effundit Calvinus. *Ridiculi sunt Papiſtæ dum ad confessionem auricularem hoc detorquent. Neque enim aderant sacrifici quibus confiteretur, nec de omnibus peccatis fit mentio, nec dicitur Ioannes ordinarium confitendi ritum suis Discipulis mandasse. Imò ve Papiſtis demus quod postulant, solis catechumenis propria erit confessio, post baptismum verò locum non habebit. Certè contra Ioannis exemplum confitendi legem à baptismo præscribunt. Hæc impostor ille. Respõdeo antiquissimos Patres ex his verbis confessionem hominum iam Christianorum collegisse. Chrysolomus in hunc locum ait. *Tempus confessionis æquè & lotis baptisate & illotis profanisque incumbit. S. Basilus in reg. breuioribus confessionis necessitatem ex hoc Ioannis & Pauli in Actis exemplo confirmat. Necessarium videtur, his quibus dispensatio mysteriorum Dei credita est, confitenda esse peccata. Siquidem rationem hanc in penitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse, quando & in Euangelio scriptum est, quòd Ioanni confitebantur peccata sua, & in Actis, Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti. Hæc ille. Eodem modo colligit Rabanus in comment. in hunc locum. Exemplum etiam tunc confitendi peccata ac meliorem vitam promittendi baptizandis**

Papistarū  
nominè  
Patres an-  
tiquissimi  
accusatur.

Homil. 10  
in Matth.  
Quæst.  
288.

Act. 19.  
Rabanus.

*tizandis datur.* Non ergo Papiſtæ fed antiquiſſimi Patres ridiculi ſunt, ſi ad confeſſionem auricularem hoc exemplū accommodare ridiculū eſt.

Caluini  
argumēta  
ridicula.

Sunt autem plane ridicula Caluini argumenta. *Non aderant,* inquit, *sacrifici quibus conſiterentur.* At aderat Ioannes, cui conſitebantur, vt D. Baſilius loco citato notauit. *Non de omnibus* (inquit) *peccatis fit mentio.* At propositio indefinita æquiuale vnuerſali, & ipſum vnuerſale per accommodatā diſtributionem intelligendū eſſet, quod ſcilicet maiora & grauiora conſiterentur. Neque enim nunc omnium fit neceſſaria confeſſio, venialium ſcilicet. *Non dicitur* (inquit) *Ioan. ordinarium conſtitutum mandaſſe.* Atqui ordinarium hunc ritum fuiſſe, ex eo etiam patet quod Apoſtoli eundem morem ſeruarent. Sic enim legimus, *Multi credentium veniebant conſitentes & amittentes actus ſuos.* Sed

Act. 19.

(inquit Caluinus) hoc exemplum probat ſolis catechumenis propriam eſſe confeſſionem, vnde infert; *nos contra Ioannis exemplum conſtituendū legem à baptiſmo præſcribere.* At verò tamen Ioanni ſoli non baptizati conſitebantur, Paulo tamen &

Vbi ſuprà.

Apoſtoliſ alijs, vt infert Baſilius, *multi credentium conſitebantur,* è quorum numero iam baptizati eſſe poterant. Sed à minori ad maius, vel ſaltem ab exemplo ſummæ pietatis argumentati ſunt Patres citati; confeſſionem iam baptizatis & in peccata relapſis eſſe neceſſariam, ſicuti ante baptiſmum neceſſaria videbatur. Nec hoc contra Ioannis exemplū facit, ſed ei conforme admodum eſſe, Patres citati indicarunt. Tamenſi enim in ſubiecto variat, actio tamen non variatur. Simili inepia inferre poſſet Caluinus, nos contra Ioannis exemplū facere, qui homines gentiles baptizamus, aut gentilibus baptizandis cōfeſſionis legem

gem præſcribimus, quia Ioannes ſolos Iudæos baptizauit, & ſoli Iudæi conſitebantur illi peccata ſua. Sed quemadmodum contra Ioannis exemplum hac in re non præſcribitur, ſic nec in altero.

9. *Et ne velitis dicere intra vos, Patre habemus Abraham.*

**T**ORQUETHæc verba Caluinus contra vnuerſum clerū Catholicum, qui veram Eccleſiam Chriſti Eccleſiam apud ſe eſſe, neque deficiere poſſe aſſeruit: quia *vult Deus in mūdo agnoſci,* *nomēque ſuum inuocari, alibi autem non poſſe eſſe Eccleſiam quā apud ipſos, apud quos Dominus ſædus ſuum depoſuit.* Hæc ille Catholicorū nomine. Veram quidē Eccleſiā Chriſti deficere nullo modo poſſe, nec alibi inueniri quā apud Eccleſiarū præpoſitos, ac magiſtros, eorūque greges, in libris de Principijs fidei doctrinæ contra omnes hæreticos demonſtratum à nobis eſt. Sed tale aliquid Phariſæis à Ioanne hoc loco obiectum nec fuit, nec ſi fuiſſet, contra verā Chriſti Eccleſiā aliquid valeret. Tamenſi enim Phariſæi & Sadducæi hoc temere feciſſent, non propterea veri Eccleſiarum magiſtri veram ſibi Eccleſiam veditare non debent. Cæcus hæreticus non videt tam contra ſectam ſuam aut aliā quamlibet hoc argumentum valere, quā contra veram Catholicam Eccleſiam. Sed veræ Eccleſiæ refutandæ auidus, quid contra ſectam ſuam perinde valeret, non aduertit. Deſperans Caluinus de ſua ſecta, quod pro vera Eccleſia vnquam haberetur, audacter ea diſputat quæ veræ Eccleſiæ authoritatem quoquo modo labefactat. Cæterum quum Phariſæos acriter taxaret, Ioannes, ne id egrius ferrent, monet, ne quod de genere Abraham eſſent, quod Deus ſibi in peculium adoptaue-



adoptauerat, gloriarentur, quasi hoc ad salutem factis esset, qui non sequerentur fidem Abrahæ, nec facerent opera Abrahæ. Nam tamen illi omnes Abrahæ fidem & pietatem desererent, potest tamen Deus suscitare etiam ex lapidibus terræ novos filios, nouum semē, nouū populū fidelem ipsi Abrahæ, id est, qui semē Abrahæ vocari possent propter fidem & opera Abrahæ quæ imitarentur.

Verum enim uero contra hereticorū imputationem iustitiā valet insigniter hic locus. Dicunt heretici homines ex sese impios iustificari & pro iustis à Deo approbari quatenus per fidem in Christo sunt, qua Christi iustitiam illis imputant apprehendunt. Hoc est enim iustificare impiū, vt ad Rom. 4. exponit Beza. Contra hos merito dicitur, Nolite dicere, mediatorem habemus Christum, sed si Christi estis, opera Christi facite, mandata eius seruate, nec sola fide in Christum contenti estote. Sic enim isti Pharisei fidem Abrahæ tenebant, eundem Deum colebant, eadem Circumcisione utebantur, eundem Messiam Abrahæ repromissum expectabant: & quia in eodem fœdere cū Abraham erāt, certō sibi salutem promittebant. Sed Ioannes contra hanc inanem fiduciam monet, ne de patre Abrahā glorientur, sed eius quoque obedientiam & bona opera imitarentur. Ideo subiunxit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Eodem modo Christus postea eisdem de Patre Abraham gloriantibus dixit. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Sic contra Caluinum maximè eiusque sectatores hic locus valet.

Imputati-  
ua iustitia  
refellitur.

Ioan. 8.

7. Proge-

7. Progenies viperarum.

**S**ECTAS hypocriticas & populi seductores acerrimè taxat: quos ita vocat, vel quia sicut viperæ de vita sua periclitantur nisi ad aquam protinus accurrant, vbi veneno suo aliquem leserint, sic isti de æterna salute periclitantur nisi post noxia venena & pessimè doctrinæ fermenta in populum effusa ac immixta, ad baptismum Ioannis non accurrerent; vel quia sicut vipera pellem habet variegatam & eleganter pictam, intus verò tota venenata est, sic isti Pharisei & Sadducei foris erant parietes dealbati, sed intus quasi sepulchra fetida, & varijs sceleribus pleni, quales seductores heretici esse solent: vel denique quia parricidium in illis notat, quòd omnes iustos persequerentur, quod apertè illis Christus postea obiecit, sicuti vipera per vtriusque parentis necem si equenter in lucem prodit. Mas enim à femella per coitum occiditur, dum hæc illius caput in os eius insertum abrodit, paruuli autem quum nascuntur, matris ventrem aliquando perrumpunt, eamque occidunt. Tales sunt omnes heretici & seductores, qui Ecclesiam matrem lacerant vt inde exeant, qui pios in Ecclesia acerrimè persequuntur, qui certissimè pereunt nisi ad aquam penitentiae quam Ioannes prædicauit, tempestiuè se recipiant. Progenies quoque viperarum ab inuidiæ sibilis (qua maxime laborabant Pharisei) vocari poterant, vt certet Augustinus: vel etiam quia pessimorum parentum pessimi essent filij, inuidia & calliditate pleni, vt exponit Gregorius homilia 20. in Euangelia, & Hieronymus ad Isa. cap. 30. & ad Matth. cap. 23.

Seducto-  
res popu-  
li viperis  
cōparati.

Cap. 2  
3.  
infra.

Serm. 1.  
Dom. 5.  
Quadrag.

cap. 23. quod etiam in hæreticos seductores aptissime quadrat: qui astutia & nequitia in errorem circumveniunt.

## IN MATTHÆI CAP. 4.

2. *Et quum ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus, postea esurijt.*

Caluini  
scopus in  
Scripturis  
exponēdis

Quadra-  
gesimæ  
observa-  
tio ad  
imitatio-  
nē Christi  
desēditur.

Rom. 8.

**Q**VVM id Caluino Scripturas omnes Euangelicas & Apostolicas suis corruptissimis cōmentarijs, seu commentis potius, non tam explicanti quàm studio deprauanti, propositum fuisset, vt quavis data occasione Catholicæ Ecclesiæ seu dogmata ac fidē, seu praxim & cultum carperet & impugnaret; hoc quoque in loco, quia ieiunium quadragesimale toto orbe Christiano religiosē obseruari cernebat, partim sanè alias ob causas (quas impostor altè dissimulat) partim etiam ad imitationem Christi Redemptoris nostri qui totidem diebus ieiunauit, Caluinus hanc considerationem & hunc cultum omnibus ingenij sui neruis impugnat, vanamq; ac futilem ostendere contendit. Totam eius disputationem expendam. *Christus* (inquit) *à cibo & potu non abstinuit, vt temperantiæ documentum ederet, sed quò plus auctoritatis haberet, dum à communi hominum sorte exemptus, quasi è cælo Angelus, & non homo è terra emerijt.* Quod in more positum habent hæretici, id præstat hoc loco Caluinus. Ex vna veritate aliam vult destruere; & vt vnam causam tollat, aliam vrgerē. Christus non solū ad Euangelicæ doctrinæ, quā statim aggressurus erat, maiorem commendationem & auctoritatem, sed etiam ad temperantiæ documentum ieiunauit. *Christus passus est*

*passus est propter delicta nostra, & hæc præcipua causa erat. Sed an propterea falsum est quod Petrus dixit, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius?* Christus propter vtrumque passus est, & propter vtrumque ieiunauit, quia non solum erat redemptor in opere, sed etiam magister in exemplo.

Sed hanc aliam ieiunij Christi causam, vt temperantiæ documentum ederet, Papiſtę fortasse hodie commenti sunt, antiqua Ecclesia non docuit? Audiamus ergo antiquissimos Patres, & illos nouitio Caluino opponamus. Ignatius D. In Epist. Ioan. Discipulus disertè monet, *Ieiunandam esse ad fidelibus Quadragesimam, quia imitationem continet conuersationis Domini.* D. Batilius ita scribit. *Caput omnium quos commemorauimus Dominus noster est, qui non prius in carne quam pro nobis assumpsit, diaboli insultus excepit, quam eam ieiunio communiſset, simul & nos erudiens, vt nosmet aduersus tentatoris conflictus ieiunio vngamus.* Idem affirmat D. Hieronymus. *Dominus 40. diebus in solitudine ieiunauit, vt nobis solemnes ieiuniorum dies relinqueret.* Consentit D. Chrysostomus eisdem penè verbis & sus quibus S. Basilus. *Dominus noster Iesus Christus & ipse 40. dierum ieiunio declayato, sic certamen contra Diabolum aggressus est, omnibus nobis exemplar dans vt per illud armemur, &c.* Clarissime quoque S. Augustinus. *Quadragesima ieiuniorum habet auctoritatē, & in veteribus libris ex ieiunio Moysis & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit.* Et ante eum D. Ambrosius. *Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit.* Et alibi clarius. *Hoc fecit causa salutis nostræ, vt rem viliem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret, vt iisdem vestigijs quibus ad fidem currimus, ad abstinentiam graderemur.* Accedit ad hos omnes Gregorius Nazanzenus, cuius

C

verba

In Epist. ad Philip. Homil. de laudibus ieiunij.

In cap. 58. clia.

Homil. 1. in Gen.

Epist. 119 cap 15.

Serm. 34 & 37. Orat. in S. Lauacri.

Orat. in S. Lauacrum.

verba postea proferemus. Sed hoc tanto veterum consensu penitus despecto, Calvinus negat profus temperantię documentum suo Quadragesimali ieiunio Christum dedisse.

r. Caluini  
argumen-  
tum.

Nunc intellecta hominis impudentia, cauillationes audiamus. *Qualis enim, obsecro, illa abstinentiæ virtus fuisse, cibum non gustare, ad quem appetendum nulla eum esuries mouebat? Certum est enim & clarè Evangelistæ pronuntiant non aliter eum tulisse in ediam, quàm si carne non fuisse indutus. Quare mera stultitia fuit, ieiunium Quadragesimæ ut vocant, ad Christi imitationem instituerè. Hæc ille, vbi & omnes Patres citatos, totamque Catholicam Ecclesiam, quæ his annis 1500. ieiuniū Quadragesimale summā semper religione obseruauit, mera stultitiæ arguit, & Christum ipsum nullam abstinentiæ virtutem in 40. dierum ieiunio exercuisse pronuntiat: in vno arrogantissimus, in altero impius ac blasphemus. Si enim nullam abstinentiæ virtutem exercuit Christus, ergo aut falsum est, quòd tot diebus ieiunauit, aut ieiunium non significat abstinentiam. Non solum in deserto fuit diebus 40. sed & tot diebus in deserto ieiunauit. Caluini ratio allata quam solam premit, locum haberet, si solum tot diebus in deserto latitasset ab hominum conspectu remotus, & moderato victu vsus, in quo ieiunium Calvinus ponit, vt postea ex eius verbis ostendemus. Nunc autem non solum in deserto tot diebus fuit ab hominum conspectu remotus, & vt Marcus ait, erat cum bestijs, sed præterea, vt Matth. ac Lucas narrant, totidem diebus ieiunauit. At (inquit Calvinus) nulla eum esuriestoto illo tempore ad cibi appetitum mouit. Nulla erat igitur abstinentiæ virtus. Primum vera est abstinentiæ virtus vbi nulla cibi fames est, si famem illam non ventris repletio, sed animi*

Infra cap.  
6. ver. 18.  
Marc. 1.

Abstinen-  
tiæ virtus  
sine fame.

animo contemplatio & altiorum rerum meditatio tollit. In huiusmodi enim tametsi nulla fames vrget; quia animus ad alia & meliora intentus est: tamen natura laborat, exterior homo corumpitur, corpus castigatur & maceratur. Magna abstinentiæ virtus est cum omnis alimenti subtrahtione soli Deo vacare, solius animi muneribus fungi. Christus ergo tot diebus ieiunans tametsi numquam esurierit, diuinam tamè quandam abstinentiæ virtutem exercuit. Deinde quanquam dicant Evangelistæ quòd post 40. dierum ieiunium postea esurijs, non tamen inde efficaciter probatur, quòd toto reliquo tempore non esurierit: facile enim intelligi potest ideo dictum esse Christum post illud tempus esurijsse, quòd eo demum tempore per modum esurentis se gesserit, cibumque ad comedendum optauerit, aut etiam aliquo externo opere se optare & querere ostenderit: vnde diabolus qui interna non videt, tentandi occasionem captauerit, vt lapides in panes conuerteret. Certè qui Christum toto illo tempore non esurijsse existimant, vt Hilarius & Chrysostomus, idem de Moyse atque Helia censent, quorum tamen ieiunium veram fuisse abstinentiæ virtutem negari non potest. An verò martyrij virtus illa non est, vbi varia corporis tormenta absque dolore martyr excipit, siue ex incredibili charitatis affectu (quod in amore etiam carnali cernitur, vbi cum voluptate labores tolerantur) siue ex admirabili diuini Spiritus consolatione, quod de S. Laurentio alijsque S. martyribus dubitari vix potest, qui se in medijs cruciatibus dulcissimo rore aspergi profitebantur? Sed vt in illis vel immensa illa charitas vel diuinæ consolationis affluentia martyrij virtutem ac meritum non sustulit, quia animo &

proposito accesserunt omnia pro fide tolerandi, sic neque Christi neque Moyses aut Helię ieiunia vera abstinentie virtute carebant, tamen nullam fortē famem senserint, quia animo & proposito ab omni cibo abstinenti, & consequenter quamlibet famem naturaliter inde consequentem sustinendi, ieiunium illud susceptum est; ut autem non esurirent, diuina protectio & altissimarum rerum contemplatio in causa fuit. Christus enim,

Homil. 13  
in Matth.

ut rectē notauit Chrysostomus, *ultra 40. dies ieiunium non extendit, ne incredibilis videretur carnis assumptio.* Caluinus autem impudenter affirmat, *certum*

Caluini  
impudentia  
in afferenda  
Scriptura.

*esse & clarē Euangelistam pronuntiare quod non aliter tulerit Christus mediam quam si carne non fuisset indutus.* Nihil tale Euangelista pronuntiat, & certum est Christum ita ieiunasse ut hominem vera carne indutum possibile erat, sicuti videlicet Moyses & Elias vera carne induti, sed diuina protegente gratia totidem diebus ieiunauerunt, *idque etiam non esurientes*, ut scribit Hilarius. Ita eius argumentū præter præcipitem arrogantiam & apertam impietatem superius notatam, crasso quoque flagrat mendacio. Cætera nunc breuius expendamus.

Can. 3. in  
Marth.

*Neque (inquit) maior hodie ratio est, cur hoc Christi exemplum sequamur, quam fuit olim sanctis Prophetis & alijs patribus sub lege imitari Moyses ieiunium.* Quali verō aut Christo æquiparandus Moyses, aut eadem Synagoga quæ Ecclesiæ perfectio, aut denique Moyses ad imitandum propositus fuerit sicut Christus, de quo Paulus dicit, *Estote imitatores mei, sicut & ego Christi.* Sanè nec sancti Prophetæ nec alij Patres sub lege imitatores Moysi esse debuerunt, sicut nos imitatores Christi esse debemus. Iudaici spiritus hoc argumentum est. Sequitur aliud,

3. Caluini  
argum.

*Quid simile habent cum filio Dei, qui per Quadragesimam quotidie*

*quotidie vescuntur? Respondebit doctissimus Græcorum Theologus Gregorius Nazanzenus. Christus ieiunauit ante tentationem: nos ante Pascha. Ieiunium vnum idemque est, at vtriusque temporis non parua est differentia. Ille totos 40. dies à cibo abstinuit, utpote Deus: nos autem ad virtutum nostrarum modulum ieiunium attemperauimus. Imitamur ergo Christum, sed pro modulo nostro. Et vide absurdissimū cauillatoris argumentū. Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum ut*

Orat. in S.  
Lauacrū.

*& nos sequamur vestigia eius. An debemus ergo omnes crucifigi, omnesque illas & contumelias & pœnas pati quas Christus passus est, ut sequamur vestigia eius? Dicit Paulus. Si compatimur, conglorificabimur.*

1. Pet. 2.

Rom. 8.

An ille solus compati cū Christo dicetur, qui tantundē & idē passus est quod Christus pertulit? Dicit rursus Paulus. *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, et ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit vos.* An ut hæc imitatio fiat, necesse est ut tantum quilibet proximos diligit quantum Christus nos dilexit? An non in his omnibus ad viriū nostrarum modulū imitatio facta laudabilis est? Addit ad-

Ephes. 5

4. Caluini  
argum.

*huc, quod nec Christus nec Moyses quotānis solemnī ieiunio defuncti sunt: sed vterque semel tantū tota vita. Cui respondemus quod satis erat Christo semel ieiunasse, & semel tentatū esse, ut exemplum nobis daret frequentis ieiunij & frequentis pugne contra diabolū. Moyses autem propter bis acceptas tabulas 40. diebus bis ieiunauit. Deinde respondemus quod Christus semel mortuus est, & mors illi ultra non dominabitur. Nos tamen complantati similitudini mortis eius, quotidie morimur propter gloriam eius, & mortificamur tota die sicut oues occisionis. Hæc sunt ficulnea & nugatoria Caluini argumenta, propter quæ summae stultitiæ vniuersam Christi Ecclesiā arguat, & ut alter Goliath exprobet agminibus Dei Israel.*

Caluini  
atrox &  
procax  
accusatio  
sed ridi-  
cula.

Sic enim statim infert. *Impium & detestabile Christi ludibrium fuit, quo se ad eius regulam fittitio suo ieiunio formare tentarunt.* Ita iuxta Calvinum impium & detestabile Christi ludibrium est, si quis ad regulam Passionum Christi si fittitij suis passionibus se formare tentabit: Impium & detestabile Christi ludibrium erit, si quis ad regulam dilectionis Christi, si fittitij sua dilectione se formare conatur: Impium denique & detestabile Christi ludibrium erit, si quis ad regulam imitationis Paulinæ, si fittitij sua emulatione Christum imitari contendat. Hæc ille impius & detestabilis hæreticus ad totius pietatis ludibrium impiè & detestabiliter docet.

Sed alias adhuc eius furias proferamus. *Quòd opus meritorium & partem esse pietatis & diuini cultus sibi persuadent, pessima est superstittio.* Calvinij insanam hæresim Euangelium refutat, quum & ieiunio mercedem à Deo Patre reddi Christus doceat, & Annam viduam ieiunijs Deum coluisse disertè affirmet. Quibus in locis reluctantem veritati Calvinum nullo negotio profigabimus. Addit hoc loco Calvinus. Sed hæc *in Deum contumelia est minime toleranda, quòd singulare eius miraculum obscurant: deinde in Christum, quia suum illi insigne detrahentes, eius spolijs se vestiunt.* Si Christi ieiunium Quadragesimale nostra imitatione obscuratur, Passio quoque Christi gloriosa nostrarum passionum imitatione obscurabitur, & sic Petrus ac Paulus contumeliam in Deum minime tolerandam docuerunt: maximè Paulus, qui ausus est dicere. *Adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi in corpore meo, pro corpore eius quod est Ecclesia.* An non clamaret hic Calvinus contumeliam in Christum minime tolerandam Paulum protulisse, quia Passionis suæ maximum insigne

Matth. 6.

Luc. 2.

Amplif-  
satio Cal-  
uiniana  
ridicula &  
puerilis.

Coloss. 1.

insigne detrahens, eius spolijs se vestiuit?

Sed necdum insanandi finis. *Tertio* (ait Calvinus) *in Euangelium sit contumelia, cui non vulgaris detrahatur auctoritas nisi hoc Christi ieiunium eius sigillum esse cognoscitur.* Atqui quanto magis ipsa Passio dominica totius Euangelij sigillum est, de qua Paulus dices *semissum esse non baptizare, sed euangelizare, & explicans quid euangelizare, subiunxit: Non insipientia verbi, ne euacuetur crux Christi. Nos autem prædicamus Christum crucifixum.* Si ergo ieiunij dominici imitatio Euangelio, cuius sigillum esse dicitur, non vulgarem auctoritatem detrahit, quanto magis Passionis Dominicæ imitatio Euangelio, cuius illa potissimum sigillum est, non vulgarem auctoritatem detrahet? Sic authore Caluino Petrus & Paulus, qui hanc imitationem docuerunt, Euangelicæ dignitati non vulgariter detraxerunt. Audiamus tamen quomodo hoc vltimum amplificat Calvinus. *Singulare* (inquit) *miraculum Deus edidit quom. Filium suum exeruit à necessitate edendi.* Certè non magis, vt videtur, singulare, quam in Moyse & Elia prius ediderat. Demus tamen magis hoc in Christo singulare fuisse. *Annon* (inquit) *insana audacia emulantur Deum, qui idem sua virtute affectant?* An non verò insana hæc est Caluini audacia, in paucis verbis duo strenua proferre mendacia? Nec enim *idem ieiunium* quod Christus peregit, *affectant* Catholici, qui quotidianam refectionem accipiunt, *nec sua virtute, sed Dei gratia & adiutorio* quaecunque suum ieiunium, pro suo modulo Christum imitantes peragunt. Ita hic dupliciter mentitus Calvinus est.

Baccharur adhuc. *Diuina gloria insignitus fuit Christus per ieiunium. An non sua gloria fraudatus in ordinum cogitur, quum se illi socios cuncti mortales permisceret?* Mul-

1. Cor. 1.

Caluini  
duo men-  
dacia in  
vna sen-  
tentia.

to verius & fortius diuina gloria insignitus fuit  
 Christus per suam gloriosam Passionem. In hac  
 enim *Pater clarificauit eum, & ipse clarificatum se fore*  
 prædixit. In hac *exaltatus à terra omnia traxit ad seip-*  
*sum. Propter hæc dedit illi Deus nomen quod est super*  
*omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cæ-*  
*lestium & terrestrium & infernorum.* An non ergo (si  
 Caluini argumentum bonum est) gloria sua frau-  
 datus in ordinem cogitur, quum se illi compa-  
 tiendo, & vestigia passionis eius sequendo, cuncti  
 mortales permiscerent? Facit tandem gariendi  
 finem Caluinus, & idem quod dixerat repetens  
 hanc declamationem concludit. *Hunc ieiunio Christi*  
*finem statuit Deus vt Euangelium obsignaret. Qui in alium*  
*vsu transferunt, an non tantundem imminuunt ex Euan-*  
*gelij dignitate? Facessat igitur ista κακοῦνία, quæ &*  
*consilium Dei & totum eius operum ordinem peruertit. Re-*  
*petamus & nos quod antea respondimus. Hunc*  
*Passionis Christi finem statuit Deus, vt Euan-*  
*gelium obsignaret, vt omnes Euangelicas promif-*  
*siones in ea terminaret atque præstaret, vt san-*  
*guine illic effuso testamentum nouum confirmaret, & il-*  
*lo sigillo apposito omnia consummaret. Qui in alium*  
*vsu transferunt, & ideo passum esse Christum do-*  
*cent vt nobis exemplum daret sequendi vestigia eius, vt*  
*compatiendo conglorificemur, an non tantundem im-*  
*minuunt ex Euangelij dignitate? Facessat igitur*  
 hæc Petri & Pauli κακοῦνία, quæ & consilium  
 Dei & totum eius operum ordinem peruertit. An  
 non pulchra hæc est & Archihæretico digna con-  
 conclusio? Atqui tanto fortius & certius ex Caluini  
 argumento hæc conclusio sequitur, quanto ve-  
 rius ac certius est, Passione Dominica Euan-  
 gelium obsignari, quàm ieiunio Christi Quadrage-  
 simali aliquam huiusmodi obsignationem factam  
 esse.

Joan. 11.  
 & 13. &  
 10.  
 Luc. 21.  
 Philip. 4.

Heb. 9.  
 & 5.

1. Pet. 2.  
 Rom. 8.

esse. Vehemens & accuratus in hac causa Calui-  
 nus fuit. Sed vana est sine viribus ira. Totam hæc  
 Caluini disputationem in sua (vt erat) Ecclesi-  
 astica expositione inseruit Marloratus, sicut & alia  
 omnia quæ in his Antidotis refutantur. Sed simi-  
 les habent labra lactucas.

## IN MATTHÆI CAP. 5.

6. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.*

**C**ORRUPTOR Euangelij Caluinus  
 inter alias Euangelicas Beatitudines hanc  
 imprimis corrumpit egregie. *Esurire* (in-  
 quit) & *sitire* per synecochem accipio pro laborare inopia,  
 destitui rebus necessarijs, iure etiam suo fraudari. Quod  
 Matthæus ponit, *esurire iustitiam*, species est pro genere, ac  
 si dixisset, *Beati sunt qui licet votis suis moderentur, vt tan-*  
*tum sibi præstari quod iustum & equum est cupiant, tan-*  
*quam famelici nihilominus languent.* Hæc ille, perpe-  
 tuum & constantem omnium interpretum sensum  
 refugiens, quia beatitudinem ex veræ iustitiæ ac  
 sanctitatis desiderio spirituali, quâ hic locus ma-  
 nifestè docet, ille iuxta solius iustificantis ac bea-  
 tificantis fidei doctrinam penitus aspernatur. Sed  
 sensum quem ille fingit, absurdissimum esse, sola  
 promissio adiuncta demonstrat, qua Christus di-  
 cit: *Quoniam ipsi saturabuntur.* Homines enim ino-  
 pia laborantes, & rebus necessarijs destituti, non  
 saturantur, sed exercentur à Deo; nec terrenarum  
 rerum copia donantur, sed diuinis consolationi-  
 bus recreantur: iuxta præcedentem beatitudinem.  
*Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Nec Chri-  
 stus hoc loco saturitatem aliquam temporalem quæ  
 huiusmodi fami & languori opponitur, qualem  
 C 5 fingit

Scripturæ  
 corruptela  
 manifesta.

fingit Calvinus, pro aliqua beatitudine proponit; sed spiritualia sunt omnia quæ Christus hic promittit, & à carnis sensibus remota. Denique esurientes & sitientes temporalia bona quibus inopia eorum subleuetur, miseri sunt, non beati, nec saturantur talibus qui talia appetunt, sed eorum affluentia sitim & famem magis auget. Cæterum famem ac sitim iustitiæ Scripturæ laudant & saturari à Deo docent. Sic enim Christus alibi dixit. *Qui venit ad me, non esuriat, & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Rursum alio in loco. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei (id est acceperit de Spiritu quem ego effundo in credentes) non sitiet in æternum,* id est, saturabitur iustitia. Denique hanc esuriam & sitim tanti fecit Propheta regius, ut ipsam per se in magno bono posuerit. Ait enim. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in æternum.* Ad quæ verba August. *Nihil (inquit) impedit quominus habeantur iustificationes Dei, nisi quia non desiderantur.* Quare alibi Christus clamat. *Omnis qui sitit, veniat ad me.* Venire enim ad Christum & saturari iustitia nemo potest, nisi qui vehèmenti iustitiæ & pietatis desiderio tenetur: & hoc est quod Christus hoc loco docet, promittens saturitatem iustitiæ esurientibus illam, iuxta diuæ virginis Canticum. *Esurientes impleuit bonis: quod multis verbis Esaias amplificat. Ecce serui mei comedunt, & vos esuriatis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: & quæ sequuntur.* A tota hac saluberrima doctrina, ne vitæ sanctitas ac iustitia in folius fidei præiudicium commendari à Christo videatur, lectoris animum impostor Calvinus auertit.

Iustitiæ  
desideriū  
in Scrip-  
turis lau-  
datum.  
Ioan. 6.  
Ioan. 4.

Psal. 118.

Cōc. 8. in

Psal. 118.

Ioan. 7.

Luc. 1.

Cap. 65.

8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

**N**E FARIUS Calvinus, qui omnem cordis mundiciæ negat, ut omnia iustorum opera immunda semper esse & contaminata defēdat, exponit hoc loco, *mūdos corde à Christi* Scripturæ corruptela affectata. *hic vocari qui nō delectātur astutia, sed sincere versantur inter homines, nec aliud verbis aut vultu præ se ferunt quàm agūt in corde.* Tales autem Deum viuros exponit, *quia si perspicaces non sunt ad fallendum in terra, Dei conspectu in cælis fruuntur.* Hæc ille. Est hæc affectata & studiosa Scripturæ Euangelicæ corruptio. Nulla enim hic consequentia, nulla coherentia est, ut simplices & minus perspicaces in hac vita Dei visione fruantur in cælo, siue per modum mercedis, siue ex idoneitate & apta dispositione alterum ex altero cōsequi ponas. His adde quod idiotæ clarius Deum viderent quàm Apostoli & Ecclesiarum doctores sanctissimi. Nec vsquam in Scripturis qui sincerè versantur inter homines, mundo corde vocantur. Mundum cor in Scripturis internam mentis puritatem, & innocentiam generalem significat ab omni prava cupiditate alienam. *Quis ascendet in montem Domini, & stabit in loco sancto eius? Imocens maribus & mundo corde: j. qui nec opere nec cogitationis consensu in Deū aut proximū peccat.* Rursum: *Pacē sequimini cū omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Per sanctimoniam significatur non solum puritas mentis à carnis spurcitijs, sed etiam generalis animæ puritas ab omnibus inquinamentis carnis & spiritus. De qua Esaias. *Lauamini mundi stote, auferite munda* Esai. 1. *lum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* & D. Iacobus

Mundum  
cor in  
Scripturis  
quale.  
Psal. 23.

Hebr. 12.

Esai. 1.

8. *Beati*

bus

Iacob. 4.

Psal. 50.  
Munditia  
cordis in  
hac vita.

Prouer. 20

Iacob. 3.

Iacob. 2.

I. Ioan. 3.

Heb. 9.

bus. Purificate corda vestra duplices animo: j. qui Deum & mundum diligere vultis, quæ simul diligi nequeunt. Talem munditiam petijt David à peccatis resurgens. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Tamen autem non fit in hac vita absoluta cordis munditia & puritas iuxta illud: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* tamen est aliqua munditia fragilitati nostræ possibilis, & ad videndum Deum idonea, quando, licet in multis offendimus omnes, ab illis tamen criminibus abstinemus de quo genere idem dixit, *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Et si enim nemo sit purus à peccato leuiori & quotidiano, à grauioribus tamen puri esse possumus & debemus, vt fiduciam videndi Deum habeamus, iuxta illud Ioannis. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Vnde eodē cap. quum dixisset. *Vidimus eum sicuti est,* modū videndi subiunxit. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est.* & paulo post. *Omnis qui peccat, nō videt Deum, nec cognouit eum.* Tenenda igitur firmiter contra corruptiones hæreticas hæc sana doctrina de cordis nostri munditie, non solum vt finire cum hominibus versemur, sed etiam ab omni peccati labe mundi simus, quia *sanguis Christi emundauit conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruendum Deo viuenti,* ait Paulus.

(. . . . .)  
(. . . . .)  
(. . . . .)

12. Quo-

12. Quoniam merces vestra copiosa est in caelis.

CATHOLICAE Ecclesiae doctrinam de meritis operum ex hoc loco euidenter stabilitam, suggillat Calvinus his verbis. *Quod Papistæ in nomine mercedis ludunt, nullo negotio hic fucus diluitur. Neque enim, vt somniant ipsi, mutua est relatio inter mercedem & meritum, sed gratuita est promissio mercedis. Deinde si reputamus quam mutilum sit ac vitiosum quicquid bonorum operum etiam ab optimis prodit, nullum vnquam opus inueniet Deus mercede dignum.* Hæc ille. Sed huic duplici cauillo facile responderetur. Est quidem promissio Dei gratuita; promissione autem semel facta, retributio non est gratuita, sed debita: non quia nobis Deus aliquid debet, sed quia eius quod gratuite promisit, debitor factus est, & seipsum negare non potest. Iustorum opera in pura charitate facta, maxime tolerantia persecutionis pro fide, de qua Christus hic loquitur, non sunt vitiosa, sed mercede digna, quatenus à Spiritu gratiæ proficiuntur, & sua dona coronat Deus. Vide plura in opere nostro de iustific. lib. 11. cap. 3. & seqq.

Merita  
bonorum  
operum.

14. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi

15. super montem posita.

EX his verbis in hunc modum colligunt Catholici. Si Ecclesia est lux mundi vt homines ab ignorantia tenebris ad fidei lunæ traducat, ergo visibile corpus est, nec deleri potest; sicut sol lux mundi, vt homines suo lumine fruantur, extingui non potest. Sed est hæretica expositio quæ hanc demonstrationem refellere

Ecclesia  
visibilis.



Gul. Fulco  
de success.  
ecclesiast.  
cap. 2.

lere conatur. *Ecclesia* (inquiunt) *est lux mundi: sed non est satis esse lucem ut videatur: neque enim lapis solem videt. At mundus impiorum non magis cernit quam lapis, nisi oculos aperiat gratia. Ecclesia ergo, utcumque sit lux mundi, non nisi pijs & electis suis est visibilis.* Responde. *Ecclesia est lux mundi per participationem, sicut Christus erat lux mundi per se & suam plenitudinem. Sicut ergo Christus ut pro vero Filio Dei agnosceretur, non nisi oculis fidei videri potuit, sed ut homo in terris conuersatus tam ab impijs Iudeis quam a pijs cernebatur: sic Ecclesia ut pro vera Christi sponsa & columna veritatis ac matre fidelium agnoscat, non nisi oculis fidei videtur; sed ut est hominum collecta congregatio pertorum orbem diffusa Christi nomen profitentium, eatenus non à credentibus tantum, sed & ab incredulis & impijs cernitur: ab his ut ad fidem & veritatis cognitionem perueniant; ab illis ut in sana fide nutriantur ac conferuentur. Rursum impius est qui non audit Ecclesiam, & pro ethnico ac publicano habendus. Sed quomodo ille audire eam potuit, qui eam videre non potuit? At verò quemadmodum Christus dixit, *Et viderunt me & oderunt me & patrem meum;* sic impij siue ethnici, siue hæretici, siue mali Catholici, qui audire Ecclesiam & eius disciplinæ subiacere nolunt, & vident Ecclesiam, & oderunt eam?*

Matth. 18,

Ioan. 15.

*Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Hæc verba quantum valeant ad Ecclesiam Christi visibilem & illustrem demonstrandam, & quoties S. Augustinus contra Donatistas in eum sensum illa tractauerit, in Prompt. Cath. Dom. 24. post Pentec. circa finem accuratè tractauimus, idèoque nihil hic repetimus. Sed vni adhuc hæreticæ corruptioni occurrendum est. *Ciuitas* (inquiunt)*

Fulco  
ibidem.

super

*super montem posita non Ecclesiam, ut alicubi Augustinus, sed Ecclesie Pastores, ut Chrysostomus, alijque sanius interpretantur, designat: quorum vita suis in exemplum proposita non magis latere potest oculos discipulorum, quam ciuitas super montem sita eos qui circumquaque in propinquo habitant. Cæterum qui Pastores Ecclesiarum hic intelligit, populum credentem necessariò includit. Non enim sunt Pastores sine plebibus, vnde D. Cyprianus Ecclesiam definiuit esse, *gregem Pastori suo adunatum.* Est igitur Ecclesia tota ciuitas super montem posita, collectio fidelium super Christum ædificata; sed in ea ciuitate magis eminent & conspicui sunt pastores, tanquam turres & propugnacula eius. Et horum quidem vita credentes latere non potest, sed ideo non latet vita, quia personæ conspicuæ sunt, & huiusmodi quæ latere nequeant. Vitæ & probitatis lucem vrgent hæretici, personarum lucem agnoscere nolunt. Sed utramque sic docet Christus, ut ex personarum claritate, vitæ honestissimæ lucem inferat; & ideo lucere iubeat eorum opera, quia tanquam ciuitas sunt in monte posita quæ abscondi non potest, videlicet propter statum & officij altitudinem quam tenet. Valet igitur optimè frequentissima Augustini disputatio, Ecclesiam Christi temper esse mundo visibilem & conspicuam, sicuti & Christinomen erit; quia in hoc altissimo monte, qui Christus est, positi sunt, id est, illius locum & auctoritatem tenent, eius legati ac ministri sunt, eius personam referunt, & potestatem exercent.*

(..)

Lib. 1.  
epist. 3.

13. *Vos estis sal terræ.*

**C**ORRUMPIIT hunc locum Calvinus hoc modo. *Quod proprium* (inquit) *est doctrinæ ad personas transfertur, quibus commissa est eius administratio.* Moxq; impotenter in Catholicos inuehitur, qui ad Ecclesiarum Episcopos ista accommodant. Cæterum ad personas ipsas Apostolorum & successorum eorum Christus loquitur. Ipsos esse ait sal terræ: ipsos ait infatuari posse & nihil ultra valere, sed cõculcari, etc. Doctrina ipsa veritatis infatuari non potest, sicut nihil ultra valeat. Quantum eumque enim à falsis magistris contaminetur, eius tamen puritas illibata manet: nec nostrum affirmare vel negare aliquid ponit inrè. *Euangelium est virtus ad salutem omni credenti, ut cūque hæretici conuertant & peruertat illud.* Verum quid est, Apostolos & eorū successores non nisi ratione veræ doctrinæ quam docent, *salem esse terræ*: ipsi tamen sunt qui docendo terram saliant. j. qui vel putrida hominum corda sapore veræ fidei condiunt & vitæ restitunt, vel sanas iam hominum voluntates puritate doctrinæ conseruant. Doctrina sine doctoribus muta litera est, & materia informis, nec salienti vllam vim habet. Sicut Rex hoc differt à tyranno, quod non nisi secundum leges & æquitatem regnum administrat, Reges tamè ipsi non leges, Rempub. regere, administrare, in officio continere, propriè dicuntur; sic verus pastor à lupo in hoc differt, quod non nisi veram & sanam doctrinam administrat, Pastores tamen ipsi (non eorum doctrina) pascere dicuntur, & propriè pascunt, ideòque *sal terræ* sunt. Hæretici à personis ad doctrinam confugiant,

Rom. 1.  
Gal. 1.

Pastores  
sunt sal  
terræ.

fugiant, vt ouiculas Christi à Pastoribus abdu-  
ctas sub specie veræ doctrinæ lupis committant,  
vel vt seipfos pro lupis gerant, & *abducant discipulos post se.*

Corrup-  
tæ Cal-  
uinianæ  
scopus.  
Actor. 20.

17. *Non veni legem soluere, sed adimplere.*

**P**RODIGIOSA est hoc loco Caluini corruptio. Summā verborum Christi hoc esse vult. *Hic* (inquit) *de doctrina agitur, non de vita.* Nam quoad doctrinam nulla nobis in Christi aduentu fugienda est legis abrogatio. Rursum. *Sensus clarus est, reiectum iri tanquam postremos hominum, qui legis doctrinam vel in vna syllaba contemptibilem reddunt.* Hæc ille. Christus igitur in sensu Caluini legem nō soluit, sed adimplet, quia eius doctrinam non tollit, sed statuit & confirmat. vnde iterum addit. *Christus in Eccl. suā admittendos negat doctores, nisi qui fidi erunt legis interpretes, & integram eius doctrinam asserere studebunt.* Hæc ille. Obedientiā legis & executionem à Christo hoc loco doceri nō admittit Calvinus, sed tantummodo vt promulgato Euangelio lex quoque mandatorum doceatur quidem & fideliter explicetur, opere tamen aut à nullo impleatur, quia à nullo impleri potest, aut non necessario impleri debeat. Nam propterea libertatē non implendi legem, quā Calvinus sibi arrogat, cum his Christi verbis non pugnare, hoc ipso in loco Calvinus ait. *Quod* (inquit) *abrogata maledictione legis seruitus quoque eius est sublata, & parta fidelibus libertas, nihil inde legis doctrinæ deccedit.* Hæc ille, libertatē statuens non qua lex liberè & ex dilectione impleatur, quæ est vera fidelium libertas; sed qua ad legis executionem fideles nō obligentur. Quam etiam ob causam, illa Christi verba, *Non præter-*

Legem  
quomodo  
Christus  
adimpler,  
nō soluit.

Iuxta  
Caluinū  
docer tan-  
tum, non  
obligat.

D  
lie

bit apex à lege donec omnia fiant, exponit Calvinus, istud fieri, non referri ad hominum vitam, sed ad solidam doctrinæ veritatem. Moxque illa Christi verba, *Qui igitur soluerit vnum ex mandatis istis minimis, &c.* vbi de præceptis vitæ agi fateri cogitur, sic exponit. *Ad præceptorum Dei præscriptum omnes Dei filios vitam suam formare docet: & eos probos esse Dei ministrum docet, qui legis observantiam tum vitæ exemplo tum verbis commendat.* Hæc ille. *Dei filios docere ait vt præcepta seruent, non autem oportere, aut ad istud obligari. Probos Dei ministros legis observantiam commendare patitur, non autem vt ad salutem necessariam Dei nomine præcipere & præscribere.* Postremò propter hoc vnum, *legem cum Euangelio non pugnare docet, quia legis præcepta Euangelium quoque docet & commendat, tanquam quæ decant filios Dei.*

Sed totam hanc impietatem Calvinianam, sola illa Christi verba, *Qui soluerit vnum ex his mandatis minimis, minimus vocabitur in regno celorum,* apertissimè refutant. Quam enim illic nominatim loquatur Christus de præceptis vitæ, siue de decem mandatis, vt Calvinus disertis verbis fateretur, minimus autem in regno celorum, nullum & abiectum significat (vt Calvinus ipse exponit, tamen regnum celorum non nisi pro Ecclesia præsentia accipiendum velit) necessariò sequitur observantiam ipsam & executionem legis tanquam ad salutem necessariam à Christo hoc in loco commendari. Nullum enim vel abiectum esse in Ecclesia, hominem à salute pro tempore extorrem significat. Ceterum si regnum celorum pro futura beatitudine accipiatur, sicuti in sequenti sententia (*non intrabitis in regnum celorum*) manifestè accipitur, sequitur magis, præceptorum legis transgressorem ab æterna salute excidisse. Deinde Christus aper-

Legem  
seruari de-  
cet iuxta  
Caluini,  
nò oportet.

Refutatur  
Caluini  
dementia  
ex ipso  
Caluino.

apertissimè non de doctrina tantum, sed etiam de actuali executione legis hoc loco disputat. Ait enim. *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum.* Vbi magistros in Ecclesiam suam Christus admittit (manendo in sensu ipsius Caluini quòd regnum celorum non nisi Ecclesiam præsentem significat) non solum qui fidei erunt legis interpretes, & integram eius doctrinam assunt, vt Calvinus explicauit, sed qui seduli erunt legis factores, & integram eius obedientiam exequentur. Imò factores docentibus anteposit: *Qui fecerit & docuerit.* Sed Calvinus quia doctor quàm factor esse maluit, de doctrina hic agere Christum vult, non de vita: id est, non de modo & ratione viuendi, sed de ratione docendi.

Quomodo autem reuera Christus legem & Prophetas adimpleuit, melius nos docebit S. Augustinus. *Quia veniens Christus per Spiritum S. quem promisit, charitatem in manifestatione donauit, qua sola charitate iustitia legis posset impleri; propterea dixit, Non veni soluere legem, sed adimplere.* Rursum eiusdem libri cap. 30. *Vnde venit Dominus legem non soluere, sed adimplere, nisi vt perceptis promissorum figuris, quæ reddita veritate adimpletæ sunt atque sublata, ipsa quoque præcepta per nouitatem Spiritus implerentur in nobis?* Et alio in loco. *Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad Prophetiarum impletionem; & quia vtrumque per Christum, ideo non venit soluere legem aut Prophetas, sed adimplere.* Hæc ille eiusdem operis lib. 17. cap. 6. Idem docet in exposit. quarundam proposit. in epist. ad Rom. Sic etiam hunc locum exponit Chrysost. hom. 16 in Matthæum.

Contra  
Faustam  
Lib. 19.  
cap. 27.  
Legem  
Christus  
quomodo  
adimple-  
uit.

18. *Tota vnum aut apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

**Q**UIA hæc verba de legis mandatorum impletione Catholici intelligunt, ut plerique patres exponunt, & ipsæ maximè August. de ferm. Domini in monte lib. 1. cap. 15. & Retract. lib. 1. cap. 19. insurgit hæreticus, & infert vniuersam legem necessariò ab ijs esse seruandam, qui per legis obseruantiam iustificari volunt: quæ vniuersa obseruatio quia in nullo reperitur, ideo ex mandatorum obseruatione neminem iustificari posse. Sed respondendum est, totam legem mandatorum ad salutem & iustitiam consequendam etiam ad vnum apicem hoc sensu adimpleri per gratiam Christi, quia facit gratia Christi vt maiora mandata de facto impleantur, & ignoscit gratia Christi quæ circa minora mandata in quotidianis peccatis prætermittuntur, vt in opere de Iustificatione lib. 6. cap. 8. accuratè olim explicuimus. Sic August. hæc Christi verba pertractans ait, *illa quidem vehementem perfectionis expressionem continere, sed ea mensura perfectionis humane quanta in hac vita potest esse perfectio. Quare quum in cæteris Dei mandatis hoc vnum sit quod iubemur orare, Dimitte nobis debita nostra, profectò omnia madata facta deputantur, quando quicquid non sit ignoscitur.* Hæc ille. Rursum in Psal. 118. *In via Domini, id est, in fide pia quisquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut si quid à deuiante committitur, propter viam non imputatur, quia per orationem fidei ignoscitur, & tanquam non fuerit operatus accipitur.* Hæc ille. Nempe quia tota Iustitia hominis Christiani non in sola obedientia legis, sed etiam in remissione peccatorum consistit (vnde

Vniuersa  
lex quomodo  
adimplenda.

Retract.  
lib. 1.  
cap. 19.

Conc. 3.

vtraque

vtraque hæc pars in Scripturis Iustitia vocatur) fiunt omnia legis vsque ad vnum apicem, quia vel legi obeditur in grauioribus, vel omnis transgressio in leuioribus ignoscitur. Sed insurgit iterum hoc loco Calvinus & ait. *Prodigosus est eorum stupor, quos non pudet sacrilega indulgentia remittere quod Deus seuerè exigit, & venialis delicti prætextu legis iustitiã pessundare.* Hæc ille hoc loco. Sed venialis delicti prætextu legis iustitia non pessundatur, quia & venialia delicta à lege argui & contra legis iustitiam fieri docemus cum Augustino, & contra legis perfectionem ad quam contendere semper oportet, non autem contra reuerentiam necessariam faciunt; ideoque quam diu contra illa pugnatur, legis iustitia integerrimè seruatur, vt multis in locis Augustinus docet; maximè in lib. de perfectione iustitiæ. Vide opus nostrum de Iustificatione lib. 6. cap. 13. & seqq.

Lib. de  
nar. &  
grat. c. 12.

21. *Audistis quia dictum est antiquis, &c.*

**A**IT hoc loco superbus Calvinus, *deceptos esse multos veterum, qui putarunt hanc esse legis correctionem, ac Christum suos Discipulos in altiore perfectionis gradum extollere, quam potuerit Moyses populum suum.* Moxque multis verbis docet, legem in se perfectam fuisse, nullosque legis defectus hic à Christo corrigi. Postremò cõcludit, non esse fingendum Christum nouum legislatorem, qui ad eternam Patris sui iustitiam aliquid addidit, sed tanquam fidum interpretem audiendum esse. Cæterum Christum verè legislatorem fuisse, & ad eternam Patris sui iustitiam aliqua mandata addidisse, tum forma loquendi qua Christus hic vsus est, tum aliæ Scripturæ manifestè docet. Hic enim docens, *Ego dico vobis, suam præcipiendi*

Christus  
verè legis  
lator.

D 3 autho-

authoritatem ostendit, (dicendi enim verbum, ait ipse Calvinus, ad illa verba, *Diligite inimicos, denuntiare vel præcipere hoc loco significat*) quum reliqui Prophetæ nunquam sic locuti fuerint, sed: *Hæc dicit Dominus*. Vnde & postea sequitur in fine totius Concionis; *Cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turba super doctrinam eius. Erat enim docens eos sicut potestas tem habens, & non sicut Scribæ & Pharisei.* Quare legem quidē in multis interpretatur hic Christus, sed tum hanc ipsam interpretationem tanquam legislator promulgat (est enim legislatoris non tantum leges ferre, sed etiā eas interpretari) tum in quibusdam etiam corrigit legem veterem, ut

*De non dimittenda uxore nisi fornicationis causa, quum in ea liceret dimittere quavis ex causa, dato libello repudij; De non iurando iuramento, de diligendo inimicos: tum demum quædam veteris legis mandata ipse alio quodam modo mandat & iubet: quale illud est. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicuti eo loco explicabitur, Et iterum. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Et rursus sua mandata tantopere urget, ut dicat: Vos amici mei eritis, si feceritis que ego præcipio vobis. Si præcepta mea servaueritis, manebitis in dilectione mea. Postremò Apostolicæ legationis hæc summa erat: Docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quecumque mandavi vobis. Quare hanc insanam Caluini arrogantiam negantis contra veterum hoc loco doctrinam Christum esse legislatorem, Concilium Tridentinum iusto anathemate percussit. Alias probationes vide apud Andream Vegam de Iustificat. lib. II. cap. 7.*

Infra  
Math. 7.

Christus  
corrigit  
legem ve-  
terem.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Math. 28

Seff. 5.  
can. 21.

23. Si offers munus tuum ad altare.

**D**ICIT hoc loco Calvinus, *Christum pro illius seculi ratione de sacrificijs loqui, hodie dissimile esse nostram conditionem.* Sed ut Christi doctrina eadem ac perpetua omnibus seculis sit, nec ad illud solū tempus restringatur quo Iudæorum sacrificia ad Dei cultum pertinent (quo nihil magis absurdum) necessario factum est non solum in quolibet pio opere ad Dei cultum destinato hanc legem valere (qui tantum tropologicus est huius loci sensus) sed Christum ad literam de futuro in Ecclesia sua sacrificio externo (quod hæretici hodie agnoscere nolunt) hanc legem tulisse. Nam & nos habemus altare, de quo edere non possunt, qui deseruiunt tabernaculo, ait Paulus: de quo etiam sacrificio dicit: *Probet seipsum omnis homo, & sic de pane illo edat, &c.* Summa autem probationis pars est, ut omnis cum fratre similitas penitus aboleatur: quod hic imprimis Christum spectasse veteres interpretes annotarunt, Chrysost. homil. 16. vbi ait. *Audiant hi qui sacris mysterijs initiati, cum inimicitijs ad communionem altaris accedunt.* Rursum hom. 11. operis imperfecti. Hilarius in Matth. Can. 5. & Augustinus lib. 1. cap. 20. de hoc serm. Domini in monte.

Sacrificiū  
in Eccle-  
sia exter-  
num.  
Heb. 13.

1. Cor. 11

26. Non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem.

**D**E BACCHATUR hoc loco prolixè Calvini contra Catholicos modernos, qui in perpetua huius loci allegoria purgatorium fabricant, quod ut inveniunt, Diabolo fratres & amicos illos esse oportere ait, quia aduersarium hoc loco Diabolum exponunt. Sed caprio-

Catholi-  
corum ac-  
cusatio  
immerita.

D 4 sus

fus hæreticus aduertere debuit primùm paucissi-  
 mos hodie esse qui hunc locum eo modo expo-  
 nant. Deinde eos qui ad purgatorium ea verba  
 accommodant, aduersarium hoc loco non pro  
 diabolo accipere, sed pro spiritu qui concupiscit  
 aduersus carnem, vel pro Dei præcepto quod  
 peccatoribus aduersatur, de quo vide August. de  
 ferm. Domini in monte lib. 1. cap. 22. Tertio hanc  
 expositionem à veteribus accepisse, à Tertullia-  
 no in lib. de resurrectione carnis, & in fine libri  
 de anima, & à Cypriano lib. 4. Epist. 2. Postremò  
 & imprimis veteres Patres hunc locum ad pur-  
 gatorium accommodasse, non quòd in eo vel solo  
 vel potissimum purgatoriũ fabricarent aut fun-  
 darent, sed quòd ad dogma fidei receptissimum  
 comprobandum hanc Scripturam adferrent, ta-  
 meti vel obscurior esset quàm vt sola certã fidem  
 faceret, vel etiam alium sensum verum habere  
 poterat, sicuti multas alias Scripturas in hoc ipso  
 dogmate alijsque certæ fidei dogmatibus Patres  
 adferre solent. Huiusmodi sunt, quòd Ambrosius  
 versatilem rotam phæam flammeã ante Paradisum  
 positã scribit significasse ignem futuri seculi om-  
 nes examinantem, & eos exurentem qui paleam  
 cum tritico adiunctam deferunt: item quòd Au-  
 gust. ex illis verbis Psal. 37. *Neque in ira tua emendes  
 me* (sic enim legit pro eo quod nos legimus, *corrip-  
 bias me*) ait Dauidem deprecari *pœnas emendatorias  
 futuri seculi*. Item quòd Basilius illa verba Ioan-  
 nis, *Ille baptizabit vos in Spiritu S. & igne*, interpreta-  
 tur de igne in altero seculo purgantem. Vel denique  
 quòd Origenes verba Psal. 76. *Trāsuimus per ignem  
 & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*, ad futuri secu-  
 li examen referat, & eorum, qui purgatione indi-  
 gent, purificationem. Ex huiusmodi veterum in-  
 terpre-

Scripturæ  
 per accõ-  
 modatio-  
 nem à Pa-  
 tribus ex-  
 plicatæ.

Sermo 20.  
 in Psal. 118

Enarrat. in  
 Psal. 37.

In lib. de  
 Spiritu S.  
 cap. 13.

Homil. 25  
 super Nu-  
 merum.

terpretationibus, tametsi Scripturæ alium sensum  
 primarium ac verum habeant, illud tamen con-  
 stat, doctrinam de purgatorio fidei dogma recep-  
 tissimum apud illos veteres fuisse, ideòque Scri-  
 pturas perperam non exponi, tametsi minus ac-  
 commodatè, quando ad certũ aliquod fidei dog-  
 ma applicantur. Atamen quomodo & quatenus  
 hic locus de purgatorio exponi possit, vide apud  
 Belarminum.

28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum in ea, iam  
 machatus est in corde suo.*

**C**ATHOLICAM doctrinam de venia-  
 libus peccatis, quæ ab imperfectione  
 actus ita vocantur, seu de pravis deside-  
 rijs ac motibus omnem animi consensum delibe-  
 ratum anteuerentibus, taxat acerbè hoc loco  
 Calvinus his verbis. *Docemur hoc loco adulteros censeri  
 coram Deo, non tantum qui fixo consensu scortationem in  
 animis concipiunt, sed qui admittunt quasuis punções.  
 Quare nimis crassa & supina est Papiſtarum hypocrisis, qui  
 concupiscentiam negant peccatum esse, donec totũ cor assen-  
 tiatur.* Hæc ille. Sed quòd Papiſtis obijcit Calui-  
 nus, doctissimis Patribus qui hunc locum sic intel-  
 lexerunt objicere debet; imò & D. Iacobo, qui non  
 omnem concupiscentiam esse peccatum quod fa-  
 cit adulteros coram Deo, apertissimè docuit. *Con-  
 cupiscentia quum conceperit, parit peccatum: peccatum vero  
 quum consummatum fuerit, generat mortem.* Distinguit  
 disertissimè conceptus peccati, quæ sunt primæ  
 punções à partu, id est, ab ipso peccato, veniali  
 scilicet & imperfecto; & partum à consummatione,  
 id est, à consensu, qui solus ex se generat mortem,  
 & est mortale peccatum. Christum autè hoc lo-

Cõtrouer.  
 tom. 1.  
 Cont. 5.  
 lib. 2. de  
 purgato-  
 rio cap. 4.

Peccatorũ  
 venialium  
 à mortali-  
 bus di-  
 ſtinctio.

Papiſtarũ  
 nomine  
 Patres  
 ſuggillat.  
 Calvinus  
 Cap. 1.

co non de concupiscentia loqui que concipit peccatum, nec de primo parientis concupiscentia parit, id est, de peccato veniali, quo adhuc voluitur in animo quod conceptum fuit sine deliberato consensu, sed de peccato concupiscentia in corde consummato, quod non nisi per consensum deliberatum consummatur, doctissimi Patres disertè docent. Hieronymus his verbis.

S. Hieron.

*Qui viderit mulierem, & anima eius fuerit titillata, hic propensione percussus est, quæ vitij culpam habet, sed non tenetur in crimine. Si autem consenserit, de propensione transiit in passionem: & huic non voluntas peccati est, sed occasio. Quicumque igitur viderit ad concupiscendum, id est, sic aspexerit ut concupiscat & facere disponat, iste rectè dicitur mœchatus esse in corde suo. Hæc ille in com. in hunc locū. Eodem modo*

S. August.

*& S. Augustinus hunc locum exponit. Si consensio facta fuerit, plenum peccatum est: verumtamen delectatio ante consensum vel nulla est vel tenuis, cui consentire peccatum est. Hæc ille lib. 1. cap. 23. in hunc sermonem*

S. Chryf.

*Domini. Præclare quoque Chrysof. homil. 17. in Matth. & literalem loci sensum optimè affecutus ita scribit. Non omnem hic generaliter concupiscentiam Dominus interimit, sed illam quæ ex formæ decore concipitur. Propterea non dixit, qui concupiuit ad adulterandū, quod etiam inter secreta montium residentes facere possunt; sed, qui viderit ad concupiscendum, id est, qui concupiscentiam videndi curiositate sibi ipsi collegerit; hoc enim iam non nature est, sed propriæ desidiæ. Cohibuit igitur aspectū, ne huiusmodi licentiæ fidens etiam in peccatum quandoque corrueretur. Hæc ille. Concupiscentia igitur non animo leuiter concepta, sed ex videndi curiositate collecta, adulterium in corde est. Subiungit huic cauillationi Calvinus. Sed nihil mirum est ita extenuari ab illis peccatum, quando socordes & prorsus supinos in vitijs suis reputandis esse oportet, qui iustitiam operum meritis*

attri-

*tribuunt. Cui respondemus: Nihil mirum est ab hereticis hodie peccatorum discrimina confundi, & quæ venialia sunt ira aggrauari, quando socordes & prorsus supinos in peccatis deuitandis illos esse oportet, qui etiam minimas punctiones, quæ vitari non possunt, pro mortiferis habent, & in bonis operibus nullam Christiani hominis iustitiam ponunt. Interim obseruet Lector (quod Caluino solenne est) Papistis obijcere, quod antiquissimi Patres docent: vt aut illos quoq; pro Papistis habere debeat, aut studio Lectorem iudicasse, aut denique quod ignorabat reprehendisse conuincatur.*

Papistarū  
nomine  
Patres  
taxat Cal-  
uinus.

44. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.

**C**ONTRA Scholasticam hoc loco doctrinam de dilectione inimicorū inflatis buccis inuehitur Calvinus. Est quippe communis Scholasticorū sententia, & imprimis D. Tho. 2. 2. q. 25. art. 8. & 9. dilectionem inimici in generali quidem, esse de necessitate charitatis & in præcepto; id est, vt in generalitate dilectionis proximi inimicus non excludatur, sed habeatur pro proximo, nō secus atque amicus aut sanguine coniunctus; in quo Iudæi turpiter errabant, existimantes per proximum non intelligi nisi amicum aut affinem, aut contribulem, eo quod vox hebraica אָוֶן vel אֶוֶן quæ ponitur pro proximo, propriè, significat amicū, aut aliquo necessitudinis vinculo coniunctū: vbi nō aduertebant ipsum inimicū saltem naturæ, interdū etiam eiusdē fidei ac religionis vinculo esse coniunctū: quem illorū errorē Christus hic corrigere vult, docens præ-

inimico-  
rum dile-  
ctio iuxta  
scholasti-  
cam do-  
ctrinam.

ceptum

ceptum dilectionis etiam ad inimicum se extendere. Docent nihilominus ijdem Scholastici dilectionem inimicorum in speciali, id est, vt externa dilectionis signa, ipsosque effectus quauis data occasione proferas, non esse de præcepto, sed de consilio: necessitate tamè aliqua urgente, in præparatione animi necessariam esse; id est, quòd interna dilectio inimicali esse debet, vt semper paratus sis in aliqua necessitate etiam inimico subuenire, & de facto subuenias, quando facultas datur. Quia ergo aliquam dilectionis inimici partem in consilio ponunt Scholastici, non in præcepto, insurgit hic vehementer Calvinus, & dicit. *Monachi & similes rabule* (hæc est modestia Calviniana) *finxerunt hæc fuisse Christi consilia, non præcepta, eo quòd hominum viribus metuebantur quòd Deo & legi ipsius debeant.* Hæc ille. Nempe impius hæreticus vult Deum præcipere nobis impossibilia; vt quum Dei mandata ostenderit esse impossibilia, ab illorum obseruatione securus viuat. Sed certum est sic intelligenda esse Dei mandata quatenus à nobis cum auxilio gratiæ præstari possunt, ne vel ridiculum legislatores, vel Dominum crudelem ac tyrannum, Deum esse fingamus. Disputat tamen contra Scholasticorù sententiam Calvinus, in quo audiendus est. Sic scribit. *Quàm de consilijs præposterum sit insulsumque commentum, primò inde patet, quia non sine Christi iniuria dicitur suasisse ipsum discipulis, non pro imperio mandasse, quod rectum erat.* Responde nullam esse Christi aut Dei iniuriam quædã suadere quæ recta sunt, & non mandare. Faterur alibi Calvinus, *in lege nusquam præcipi vt omnia vendamus ac demus pauperibus.* Tamen vel Christus hoc suadet Matth. 19. vel si aliquid mandat quòd in lege non est, ergo nouus & verus legislator Christus est, quod

Dei mandata potestibilia.

Infra ad cap. 19. ver. 20.

quod antea Calvinus negauit: & tunc sub præcepto omnes tenentur sua vendere &c. Nugatur illo loco Calvinus, *saltem finem legis esse vt homines ad sui abnegationem deducat, idèoque Christum hoc illi inueni dixisse, vt animi eius morbum, videlicet amorem diuitiarum tangeret, sicque ostenderet eum reuera legem non implese.* Sed vt concedamus, contemptum diuitiarum etiam in lege præcipi quatenus eo lex hominem educit, an tamen finis aut intentio legis est, vt quicumque amant diuitias, omnia bona sua vendant, dentque pauperibus? Nihil hoc absurdius, quum ad amorem diuitiarum extinguendum tamen earum abdicatio esset necessaria, non tamen aut venditio aut pauperibus collatio necessaria foret, quum aliæ viæ ac modi sint eas à se honestissimè abdicandi, vt vel in Dei cultum, vel in Reip. commodum aut subsidium.

Pergit Calvinus. *Deinde plusquam insulsum est, libera facere charitatis officia quæ ex lege pendunt.* Respondeo hoc esse petere principium in disputatione. Negatur enim omnia charitatis officia ex lege pendere, id est, à lege præcipi. Addit tertio. *Dicendi verbum quod denuuntiare vel præcipere hoc loco significat, perperam per consilere exponitur.* Respondeo dupliciter, primum ad rem, postea ad hominè. Ad rem respondeo, ponere quidem hic consilia Christum, sed simul cum præceptis. Præcipit enim diligere inimicum & habere pro proximo. Quæ autem de officijs charitatis in particulari subiungit, *Bene facite ijs qui vos oderunt, &c.* in necessitate præcepta sunt, extra necessitatem cõsilia sunt, & perfectionis officia: quod Christi hoc loco conclusio manifestum fecit: *Estote ergo perfecti, &c.* Ad hominem respondeo, mendacem Calvinum non satis esse memorem. Si enim verbum *dicendi* præcipere hoc loco

Calvinus à seipso refutatur.

Calvinus à seipso refutatur.



loco significat, ergo Christus hic præcepta dat, & legislator est, quod antea Calvinus negavit.

Dicit postremò Calvinus, *Disertè sanciri quod necessario præstandum est, nullo negotio ex Christi verbis probatur, dum addit: Ut sitis filij Patris vestri, qui solem suum facit oriri super bonos & malos. Quum disertè pronuntiet non aliter quemquam fore Dei filium, nisi qui oves suos diligit, quis iam dicere audeat nulla huius doctrinæ servandæ necessitate nos obstringi? Perinde enim est acsi dixisset, Quisquis censeri volit Christianus, inimicos diligit. Dupliciter iterum respondeo ad rem, & ad hominem. Ad rem respondeo planè necessarium esse ut diligantur inimici, si filij Dei esse volumus, sed eo modo quo iam explicatum est: contra quem diligendi modum nihil hoc argumentum facit. Ad hominem respondeo: si dilectio inimicorum necessaria est ut filij Dei simus, quod hic Calvinus fatetur; ergo sola fides non sufficit ut filij Dei simus, ut alibi semper Calvinus cum suis affirmat. Prævidit hanc suam contradictionem Calvinus, & ut ei occurrat, subiungit. *Neque tamen intelligas fieri nos beneficentia nostra Dei filios, sed quia Spiritus Dei, qui gratuite nostræ adoptionis testis est, aritha & sigillum, pranos carnis affectus charitati repugnantes corrigit, ab effectu probat Christus non alios esse Dei filios, nisi qui ipsum mansuetudine & clementia referunt.* Responde Christi verba longè amplius utgere. Ait enim, *Ut sitis filij Patris vestri, & nos videntes dicit*, ubi verbum *videntes* idem valere quod *videre* Bezanotavit: Docer ergo hoc modo *fieri & esse filios Dei*, non hoc modo innotescere tales. Sane dilectionem proximi non notam aut effectum, sed causam salutis esse, dicit D. Ioan. docuit, dicens: *Qui non diligit, manet in morte.* A contrario igitur sensu, ut negatio dilectionis est causa mortis, sic præsentia dilectionis est*

vna

Sola fides  
saluifica  
refutatur.

In Anno-  
tar. in hūc  
locum.

1. Ioan. 4.

vna causa vitæ. Porro Spiritus S. qui corrigit pranos carnis affectus charitati repugnantes, id est, qui facit nos diligere etiam ipsos inimicos, quatenus hoc facit, non testis, sed causa & effector est ipsius charitatis in nobis. *Qui operatur omnia in omnibus.* Ita suam repugnantem doctrinam non minus frustra rueret Calvinus, quàm Scholasticorum doctrinam improbè calumniatur, dum ita concludit. *Horribile sanè portentum quòd mundus tam densis tenebris per tria vel quatuor secula obrutus fuerit, ut non videret disertè iuberi, quod quisquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur.* Hæc ille. Videat hic & obseruet indifferens quisque lector. Calvinus ut falso calumniatur & acerbissimè perstringat Scholasticorum doctrinam, aggruat præcepti vim & necessitatem salutis in eo retinendo. Ut suam impiam doctrinam de sola fide tueatur, simplex facit salutis testimonium & notam, quæ vna & necessaria eius causa est, etiam ipso attestante Calvino. *Quis enim negare potest, necessariam salutis causam esse, quam quisquis negligit, ex numero filiorum Dei expungitur, ut ipse met Calvinus loquitur.* Hoc enim loquendi modo fidem ipsam necessariam causam salutis esse ex Scripturis conuincimus. *Qui non crediderit, condemnabitur: Sine fide impossibile est placere Deo: & multa huiusmodi.*

1. Cor. 12

Calvini  
manifesta  
contradictio  
&  
impositura

Marc. 14.  
Heb. 11.

## IN MATTHÆI CAP. 6.

6. Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

**Q**VVM in singulis bonis operibus mercedem à Deo reddendam Christus hic doceat, prius quidem negando illam hypocrisis

Mercès  
bonorum  
operum  
iusta,

pocri-

procuratis, vnde consequenter promittitur rectè operantibus, hic verò apertè dicendo, quòd Deus Pater reddet ac retribuere; Calvinus hoc loco totam Christi doctrinā in fauorem suæ hæresis manifestè deprauat his verbis. *Quum dicit Christus mercedem rependi precibus nostris, satis declarat, quicquid mercedis passim nobis Scriptura promittit, non tanquā debitū solui, sed gratuitum esse.* Hæc ille. Cæterū tamen preces quidem nostræ non impetrant per modum iustitiæ, sed per modum misericordiæ id quod à Deo petimus, ideòque nõ debitum sed gratuitum est quod precibus nostris largitur Deus, vnde & absque iniustitia negat sæpe quod petitur, tamen mercedem quam hoc loco Christus promittit, & quam aliæ Scripturæ testantur, debiti & iustitiæ rationem habere manifestè docet Paulus dicens,

2. Tim. 4.

Hebr. 6.

*Reddet mihi in illa die coronam iustitiæ iustus Iudex: & non eam reddere iniustum esse idem Paulus docet: Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis vestri.* Hoc igitur in loco non ipsis precibus id quod petitur impetrari (quod quidem gratuitum est) sed pio ac debito orandi modo Deum semper aliquid retribuere Christus docet: quod quidè iustitiæ est.

7. *Orantes nolite multum loqui.*

Orationes ecclesiasticæ defenduntur.

**C**AVILLATUR hic Calvinus more suo, & in totam Catholicam Ecclesiam his verbis inuehitur. *Damnatuor eorum superstitio qui longis susurris Deum se promereri confidunt. Quo errore sic imbutum videmus esse Papatum, ut præcipua orationis virtus illic credatur esse loquacitas. Nam quo quisque plus verborū demurmurat, eo magis censetur exactè precatus esse.* Hæc ille. Sed impio calumniatori sanctissimus Augustinus respondebit, qui hæc Christi verba sic exponit.

exponit. *Orare in multiloquio, non est, ut nonnulli putant, si diutius oratur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est quòd pernoctauerit in orando, & quòd prolixius orauerit: ubi quid aliud quàm nobis præbebat exemplum? Et paulo post. Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis.* Hæc ille. Et aduerte Calvinus debuit Christum non simpliciter prohibuisse in orando multū loqui, sed addidisse, *Sicut ethnici.* Illorum enim oratio erat mera battologia, quo verbo Christus hic vtitur: id est, erat vana & incondita eiusdem rei repetitio, verbisque profanis à semetipsis inuentis sua idola inuocabāt, ut sacerdotes Baal 3. Reg. 18. à mane vsq; ad meridie. Atqui Catholicorum longæ preces quæ ita fatigant hæreticos, ex diuinis Scripturis, maxime ex Psalmis Dauidicis depromptæ sunt; & quicquid oratur, ex formulis ab Ecclesia Dei præscriptis oratur: quæ cum ethnicorū battologijs nihil commune habent. Denique Beza in Annotationibus an. 65. editis suo Caluino contradixit, sic in hunc locum scribens. *Longæ preces hic non damnantur, sed quæ vane sunt, inanes, & superstitiosæ.* Idem verò Beza in eisdem Annotationibus an. 88. excusis, illa sana sententia prætermissa, hunc in modum cum Caluino sibi infaniendum putauit. *Battologie vera & vstata exempla qui nosse volet, legat Romanensium Breuiaria, & horas quas vocant Canonicas, Rosaria, & infinita huiusmodi, quorum vel Satanam ipsum pudeat.* Hæc ille egregie in peius proficiens: & ea iam seipso deterior euomens, quorum profectò vel ipsum Satanam pudeat: quum in Breuarijs & horis Canonicis diuinæ Scripturæ & alia ex probatissimis Patribus decerpta multo maxima ex parte

E legantur.

Epist. 127

Luc. 6.

& 22.

66 ANTIDOTA EVANG.  
legantur : Rosaria Angelicam Salutationem  
referant.

10. *Fiat voluntas tua, sicut in celo, & in terra.*

**Q**VIA hæc petitio manifestè docet exactam legis ac voluntatis diuinæ obedientiam à nobis exigi (ideo enim docet nos Christus hoc petere quia Deus id à nobis fieri postulat) Calvinus hoc loco vt nefariam suam doctrinam de diuinæ legis plena obseruatione impossibili, ideòq; nullam operum sed solius fidei iustitiam tueatur, hunc in modū sibi ipsi objeit. *Possit (inquit) obijci quæstio an petendum à Deo sit quod nunquam fore pronuntiat usque ad finem mundi. Respondeo nihil opus esse, dum terram obedienter componi optamus ad Dei nutum, singulos homines excutere. Sufficit enim hoc voto testari, nobis odio ac tristitia esse quicquid Dei. Voluntati aduersum criminis, extinctumq; cupere: non modò vt omnium affectuum nostrorum sit moderatrix, sed vt nos totos qua decet promptitudine ad eam implendam offeramus.* Hæc ille. Sed primum mentitur Deum pronuntiare nunquam fore vsque ad finem mundi vt sua voluntas in aliquo impleatur. Pronuntiauit enim Deus contrarium de Dauide, dicens. *Inueni David virum secundum cor meum; qui faciat omnes voluntates meas.* Non quòd Dei voluntatem nunquam violauit, qui sæpe & grauiter peccasse legitur, sed quòd rarius peccans debita pœnitentia satisfecit: in quo etiam Dei voluntas fit, sicuti & in cælo facta est quum peccantes angelos iustè puniret. Quod autem Calvinus ait, *non esse opus excutere singulos homines*, si talis euasio locum habet, ergo & in reliquis petitionibus locum habere debet; maxime in eo quod dicitur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hic iuxta Cal-

A. 15.

Impostura  
Caluini  
refellitur.

IN MATTHEI CAP. 6. 67

Caluinum non sunt excutiendi singuli homines, an verè dimittat debitoribus suis, vt illis dimittat Deus peccata sua. Cæterum sicut hoc singulos concernit, & possunt singuli dimittere debitoribus suis, planèque singulis necessarium hoc est, vt in seqq. verbis Christus docet, nec sufficit voto testari (vt nugatur Calvinus) nobis odio ac tristitia esse, quòd debitoribus nostris non dimittimus; eodem plane modo vt voluntas Dei in omnibus fiat à nobis, singulos concernit; & possunt singuli per Dei gratiam eius voluntatem implere, planèque necessarium hoc est singulis, suam in omnibus voluntatem diuinæ voluntati conformare, nec sufficit hoc voto testari, aut odio ac tristitiæ illis esse quòd Dei voluntatem in omnibus non faciunt. Non enim hoc perfectionis est, sed necessariæ reformationis. *Dei enim voluntas sanctificatio nostra est,* quam omnes in baptismo acceptam seruare possunt & debent. *Dei voluntas est, vt eius mandata faciamus. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius graui non sunt.* Quid est diuinam Scripturam, & vniuersa Dei mandata corrumpere, peruertere, inania & irrita reddere, si hoc non est?

Singulos  
præcepta  
concernit

1. Theſ. 4.

1. Ioan. 5.

12. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

**H**ANC quoque Scripturam nefariè corrumpit Calvinus, & pactum atque conditionem à Christo appositam audacissimè conuellit, quia talem conditionem suæ soli fidei iustificanti ex diametro repugnare videbat. *Venia (inquit) quam nobis dari petimus, ab ea quam præstamus alijs non dependet: sed hoc modo ad remittendas omnes offensas hortari nos Christus voluit, & simul absolutiouis nostræ fiduciam quasi impresso sigillo melius ratam*

Pactum à  
Christo  
positum  
conuellit  
Caluinus.

E 2

facere.

Igno-  
scentia  
mutua ad  
remiff.  
peccat ne-  
cessaria.

Calvinus  
feptim  
refutat.

Ioan. 13.

Heretico-  
rum ter-  
giuerfa-  
tio.

*facere.* Hæc ille. Vult homo impius charitatem proximi & mutuam ignoscentiam non aliquam esse conditionem remissionis peccatorum necessariam, sed ad eam tantum hortari nos Christum quasi ad certam notam filiorum Dei, vt in seqq. magis explicat, quam hic *sigillum impressum*, vocat. Cæterum sequentia statim Christi verba aliam illum cantilenam canere coegerunt. Ad illa enim sequentia verba, *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis debita vestra*, ita scribit Calvinus. *Non alia lege ad veniam nos admittit Deus, nisi fratribus ignoscimus quicquid in nos peccauerint.* Hæc ille. Si ergo lex hæc est sine qua Deus non remittit peccata, profecto obligat tanquam necessaria conditio; & venia à Deo danda dependet ab ea quam proximis præstamus, nec nota tantum est aut sigillum aliquod factæ aliunde remissioni accedens, sed vna causa sine qua non fit remissio, & ad illâ faciendam disponens: denique non est exhortatio tantum ex parte Christi, sed planè præceptum, vt alibi frequenter inculcat. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* Notanda est hæc perpetua hereticorum tergiuersatio, qua omnes Scripturas deprauant quæ contra solam fidem iustificantem faciunt. Reluctatus est hic Calvinus quantum & quam diu potuit. Sed in proxima sententiâ, euidentiâ veritatis conuictus, veritatem profiteri, sibi que ipsi contradicere cogitur.

17. *Tu quum ieiunas, unge caput tuum, & faciem laua.*

**I**EIUNIUM hoc loco à Christo ab hypocrisi reuocatum, mirabili metamorphosi, ad victus moderationem à lautitijs & delicijs reuocatum transfert Calvinus. Sic enim in hæc verba

ba scribit. *Non iubet Christus simulare lautitias, nec indulget delicijs in vnguentis & vestitu, sed simpliciter nos hortatur ad tenendam moderationem, in qua nihil sit vel nouum vel affectatum: ac si diceret ita ieiunij vacandum, esse vt in consuetâ vitæ ratione nihil mutemus.* Hæc ille. Ieiunium definit, victum moderatum & consuetam vitæ rationem tenere, nihil in ea mutando. Quod autem iubet Christus, *faciem vngere, & caput lauare*, hoc nec ad victum nec ad vestitum pertinet, vt somniat Calvinus, sed tantum ad externum corporis cultum, in quo nihil mutare nos Christus vult. Ieiunium autem si nihil nisi moderationem victus significat, vt Calvinus cæterum hodie heretici volunt, ergo Apostoli & discipuli Christi moderationem victus non tenebant, quia Christum sequentes *non ieiunabant sicut discipuli Ioannis* frequenter. Ergo & Paulus quum inter cæteras tribulationes & exercitia dicit, *In ieiunijs multis*, intelligendum est dixisse, Multoties moderatum victum tenui, aliàs verò & frequentius in lautitijs & delicijs vitæ egi. Ergo Prophetæ & Doctores illi Antiocheni, *qui ieiunantes & orantes imposuerunt manus Paulo & Barnabæ*, intelligendi sunt tunc quidem moderationem victus tenuisse, & de consuetâ vitæ ratione nihil mutasse, aliàs verò lautitijs & delicijs ac genio indulgisse. Sed nihil est Caluiniana doctrina aut absurdius aut impudentius. Vide plura in Promptuarij Catholici parte Quadragesimali, in feria 4. Cinerum.

18. *Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

**H**ÆC etiâ Christi verba arrodit Calvinus. Sic enim scribit. *Quod ieiunij mercedem à Deo promittit Christus, impropria locutio est, vt*

*Supra de precibus dictum est. Ieiunium enim per se opus medium est, non autem ex eorum genere quæ Deus requirit & probat, ut sunt eleemosyna. Hæc illæ. Scilicet quæ hæreticorum placitis in Scriptura repugnant, improprie dicuntur. Sed quum Christus eisdem verbis ieiunio mercedem promittat, quibus antea precibus promiserat, manifestum est non minus proprie hoc loco Christum loquutum esse quam in alio loquutus fuerat, & a nobis requirit, non minus possuisse quam preces & eleemosynam. Quum Christus dixit de suis discipulis, Quando sponsum auferetur, tunc ieiunabunt; nonne aperte docet ieiunium à se probari atque requiri, adeoque in genere iuberi? Est quidem ieiunium per se medium opus nisi ad honestum aliquem finem referatur. Sed inter alios fines vnus hic est, quem Caluinus hoc loco prætermittit, ut in Dei cultum atque obsequium assumatur. Diserte enim testatur Scriptura Deum ieiunio coli. De Anna prophetissa quæ Christum paruulum in templo confitebatur, dicit*

Luc. 2.

*Lucas. Non discedebat de templo ieiunij ac obsecrationibus seruiens Deo die ac nocte. Vtitur verbo λατρεύουσα, quod proprie significat cultum soli Deo debitum. Vide Prompt. Cath. Dom. infra Oct. Natiu. Domini, text. 2. Tenenda interea Christi doctrina manifesta; ieiunij à Deo mercedem reddi, ideoque opus esse mercede dignum & Deo gratum: nec improprie Christum loqui, sed loquendi formulas optimè tenuisse: impium verò esse Caluinum, qui Christum improprie loqui docere præsumit.*

*Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.*

*Indulget hoc loco Caluinus stomacho suo, & Catholicam doctrinam taxandi libidini. Quod (inquit) hinc colligunt Papista pollere ratione & pru-*

Ieiunium opus Deo gratum.

Matth. 9. 15.

Luc. 2.

*& prudentia homines, ut libera sit illis boni & mali electio, frivolum est. Equidem qui vnquam Catholici ex his verbis hoc collegerint, necdum inuenire potui. Sed esto: fuerint tales qui ad id quod rectissimæ fidei erat, hanc Scripturam tamesi minus aptè accommodauerint, sicuti doctissimos Patres facere solere supra annotauimus. Quare frivolum erit? Neque enim Christus (ait Caluinus) qua facultate præditi sumus hoc loco dissimulauit, sed quomodo nos ambulare deceat, ut scilicet in certum aliquem scopum sensus intenti. Atqui quum hoc ipsum ambulare ut decet, & in certum scopum actiones suas dirigere, facultatem huiusmodi necessariò præsupponat ac requirat, qua liberè & cum electione id fiat (nisi etiam bruta quæ electione carent, aut ambulare ut decet, aut in certum aliquem scopum suas actiones dirigere, contra omnem humanam ac diuinam sapientiam dicere velit Caluinus) profectò Christus, qui effectum hic docuit, causam quoque huius effectus, fontem & originem designasse negari non debet. Imò addit Caluinus. Humane vite cursus, ideo tenebrosus esse docet Christus, quia nemo sibi rectum finem proponat, sed omnes sibi ad malum cupidè sectandum indulgeant. Si omnes ita facere, & neminem sibi rectum finem proponere Christus docet, quare duo membra Christus posuit, vnum eorum quorum oculus simplex & totum corpus lucidum erat, alterum eorum quorum oculus malus, seu vitiosus, & totum corpus tenebrosus? An non Christo diserte contradicit Caluinus, qui non nisi vnum membrum agnoscit, non nisi totum corpus tenebrosus, & nullum corpus lucidum, quia ois oculus malus & nullus simplex est? Sic videlicet Christi doctrinam Caluinus exponit, ut Christo manifestè contradicat, ut vnam do-*

Libera boni electio.

Caluinus Christo contradicit.

auriæ Christi partem de oculo simplici & toto corpore lucido, falsi arguat.

Subiungit adhuc Calvinus. *Fateor quidem naturam ingenitam esse hominibus rationem qua discernant inter vitia & virtutes: sed ita peccato vitiatam esse dico, ut ad singulos passus deficiat. Interea non sequitur quin tenebras sibi sponte accersant homines.* Hæc ille. Cæterum sic peccato vitiatam est ratio, ut ad singulos passus deficiat. Quare Christus sub conditione ponit, *Si oculus tuus malus est, & non potius definite ac generaliter affirmat, Quia oculus tuus malus est, vel, Quia oculi omnium hominum mali sunt?* Sic enim generalis illa humanæ naturæ vitiatio quam Calvinus ponit, ex huiusmodi propositionibus aliquo modo consequi posse videretur. Nunc autem Christus sub conditione loquens satis innuit nec omnium oculos malos ac corpora tenebrosa esse, nec quorū tales oculi sūt necessariò sic esse, sed cōtingēter liberāq; cuiusq; electionē. Quod magis cōfirmatur ex eo quod Lucas cap. II. Christum adiecisse commemorat. *Vide ergo nō lumen quod in te est, tenebræ sint.* Perspicuè enim docet, in hominū potestate esse, ut rationis ingenitæ lumen à peccati tenebris coërceant. Quod autem Calvinus humanæ rationi hoc tantum tribuit ut discernat inter vitia & virtutes, & arbitrandi libertatē habeat, sponteque feratur in id quod discernit faciendum; nihil adhuc amplius hominibus tribuit quàm brutis, quæ & discernunt paruulos suos ab alienis, nota ac domestica ab extraneis, dominos suos, habitacula sua, denique pascua bona à malis, sponteque circa hæc omnia nō coactè feruntur. Naturæ autem per peccatum corruptio quod peccandi libertatem non auferat, vide prolixè disputatum in opere nostro de Iustificatione lib. 2.

Ratio humana in singulis non peccat.

24. *Nemo*

24. *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

**P**ESTILENTIEM doctrinā & Christi verbis aduersa fronte cōtrariā tradit hoc loco Calvinus, ut peccandi necessitatē & mandatorum Dei impossibilitatem perpetuò tueatur. Sequitur quippe ex hac Christi doctrina, eos qui Deo seruiūt, nec diabolo nec carni seruire posse, ideòque à seruitute & necessitate peccati immunnes esse, atque ita veram legis obedientiam, qua soli Deo seruitur, in hac vita reperiri. Vidit hoc Calvinus, & Christi propterea doctrinam contaminandam sibi esse existimauit. Ait ergo. *Verum quidem est, fideles ipsos nunquam ita in solidum addictos esse Dei obsequio, quin retrahantur subinde vitiosis carnis cupiditatibus. Sed quia gemunt sub hac misera seruitute, sibi que displicent, nec aliter carni seruiunt, quàm inuiti & reluctantes, non dicuntur duobus Dominis seruire, quia proinde probantur eorum studia & conatus Domino ac si illi integram obedientiam præstarent.* Hæc ille. Ait fideles seruire carni, & miseram seruitutem seruire; sed quia inuiti seruiunt, id est, iuxta Calvinum necessariò, propter vitiatam naturam quæ ad singulos passus deficit, ut supra dixit, ideò non seruire duobus Dominis. Totus hic sermo aut Christo apertè contradicit, aut implicat cōtradietionem in adiecto. Si enim fideles seruiunt Deo & seruiunt carni, Deo autem & caro duo sunt Domini, utique aut duobus Dominis seruiunt, quod fieri posse negat Christus; aut carni nō seruiunt, sed soli Deo. Cæterū Paulus aperitissimè docet pios ac fideles non seruire carni, sed legi Dei. *Mente* (inquit) *seruio legi Dei, carne autē legi peccati.* id est, mea superior ratio, tota voluntas mea atque intellectus legi Dei seruit:

Studium & conatum bonum, sed inefficacem ponit Calvinus.

Rom. 7.

E 5

uit:

uit: carne autem, id est, inferior appetitus meus seruit legi peccati, id est, malis concupiscentijs afficitur ac subiicitur, quibus semper animus reluctatur. Deinde seruire carni, est secundum carnem ambulare. Atqui Apostolus dicit. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Fideles ergo, vt Deo uiuant, non seruiunt carni. Dicit D. Petrus. *A quo quis superatus est, huius & seruus est.* Fideles ergo Calviniani si carni seruiunt, à carne superantur, & secundum carnem ambulant. Dicit Christus. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Sic qui facit opera carnis seruit carni. Fideles ergo Calviniani si carni seruiunt, opera carnis faciunt, *quæ qui faciunt, regnum Dei non possidebunt.* Dicit iterum B. Paulus. *Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obediens ad iustitiam?* Fideles ergo Calviniani si seruiunt carni, exhibent se seruos ad obediendam ei, & serui sunt peccati ad mortem. Non exhibent se seruos, ait Calvinus, *sed inuiti & reluctantes seruiunt.* Sic quidem ille loquitur, sed aliter nos Scriptura docet, neminem seruire peccato nisi volentem, & qui seipsum seruum exhibet. Quod vnicus ille Dei sermo probat: *Perditio tua ex te Israel,* id est, ex tua propria & praua voluntate. Deniq; si inuiti & reluctantes seruiunt, fortior est diabolus quam Christus.

Quod enim reluctantur, ex Christi gratia est; quod seruiunt, ex diabolo est.

Sed credimus Scripturæ dicenti.

*Maiores est qui in vobis est,*

*quam qui in mundo est.*

*Fos ex Deo estis filii*

*li, & vicistis*

*eum.*

Rom. 8.

2. Pet. 2.

Ioan. 8.

Gal. 5.  
Rom. 6.

Osai 23. 9.

1. Ioan. 7.

## IN MATTHÆI CAP. 7.

I. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

QVVM hæc Christi verba, de Dei iudicio, iuxta omnium Patrum & totius hætenus Ecclesiæ iudicium intelligi debeant, superbus Calvinus reiecto expressè Patrum iudicio, hæc verba sic exponit. *Quod Lbryostomus & alij quidam* (sunt autem omnes ad vnum in hunc locum interpretes Hilarius, Hieronymus, Augustinus lib. 2, de serm. Domini, Euthymius, Theophylactus, & cæteri) *ad futuram vitam ista restringunt, coactum est. Quemadmodum enim minatur Esaias prædæ futuros qui alios prædati fuerint, ita intelligit Christus non deferre vindices qui homines iniquos & maledicos simili virulentia & rigore puniant.* Atqui pro constanti Patrum hoc loco doctrina responde, nec de virulentis & maledicis Christum hic loqui, sed tantummodo de iudicio temerario vel usurpato vel maleuolo, quod totum absque maledicentia & virulentia externa solo animo exerceri potest, solèturque frequentius, ne hæc iniqua iudicia ab hominibus puniri solere, quum aut vix hominibus innotescant solo animo inclusa, vel si innotescant, puniri semper aut non possunt mali, quia deest facultas par pari reddendi, aut certe non debent pij, quia iubentur à Christo non resistere mala sed vincere in bono malum. Iuxta Calvinum ergo hoc loco Christus doctrinam traderet aut planè humanam atque vulgarem, docens quid impij homines facere solent seipso vindicando, aut Christianæ charitatis præceptis contrariam, docens suos

SS. Patrum  
expositio  
defenditur.

Caluini  
expositio  
aut profana  
aut impia.

iuos vt homines maledicos atque iniquos simili virulentia ac rigore puniant. Quorum hoc à nullo pietatis magistro doceri debet, illud Christo caelesti magistro penitus indignum est. Locus ex Esaiâ prolatus nihil ad rhombum facit, nisi hoc valeat argumentum: Deus aliquando minatur poenam temporale impijs, ergo hoc in loco non loquitur de poena futuri seculi. Sed vnus Paulus docere Caluinũ debuit, quo sensu Christus dixerit, *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Ille enim de hoc temerario & vsurpato ac etiam maleuolo iudicio disputans, ait. *Mibi pro minimo est vt à vobis iudicet, aut ab humano dicit: sed neque meipsum iudico. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, &c.* Prohibet omne humanum iudiciũ, quia expectandum est diuinum, manifestè docens, eos qui hic temere iudicant, à Deo rigide iudicandos: iuxta illud Iacobi, *Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam*, id est, qui fratres suos iniquè iudicauit. His accedit, quod iniqui aliorum iudices in hac vita ab alijs non semper, imò rarissimè iudicantur. Dei ergo iudiciũ tales subibunt. Hoc ita etidens est, vt ipse Calvinus dissimulare non poruerit. Quare subiungit. *Quod si cessabunt homines, vt poenam effugiant in mundo, qui dammandis fratribus nimis intenti fuerunt, non tamen effugient iudicium Dei.* Hæc ille.

Quare igitur Chrylostomum & alios Patres, qui ad Dei iudicium in altera vita ista restringunt, de sensu coacto coarguit; nisi quod petulans hæreticus & veteres Patres contemnere, & Christi verba insulsiſsimo ductus argumento deprauare voluit?

1. Cor. 4.

Iac. 2.

Calvini  
petulãtia  
singularis

15. *Attendite vobis à pseudoprophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.*

**T**ITILLAVIT hic locus Calvinum vehementer, & perſtrictum se sentiens, in hæc verba prorumpit. *Nimis putidi sunt Papiſtæ, qui conſtante nobis inuidiæ causa illam Christi vocem præciſe iactant, à pseudoprophetis cauendum esse: ac suis clamoribus efficiunt, vt imperiti causa incognita temere à nobis abhorreant.* Et paulo post. *Nimis improbè Christi mandatum abrogant Papiſtæ, qui inicæto falso metu miserâs animas ab inquisitione deterrent.* Sit igitur hoc primum, eos qui trepidando incognitam doctrinam respiciunt, vel fugiunt, perperam hoc & nimis ex Christi mandato facere. Hæc lupus ille, vt oues Christi à trepidatione & metu lupi reuocet, & ad inquisitione nouæ doctrinæ adducat. Nihil quippe magis displicet lupo, quam trepidatio ouium, & quod tam citò fugiunt ab eo. Atqui Christus Pastor noster fugere docuit à lupis, non cum illis disceptare. *Oues* (inquit) *Pastorẽ sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienũ autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* Atqui (inquit Calvinus) *iudicium de pseudoprophetis à fructibus eorũ facere iubet Christus. Inquirenda igitur & discutienda doctrina eorum est, non ipsi fugiendi sunt.* Hæc iterum lupus ille, hæreticorum patrocinium egregiè suscipiens. Cæterũ Christus ad Apostolos quidem & magistros Ecclesiarum hæc verba dicit, *ex fructibus cognoscetis*, vt illi in eos diligenter inquirent. *Oues autem & simplicem populum fugere iubet, non inquirere.* Imò (inquit Calvinus) *discretionis spiritu, vbi opus est, nũquam desistuntur fideles, qui modo sibi diffisi, & proprio sensu valere iusso, totos se illi referendos*

Calvinus  
lupum  
agit.

Ioan. 10.

Calvinus  
hæretico-  
rum pa-  
tronus.

15. Atten-



Discretio spirituum non est donum popolare.

1. Cor. 12

Gal. 1. Præter id quod accepistis. Ioan. Si quis hanc doctrinam non adfert. Act. 15.

Euasio de verbo Dei impertinens.

*gendes tradunt.* Atqui meminisse Calvinus debuit discretionem spirituum non esse vulgare donum aut fidelibus commune, sed paucorum, iuxta illud Pauli, *Alij discretio spirituum, alij genera linguarum:* Deinde hoc donum discretionis spirituum esse proprium magistris & doctoribus Ecclesiarum. *Non enim omnes Prophetæ, non omnes Doctores,* quorum est de doctrina iudicare. Tertiò iudicium quoddam discretium esse sanè penes fideles circa ea quæ sunt fidei, sed hoc iudicium in generali tantum esse, non in particulari. Nempe vt faciliè discernat, an doctrina quæ affertur, noua sit, & præteream quam acceperunt: vt sic eam fugiant ac detestentur, sicut Paulus ad Gal. 1. & Ioan. epist. 2. docuerunt. Non autem vt doctrinam in particulari ex causis & fundamentis suis examinent, vt sic proprio iudicio discutiant, quid verum quid falsum sit: quod proprium est Ecclesiarum magistris, vt in prima de fide controuersia factum vidimus. *Conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.*

Addit adhuc Calvinus. *Interea meminimus ad verbum Dei exigendas esse omnes doctrinas: & ideo in iudicandis pseudoprophetis fidei analogiam dominari.* Hæc quidem vera sunt: sed nec verbum Dei sola Scriptura est, vt hic Calvinus accipit, nec hoc verbum Dei vulgus fidelium tam exactè intelligit, vt de quauis noua doctrina ex verbo Dei atque ex causis & fundamentis suis iudicare possint, denique fidei analogia dominatur, quatenus nulla noua doctrina recipienda, est quæ analogiæ fidei, id est, receptæ iam & approbatæ in Ecclesia fidei repugnet, quod contra omnes nouas doctrinas adeoque Calvinum ipsum fortissimum argumentum est. Adeò volens esse legis Doctor nescit quæ

quæ loquitur, neque de quibus affirmat, estque hæc euasio de verbo Dei planè impertinens.

Addit tertiò Calvinus. *Deinde spectandum est quid Deus Prophetis suis verbiq; ministris iniungat: quæ inde fidelitas faciliè dinosci poterit.* Sed hoc totum & quid sit Pastoris officium, non oues ipsæ & vulgus fidelium, sed alij Pastores & tota Pastorum communitas, vel maxime Princeps ipse Pastorum, Christi in terris Vicarius, iudicare & cognoscere debent. Alioquin nulla esset in Christi Ecclesia sacra Hierarchia, sed planè prophana & ethnica anarchia. Sed exemplo rem illustrare Calvinus vult. *Quemadmodum, exempli gratia, si nobis proponimus quæ Paulus in Episcopis requirit, sola illa descriptio ad dandam totam Papatus colluuiem sufficit, quia videntur data opera Papales sacrifici contrariam ideam velle exprimere.* Dixit, & abiit. Nam post tam atrocem calumniam in vniuersam Catholicæ Ecclesiæ Hierarchiam, ne vno quidem verbo in particulari docet, quomodo descriptio Episcopi Paulina violata sit. Cauillator impotens calumniæ suæ simpliciter assertæ credi vult. Descriptio Apostolica Episcopi in eo fortasse à Catholicis Episcopis negligitur, quia non est nunc amplius Episcopus vnus uxoris vir, sed cælibem vitam agit. Sic opinor. Nam & sic ad illud Apostoli locum garrit Calvinus: cui ad eundem locum respondimus.

Calvinus: criminator generalis.

In Antidotis Apostolicis.

21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.*

Q V V M hæc Christi verba pro bonorum Operum ad salutem necessitate euidentissimè faciant, nec Calvinus villo honesto fucea elu-

Impositu-  
re Calui-  
niana.

ea eludere se posse cerneret, veritatem tamen ipsam agnoscere noluit, sed totis ingenij viribus reluctans ita demum scribit. *Facere voluntatem Patris, non tantum significat Philosophicè vitam & mores suos ad virtutum regulam formare, sed etiam credere in Christum, sicut habetur Ioan. 6. 40. Non ergo his verbis excluditur fides, sed quasi principium statuitur unde reliqua fluant.* Hæc ille, callidè & astutè multa venena non tam aperrè fundens quàm clanculum intillans. **1.** Primum enim *Philosophicè ad virtutum regulam mores formare*, nihil profus ad hunc locum pertinet, neque hoc est *facere voluntatem Dei Patris*. Sed *facere voluntatem Dei Patris*, est *facere ea quæ præcepit nobis Deus Pater in diuinis Scripturis suis*, & propter Deum illa *facere*; nō ea *facere* quæ Philosophi in suis ethicis disputarunt solo virtutis amore. Sed voluit impius Calvinus omne bonorum operum studium quod Christus hic imprimis commendat, quasi humanā tantum & Philosophicam iustitiam traducere. Deinde quod addit, *facere voluntatem Patris*, hoc loco significare, vt credamus in Christū, quia 6. Ioan. dicit Christus; *Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; dupliciter falsum, & pariter fallaciter dictum est.* Christus enim hoc loco, *facere voluntatem Patris* ab ipso credere manifestè distinguit, & de iam credentibus loquitur (*Quomodo enim inuocabunt dicentes, Domine Domine, in quem non crediderunt?*) vt non solum credant, non solum per fidem suam Dei nomen profiteantur dicentes, *Domine Domine, in nomine tuo prophetauimus*, sed etiam præterea faciant voluntatem Patris, id est, bonis operibus operam dent. Nam idcirco eos qui voluntatem Patris non fecerunt, manifestè statim vocat, *operarios*

Voluntatem Dei  
facere,  
quid.  
Rom. 10.

*varios iniquitatis.* Deinde Christus Ioan. 6. ver. 40. non dicit nos *facere voluntatem Patris* credendo (tametī hoc verum sit) nec de faciendâ voluntate Patris omnino loquitur, sed ait, voluntatem Patris in hoc esse, Deumque in hoc suam *facere voluntatem*, vt *omnis qui credit, habeat vitam æternam*, vbi vnâ causam salutis æternæ posuit, sicuti hoc loco aliam ponit. Totum autem hoc à Caluino fallaciter & per insignè imposturâ ita dicitur, vt simplici lectori insinuet, fidei necessitatē, nō autē bonorū operū, à Christo inculcari. Quod adhuc eius conclusio magis manifestum facit, qua dicit *fidem his verbis non excludi*: quod sanè de toto Christi sermone verū est, quia præsupponitur à Christo, & iam credentibus loquitur Christus. In illis tamen verbis, *facere voluntatem Dei Patris*, de quibus nunc disputat Calvinus, fides nō intelligitur nec includitur, quod insinuare voluit Calvinus, quū addit, *fidem hic quasi principium statui unde reliqua fluant.* Verum sane hoc est de toto Christi sermone: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine: hoc ipsum enim est credere in Christum & fidem habere: & hæc omnium bonorum operum radix ac fundamentum est.* Sed non est hoc verum de illis verbis, *Qui facit voluntatem Patris mei*, quæ nunc tractat Calvinus. In his enim verbis nō statuitur fides, sed statuitur mandatorum Dei obseruatio ad salutem necessaria. *Facere enim voluntatem Dei Patris*, est *facere & obseruare ea quæ Deus iubet*, vt supra ostensum est. Ita Calvinus quia aperto Marte tam illustrem doctrinam, quam nullo modo humiliter amplecti & credere voluit, impugnare non potuit, cuniculos egit, vt veritatem subuerteret.

24. *Omnis qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam supra firmam petram.*

Operum  
honorum  
necessitas.

Iustificat.  
lib. 3.  
cap. 2.  
num. 9.  
& seqq.

**Q**UVM hęc etiam verba ad pietatis studium ac divinę legis obseruantiam penitus necessariam perspicue faciant, & non tantum credere (quod hic Christus vocat *audire*, vtique non aure corporis, sed aure cordis) sed & *facere* doceant, Calvinus totum ad vnicā fidem trahit. Sic enim hęc verba exponit. *Perinde est ac si dixisset veram deum esse fidem, quę profundas habet radices in corde, & serio constantique affectu quasi fundamento nititur vt tentationibus non cedat.* Hęc ille. Qui Caluini portentosam doctrinam, de vnicā piorum fide, quam semel acceptam amitti non posse sustinet, & de eius radicibus planē imnotis legērit, facile intelligit Calvinum hoc loco per firmam petram, super quam fundata domus nullis tentationibus deijcitur, nihil aliud intelligere quā *specialē suā fidem electis propriam*, quam nullis diffidentię tentationibus vtcumque sæpius agitātā conuelli, aut loco moueri posse præsumit. Christus autem vt in precedenti sermone, sic in ista similitudine, (quam idcirco subiunxit, vt præcedentem doctrinam magis illustraret) per eum qui audit, credentem; per eum qui facit, mandata Dei custodientem sic intelligit, vt qui vtrumque hoc facit, solum demum super firmam petram suam domum edificare doceat; id est, firmum atque immobile salutis ac status sui fundamentum habere, quod nullę tentationes deijciant. Aedificari ergo supra firmam petram, non est solam fidem radicitus tenere, (hanc enim habet qui audit Christi verba &

non

non facit ea) sed est fidem habere *in charitate radicatam & fundatam*, vel *quę per dilectionem operatur*, vt 17. Ephes. 3. Apostolus disertē docuit. Hęc contra corruptelas hæreticas rectē intelligenda & diligenter tenenda sunt. Gal. 5.6.

## IN MATTHÆI CAP. 8.

2. *Domine, si vis, potes me mundare.*

**Q**UVM hęc verba contra certitudinem fidei de præsentī salute & futura gloria, quam omnibus suis & precibus & actionibus adesse volunt Calvinistę, manifestē faciant (hic enim leprosus sine vlla tali certitudine, imo dubitanter loquens quoad Christi voluntatem erga se in particulari, mundatur tamen à Christo, & operatam sanitatem consequitur) aduersus hoc argumētum sic cauillatur Calvinus. *Quod sub conditione loquitur hic leprosus, Domine, si vis, non pugnat cum ea fidei certitudine quam Deus in precibus nostris exigit, Neque enim pius sperare debent homines quā Deus promittat. Leprosus autem nullo Dei oraculo vel promissione certior factus erat quidnā facturus erat Christus.* Hęc ille, cui vno verbo responde, nec ipsos Calvinistas aut vllos fideles vllō Dei oraculo vel promissione certiores factos esse, quidnam illis in particulari facturus sit Christus. Leprosus iste non dubitauit in genere de Christi bonitate, magis quā de potentia, (alioqui Christum non rogasset) sed quia in particulari nullam promissionem acceperat, sicuti nec alius quispiam in verbo Dei acceperat, propterea propter suam indignitatem meritō dicit, & nos omnes dicere debemus, *Domine, si vis*: certitudine illa Calviniana, tanquam impia præsumptione, prorsus reiecta.

F 3

4. Vade,

Certitudo Caluiniana refellitur.

4. *Vade, ostende te sacerdoti.*

Papistarum  
nomine  
antiquissimi  
mos  
Patres  
Calvinus  
taxat.

Sacerdotes peccata purgant.  
De sacerdotio  
lib. 3.

Calvinus à seipso refutatur.

**A**RROGANTER hoc loco contra Catholicos insurgit Calvinus his verbis. *Christus mittens leprosum ad sacerdotem, vitus in lege prescriptos, usque ad tempus abrogationis servare iubet. Quod hinc confessionis sue legem eliciunt Papistæ, in eo sunt insulsi. Leporam allegoricè volunt esse peccatam: Sacrificos autem quos Papa inaugurat, spiritualis lepræ esse cognitores. Ut demus in lege sacerdotibus, hanc potestatem ideo datam esse, ut sciret populus totam suam munditiam eiusque iudicium pendere à sacerdotio; impie tamen hoc ad se rapiunt sacrificii Papales. Quicquid enim honoris datum erat antiquis sacerdotibus, nunc vnus Christus sibi vendicat. Hæc ille. Sed quicquid homo impius contra præsentem Catholicos deblaterat, hoc totum in doctissimos & antiquissimos Patres redundat, quos huic hæretico merito opponemus. S. Chrysostomus ita scribit. *Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudeorum sacerdotibus solis licebat. At verò nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum anime serdes non dico purgatas probare, sed purgare profus concessum est.* Hæc ille. Vide Bedam lib. 5. cap. 68. in Luc. & August. qq. Euangel. lib. 2. q. 40. Vnica ratio quam adfert Calvinus, ex ipso Caluino refellitur. Si enim quicquid honoris antiquis sacerdotibus datum erat, vnus Christus sibi vendicat, & tamen illis hanc potestatem datam fuisse Calvinus agnoscit, ut sciret populum totam suam munditiam eiusque iudicium pendere à sacerdotio: profectò falsum erit quod postea hoc loco Calvinus subiungit, & omnes hodie hæreticorum scholæ sustinent, ex Christi mandato suam peccatoribus munditiam pronuntiare Euangelij ministros. Iam enim*

enim inuenit ipse Calvinus, non vnum Christum sibi vendicare quicquid honoris antiquis sacerdotibus datum erat, sed omnes Euangelij sui ministros hoc honore, idque ex Christi mandato, gaudere, quòd suâ peccatoribus munditiam pronuntiant: qui sane honor antiquis sacerdotibus in figura tantum datus erat, circa lepræ munditiam pronuntiandam. Cæterum non vnum Christum omnem sacerdotalem honorem sibi vendicare, sed pro sua dignatione & perpetua Ecclesiæ suæ conseruatione, sacerdotibus Euangelicis magna ex parte impartijisse, tota SS. Patrum antiquitas contra impium Calvinum docet. Vide illorum verba in Prompt. Cath. in dom. in Albis. Vnus Chryf. apertissimè loquitur. *Pater (inquit) omnem iudicium dedit filio: sed hoc totum video à Dei filio sacerdotibus traditum.* Hæc ille.

Lib. 3.  
de sacerdotio.

26. *Vt quid timidi estis modicæ fidei?*

**O**BSERVATIONE dignum est hoc loco, agnoscere necessariò Calvinum quemlibet timorem non esse fidei contrarium, & fidei defectum nõ quolibet timore coargui, sed ea formidine quæ conscientie pacem turbat, ut nõ recumbat in Dei promissiones. Hæc enim confessio certitudinem fidei, quam perpetuò docet, adeo refellit, vt propterea in Institutione, sua vbi totam hanc doctrinam accuratius pertractat, certitudinem quam ponit omni timore vacuam ab omni trepidatione & dubitatione liberam statuat: lib. 3. cap. 2. Quem etiam in finem Scripturas omnes quæ ad timorem nos hortantur, egregiè deprauat, & nihil aliud quàm reuerentiam filialem nos docere disputat. Vide opus nostrum de Iustificat. lib. 8. cap. 26. & 27.

Certitudo  
fidei Caluini  
refellitur.

Ad Luc.  
cap. 8.  
vers. 47.

86 ANTIDOTA EVANG.  
Sanè idem Calvinus sibi contrarius infra de muliere quæ fluxû patiebarur. *Quia videns quòd non lauit, venit tremens, & cecidit ad pedes Iesu;* dicit Calvinus, quòd talis trepidatio fidei contraria fuit, & excusatione carebat. Sic tractat Scripturas Calvinus, non ex sacra veritate quam illæ tradunt, sed prout ipsi & causæ præsentì commodum est.

## IN MATTHÆI CAP. 9.

6. *Quòd filius hominis potestatem habet dimittendi peccata in terra.*

**V**ENENUM hic suum inspergit Calvinus his verbis. *Hæc potestas longè alia est quàm quæ Apostolis mandata fuit, & qua hodie funguntur Ecclesiæ Pastores. Non enim tam remittunt ipsi quàm remissa restantur, dum iniunctam sibi legationem promulgant.* Hæcille. Cæterum Apostolis datam fuisse à Christo potestatem vt verè peccata remitterent, & eadem potestate fungi hodie Ecclesiæ Pastores, contra Calvinum demonstratum vide in Prompt. Cath. domin. in Albis. Sed & infra ad Ioan. cap. 20. dabitur hac de re contra Calvinum disputandi locus amplissimus.

Ver. 23.

21. *Dicebat intra se, Si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero.*

**Q**UIA ex hoc loco probant luculenter Catholicici reliquias Sanctorum venerationem mereri, & per eorum contactum Deum virtutes operari, quod in Prompt. Cathol. Dom. 23. post Pent. aliqua ex parte nos ostendimus, multum contendit Calvinus vt hoc nobis tam illustre argumentum eripiat. Primum disputat rem vtcunque laudabilem in exemplum trahi non debere.

*Quòd*

*Quòd (inquit) mulier cogitat, si modo tetigerit Christi vestem, si protinus fore sanam, singularis quidam fuit Spiritus Sancti impulsus, neque ad communem regulam trahi debet. Scimus quom protinè ludat superstitio in stulta & inconsiderata emulatione sanctorum. Atqui simie sunt, non imitatores, qui singulare aliquod exemplum absque Dei mandato, & proprio magis sensu quàm Spiritus directione versant. Hæcille, factum quidem laudans, sed quod ab alijs imitandum non est, quia singularis in eo fuit Spiritus Sancti impulsus. Sed primum vnde probat Calvinus, aut quis illi dabit, singularem hunc fuisse Spiritus Sancti impulsus, id est huiusmodi vt rem ex sua natura vitiosam & superstitiosam, neque in exemplum trahendam, in illa tamen muliere fecerit laudabilem? Supponit quidem hoc Calvinus, sed non probat. Deinde etià si singulari Spiritus Sancti impulsu illa mulier sic cogitasset, quia nouum illud sanitatis consequendæ experimentum erat, quomodo probat Calvinus ad cõmnanem regulam trahi non debere, quom illius cogitationis fidem & sententiam Christus tam illustri miraculo remunerauerit? Sed Calvinus suum ipsius paralogisum refutabit, qui in hoc ipso capite de duobus cæcis visu donatis, quorum fidem valde imperfectâ & mancansenset, à Christo tamen remuneratam, sic concludit. *Tametsi hic beneficium duobus cæcis præstitum narratur, tamen ex Christi dicto, Iuxta fidem vestram fiat vobis, generalem elicere doctrinam conuenit, nos, modò ex fide precemur, nunquam in votis nostris, repulsam passuros.* Hæcille. Si ergo illorum fides Caluini iudicio imperfecta. (de qua in sequentibus plura dicemus) beneficium optatum à Christo impetrans, generalem doctrinam facere potest, vt & nos ex fide precantes semper exaudiamur, quanto magis*

Calvinus  
à seipso  
refutatur.

huius mulieris cogitatio à Spiritus S. singulari impulsu profecta, generalem quoque doctrinam faciet, quod similes piorum cogitationes circa Sanctorum reliquias similia beneficia à Christo impetrabunt? Deinde supra cap. 8. ad verba Centurionis dicentis Christo, *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus; Hinc, ait Calvinus, colligi potest generalis regula, certitudinem salutis nostræ ex verbo Dei pendendam esse.* Quam rectè hoc colligat Calvinus, hic non disputamus; sed quàm facilè generalem regulam ex vno Centurionis facto colligat, ostendimus. At huius mulieris factum non secus fuit à Christo remuneratum quàm illud Centurionis. Ex eo igitur & nos, imò Catholica iam dudum Ecclesia generalem doctrinam optimo iure collegit. Quare impius Calvinus serò iam nimis hoc suum commentum obrudit, quum & hanc huius mulieris cogitationem per se laudabilem fuisse, & similes piorum cogitationes Deo semper placuisse, à tot retrò seculis tota Ecclesia Catholica iudicauerit, & experimētis innumeris probauerit. Hæc igitur prima cauillatio, nullius momēti est. Quare & ipse Calvinus eam suspectam habens, ipsum mulieris factum exagitat, & cogitationem hanc non aliquo Spiritus S. impulsu, sed à zelo inconsiderato manasse disputat. Ait enim. *Quod in veste hæsit potius quàm ut se illi sanandam precibus offerret, fortè zelo inconsiderato paululum à via deflexit.* Ecce audet præsumptuosus hæreticus factum illud inconsiderati zeli arguere, quod Christus ipse ita approbavit, ut sanitatem confestim illi concesserit. Sed addit pro aliqua præsumptionis suæ ratione. *Præsertim quum paulo post ostendat dubitanter & perplexo animo id tentasse.* Sed hoc est apertè & perfricta fronte Euangelio contradicere. Nam &

Mulieris  
à Christo  
sanatæ fi-  
des defen-  
ditur.

Christus ipse hoc eius factum ex fide perfectum fuisse affirmat, dicens, *Fides tua te saluam fecit*: & sanitas confestim ex hoc facto consecuta (vt Marc. 5. & Luc. 8. euidentissimè constat) ex optima & firma fide eam hoc cogitasse, Christi que vestimentū tetigisse, manifestè demonstrat. Quod autem postea tremens accessit ad Christū, vt Marcus & Lucas narrant, non id fecit propter aliquā dubitationē, aut animi perplexitatē, circa primū illū simbriæ cōtractū; sed quia Christo interrogante, *Quis tetigit vestimenta mea?* & adhuc *circumspiciente vt videret eā que hoc fecerat,* cepit timere ne offēdisset ita furtim tangendo, & furtiuam sanitatem cōsequendo. Quare (vt est apud Lucam) *videns mulier quia non latuit, tremens venit, & prociudit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum* (vbi suam cogitationē & factum aperuit) *indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit.* Cui statim Christus dixit. *Filia, fides tua te saluam fecit. Vade in pace.* Quid clarius, quàm prioris facti fidem à Christo laudatam & præsentī sanitatē remuneratam fuisse? præsentem autem tremorem huius mulieris postea accessisse, non quod aliqua dubitatione factum prius tentauerit, sed quod facti sui rationē corā omni populo indicare coacta fuerit? Quod sanè Christus studio fecit, vt sancta illa eius cogitatio, factūque fide ac religione plenum, publicè innotesceret: & vt omnes astantes doceret, quantum opere factum tam religiosum illi placeret: eadēmq; opera tum illos tum omnes fideles mōneret simili fide ac religione etiam ea que minime sunt Christi ac sanctorum eius prosequi ac venerari. Impius tamen Calvinus totam hanc historiam Euangelicam corrumpere maluit, quàm superbam ceruicem suam Catholicæ fidei circa

Reliquiarum veneratio.

Sanctorum venerandas reliquias submittere. Quare adhuc addit, & omnem mouet lapidem vt tam celebre argumentum Ecclesiæ Catholicæ è manibus extorqueat. *Iam verò vt deus hoc illi à Spiritu fuisse dictatum, manet tamen fixa regula, fidem nostram priuatis exemplis huc & illuc circumagere non delere: quia Dei verbo penitus affixâ esse oportet iuxta illud Pauli Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbû Dei, Cui fidelis cauillationi facile responderetur. Auditus fidei est verbum Dei, sed prædicatum ab Ecclesia, vt tota Apostoli eo loco disputatio ma-*

*nifeste demonstrat, nosque alibi accuratè offendimus. Prædicatio autem Ecclesiastica hoc semper tenuit, Sanctorum reliquias esse ex fide venerandas: plurimisque experimentis sensit talem ex fide venerationem multa à Deo beneficia impetrasse, sicut hæc mulier Evangelica impetrauit. Quare hoc exemplo fides nostra huc illuc non circumagitur (sectæ Caluiniæ alijsq; sectis hæreticis omnibus hoc proprium est, vt *ventis novæ doctrine* homines huc illuc circumferant) sed in solida Ecclesiæ Catholicæ fide, quæ *columna & firmamentum veritatis est*, firmissimè solidatur. Deinde huius mulieris Evangelicæ exemplum, priuatum exemplum non est, quasi in angulo gestum, vel incerta fide relatum, aut obscurè commendatum, sed publicum & celeberrimum in ipsa Scriptura Evangelica à tribus Euangelistis diligenter commemoratum: & iam à Christo Domino non solum presenti sanitate remuneratum, sed & publica interrogatione qualique inquisitione facta propalatum & commendatum. Denique ita celebre & publicum hoc exemplum est, vt aliquot postea seculis eius memoriam perpetuo miraculo Deus honorare & commendare voluerit, vt videre*

dere est apud historiæ Ecclesiasticæ authores Eusebium libro septimo, capite decimo quarto; Sozomenum libro quinto, capite vigesimo; & Nicephorum libro sexto, capite decimo quinto. Scelerata impietas est, & aperta ad atheismum via, aliquod exemplum in diuinis Scripturis commemoratum & commendatum, tanquam priuatum rejicere: quum non solum dicta sed & facta Christi, vel à Christo commendata, quid facere & credere debeamus, nos doceant.

22. *Confide filia.*

**V**ELLICAT hic rursus & modis omnibus infirmare contendit hoc hæmorrhoiis factum proteruus Caluinus. Ait enim ad hæc verba. *Fidei imbecillitas hoc verbo arguitur. Nisi enim vitiosa esset trepidatio, non eam corrigeret Christus hortando vt animum colligat.* Nihil est hoc hæretico præfractius. Quod in singularem fidei in hac muliere laudem atque commendationem dixit Christus, hoc ille ad fidei eius reprehensionem trahit. Christus enim dicens, *Confide filia*, & confestim adiungens, *Fides tua te saluam fecit*, manifestissime voluit illo verbo eius fidem singulariter commendare. Quid est enim, *Confide filia*, nisi, Esto bono animo filia? Et quare iubet esse bono animo? *Quia*, inquit, *fides tua te saluam fecit*, id est, quia fides tua, qua me tetigisti, mihi tantopere placet, tam firma & valida ac sancta fuit, vt illa te sanauerit, vt propter illam tuam fidem, non propter simplicem contactum, sanitas tibi restituta fuerit. Propter hanc fidem tuam, per quam consecrata sanitate es, esto bono animo. Noli metuere quod te vocauerim, & a acti confessionem coram tota hac

Caluinus præfractè Christo contradicit.

ta hac multitudine compulerim. Non ad tui reprehensionem, sed ad tui commendationem hoc feci. Non vt fidei tuæ imbecillitatē corrigerem, sed vt fidei tuæ firmitatem atque præstantiam toti huic multitudiui propalarem. Quis non videt hunc esse manifestum Christi verborum sensum? Quando præcedenti cap. Christus dixit paralytico: *Confide filii: Remittuntur tibi peccata tua*: an dicit Calvinus quod fidei eius imbecillitas hoc verbo arguebatur? An non potius eius fides disertissimè commendatur, quum statim subiungat Christus, *Remittuntur tibi peccata tua*. Nam in illis verbis, *Videns Iesus fidem illorum, synecdoche est*, ait ad illa verba Calvinus, *quia non ita respexit Christus eos qui paralyticum ferebant, quàm eius quoque fidem intuitus fuerit*. Hæc ibi Calvinus. Eodem modo aduertere debuit Christum hoc loco, quum dicit, *Confide filia*, moxque adiungit, *Fides tua te saluã fecit*, antecedentem fidem respexisse, qua eum tetigit, eamque singulariter commendasse.

28. *Creditis quia hoc possum facere vobis?*

Fides non est fiducia

**Q**UVM fides hoc loco, de qua Christus postea subiunxit, *Secundum fidem vestram fiat vobis*, fuerit fides & firma persuasio de potentia Dei & Christi, non autem fides specialis circa promissiones Dei, aut ipsa fiducia, quam solam hæretici volūt esse fidem propriè dictam, conatur hoc loco Calvinus hanc totam historiam Euangelicam more suo deprauare. *Queri (inquit) potest an de potentia Dei & Christi persuasum esse sufficiat vt quispiam sit fidelis. Hoc enim sonant verba, Creditis me posse facere? Moxque responderet. Atqui ex alijs Scripture locis patet notitiam potentie fore inanem vel frigidam, nisi de voluntate certi*

*se certi sumus. Hoc quidem ille audacter dicit, nullam interea probationem afferens. Sed eadem facilitate negamus in vllis Scripturis certitudinem de voluntate Dei requiri vt aliquis sit fidelis, sed contrà ad fidei naturã sufficere vt ea omnia credat quæ Deus credenda reuelauit. Obiecit adhuc sibi Calvinus quod necessariò replicandum videbat. Christus tamen eorum responso contentus, ipsorum fidem quasi numeris omnibus absolutam laudat. Respondeo (inquit) quum prius Davidis filium confessi sunt, de gratia aliquid apprehendisse. Nam hoc titulo redemptorem gentis suæ honorumque omnium authorem ornabant. Ipse ergo de sua potentia quærens alijs percontatur an serió credant. Hæc ille. Responde vocem illam, *Miserere mei fili David*, fidei quoque vocem fuisse, qua profitebantur se agnoscere eum pro Messia ex femine David. Hanc fidem Christus magis explorare voluit, dicēs: *Creditis quia hoc possum facere vobis?* .j. An sic mererè filium David & Messiam inuocatis, vt serió credatis me posse hoc facere quod petitis? Non dicit, *Creditis* quia hoc faciam vobis, sed quia *hoc possum facere vobis*, manifestè docens fidem propriè dictam non esse fiduciam circa ea quæ vult nobis Deus præstare, sed esse assensum mentis firmum circa omne verum de Deo credendum: quale imprimis est omnipotentia eius. Docet igitur Christus ad fidem quod attinet, id propriè requiri, vt potentiam eius credamus; de spe ac fiducia nihil interrogat. Hanc enim disertè professi sunt, misericordiam eius implorando. Nemo enim orat, nisi qui sperat: & nemo misericordiam flagitat, nisi ab eo quem misericordem & benignum esse confidit. Vide hæc latius disputata in Prompt. Cath. dom. 18. post Pent.*



36. *Miseratus est eis, quia erant vexati & iacentes sicut oves non habentes pastorem.*

**I**N DVLGET hic iterum suo stomacho ac libidini Calvinus, & in Ecclesie Catholicae hierarchiam debacchatur, his verbis. *Eadem hodie in Papatu cernitur vastitas, qui tamen refertus est titularibus pastoribus. Immensa est enim eorum colluies, qui sub nomine Clericatus plebem deglutiant. Porro quum multi sint canes, non tamen eos pudet suam hierarchiam sonare. Sed audienda vox Christi, quae pronuntiat nullos esse pastores ubi non sunt operarij: vagas & dispersas esse oves quae Euangelij doctrina in Dei ouile non congregantur.* Haec ille. Caterum non est hoc interpretem agere, sed putidum calumniatorem; nec Scripturas interpretari, sed ad libidinem, & prurimum maledicendi Scripturis abuti. Interim quae Calvinus mendaciter fingit, in ipsum Calvinum veraciter retorquentur. Eadem quam Christus hic in Phariseis diuinæ legis corruptoribus describit, in Calvinifino cernitur vastitas, qui tamen refertus est titularibus Ministris. Immensa est Calvinistarum colluies, qui sub nomine Euangelij plebem deglutiant, Ecclesias vastant, animas perdunt, regna subuertunt. Porro quum sint lupi rapaces, fures ac latrones, non tamen eos pudet Ministerium suum Euangelicum sonare. Sed audienda vox Christi, & serio audienda, nullos esse Pastores ubi non sunt operarij: operarij autem quos Deus mittit in mundum suam (quod Calvinus alto hic premit silentio) operarij (vt Apostolus loquitur) *inconfusibiles & veritatis periti*, qui ita operantur vt operis non pudeat aut peniteat postea, operarij *recte tractantes verbum veritatis*, operarij *non adulterantes verbum Dei.*

Calumnia  
contra  
clerum in  
Caluinum  
retorque-  
tur.

2. Tim.  
2. 15.  
2. Cor.  
2. 17.

Deni-

Denique operarij *non subdoli, transfigurantes se in Apostolos & novos Euangelistas, qualem se Calui-* 2. Cor. 11  
13.  
nus profiteretur. Postremo *vagas & dispersas oves esse, quae deserta Ecclesia Catholica, vnico ouili Christi, non Euangelij doctrina in ouile Dei congregantur, sed sub Euangelicae doctrinae titulo in varias penèque innumeras sectas distrahuntur.* Catholicae verò Ecclesiae hoc tempore pastores non fuisse penitus canes mutos, nulli melius quàm in Gallia Calvinistae nosse & meminisse possunt: quos ita vocales in primarijs regni illius vrbibus senserunt, vt hoc vno maxime post Deum medio, ab illius nobilissimi Regni diademate depulsi & abacti per annos quam plurimos fuerint; nec nisi sub pelle Catholico regnent, qui haecenus ibi regnarunt.

## IN MATTHAEI CAP. IO.

2. *Primus Simon qui dicitur Petrus.*

**P**ETRI supra ceteros Apostolos primatum hic locus manifestè docet. Neque enim veltare vel vocatione primus erat, sed in vtroque Andreas eum praecessit; deinde à tribus Euangelistis Matthæo hic, Marc. 3. Luc. 6. qui Apostolos ordine recēsent, semper primus ponitur, aliorum Apostolorum ordine non seruato. Nam hic quidem Andreas, apud Marcum Iacobus secundo loco ponitur. Rursum, vt Marcus narrat, hoc eodem tempore, *imposuit Christus Simoni nomen, vt vocaretur Petrus, id est, Caput: hoc inquam tempore quo 12. Apostolos designat; vt eodem momento de capite vicario prospiceret, quo de membris.* Petri pri-  
matus.  
Tergi-

Beza audacia.

Tergiuferantur hic heretici, & grauiter hoc argumentum ferunt. Beza cæteris audacior, in Annotationibus in hunc locum, suspicatur hoc uocabulum, *Primus*, ab aliquo additum. Sic enim scribit. *Quid si hoc uocabulum ab aliquo additum est, qui Petri primatum uellet stabilire?* Hæc est heretica audacia libilis explodenda & anathemate digna, quæ ipforum hæresibus repugnant, è Scripturis expungere. Quo semel admissio, nihil erit in Scripturis ab hereticorum corruptione tutum. Addit homo impudens, ut aliquam dicti sui rationem adferat, *nihil se qui quod cohercat*: quasi non cum uocabulo *Simon*, &c. apertissime cohercat. Sed uoluit ad omnem impudentiam frontem perficere. Addit adhuc, *in hoc ordine nihil mysterij latere, quia idem ordo apud omnes Euangelistas in reliquis Apostolis non obseruatur*. Responde quoad reliquos hoc uerum esse, & idcirco in illis paritate inde optime ostendi. Sed quum omnes in solo Petro ordinem seruent, ut primo se per loco ponatur, manifestum sit, in illius ordine ac loco mysterium esse, & primatus significationem. Prosequitur Beza. *Sed et apud Paulum Gal. 2. Iacobus Petro preponitur, ut plane sint ridiculi qui uolunt hoc argumento tyrannidem Antichristi confirmare*. Hæc ille ridiculo maxime argumento usus. Paulus ad Gal. 2. nullam facit ex instituto Apostolorum commemorationem, sicut tres Euangelistæ, ubi primo situs locus debeatur, idemque ordinem non seruat, sed eum primo loco ponit qui primus illi occurrebat, & qui primus illi dexteris societatis dederat, Iacobus uidelicet Hierosol. Episcopus quem primo conuenerat, ut patet Act. 21. qui eum postea ad Petrum & Ioannem socios semper indiuisos adduxit.

Ver. 13.

Calvinus hunc locum astutius exagitat. *Primus*,

*num*, inquit, inter Apostolos fuisse Simonem Petrum libenter fabentur. Sed quod inter paucos homines ualuit, ad totum orbem extendere nulla ratio patitur. Hæc ille infississime; Si enim paucorum Apostolorum debuit esse primus aliquis, & schismatis tollendi causa caput, à quibus tamen dissentionis aut ambitionis periculum non erat, quanto magis diffusa per totum orbem Ecclesia unum esse Caput oportet, ne inter tot capita fieret dissensio, & omnia vastaret ambitio? Addit Calvinus. *Adde quod qui primus numeratur, non ideo protinus inter suos collegas Dominium habet*. Cui responde, primatum Petri & successorum eius non esse Dominium temporale & imperiosum super reliquos pastores, sicuti qui maior est inter gentes, dominatur eorum; sed esse potestatem spiritualem & Ecclesiasticam componendi & definiendi ea quæ de fide & moribus in dubio uocantur. Concludit Calvinus. *Iam ut omnia illis que postulant, de Petro demus, donec impios & sacrilegos apostatas Petri successores esse probent, eius dignitas nihil ad Romanam Sedem*. Hæc ille. Sed conuictum hoc ac maledictum est, non argumentum. Sic solent heretici, quum argumenta deficiunt, ad conuictia diuertere, in quibus se multo plus ualere norunt quam in argumentis. De Primatu Petri ex Scripturis Euangelicis perspicue & copiose demonstrato, uide operis nostri de Princip. fidei Doctrinal. lib. 6.

Caluinæ cauillationes refelluntur.

Marth. 20 Vide infra ad eadem uerba.

22. *Qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.*

VANVS Erasmus, & post eum Beza, uertunt hic, *Qui sustinuerit*: & Marc. 13. ubi uulgatus interpret uertit, *Qui sustinuerit*, illi uertunt, *Qui perseverauerit*, quum in Græco textu utrobique idem

Versionis nouitas affectata.

G

fit

fit verbum, ὁ ὑπομένει; videlicet vt vulgatam versionem quasi Ioannes ad oppositū quoquo modo reprehenderent. Nam Beza ad Matth. cap. 24. ver. 13. vbi eadem sententia hic reperitur, versionem vulgatam (quam ipse sequutus est Marc. 13.) apertè reprehendit, dicens non ὑπομένειν, sed διακαρτερήσθην perseverandi virtutem significare. In quo lektoris imperitia turpiter abutitur. Ipsa enim lexica græca pluribus exemplis docent ὑπομένειν non minus propriè & frequenter perseverantiam significare quàm patientiam.

38. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.*


Versionis  
Bezae  
ineptia.

**T**HEODORVS Beza circa horum verborum receptissimam versionem, omnes hactenus interpretes corrigit, & nodum in scirpo quærit, vt aliquid in Catholica disciplina arrodatur. Illud, *Qui sequitur me*, ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, vertit, *Qui sequitur me à tergo*. Et causam addit. Sic (inquit) interpretatus sum, quia quum non satisfecerit Evangelista verbum ἀκολουθεῖν sequi, sed addendum aliquid præterea iudicavit, hoc quoque putauimus necessariò exprimendum, quod à veteri interprete & ab Erasmo fuit neglectum. Multi enim se Christum sequi dicunt, quum illi soli sequantur qui à tergo sequuntur, id est, qui illi verbo suo præeuntem possunt ostendere. Quare qui Deum colunt cultu à se excogitato, intelligant se non sequi Christum, sed illi præire velle. Hæc ille, varios religiosorū in Ecclesia Catholica ordines, aut etiam mortificationes voluntarias taxans, quasi cultus priuatim excogitatos; nullum autem Dei cultum probans, nisi qui in verbo Dei scripto expressè mandetur: hoc enim est, *Christum verbo suo præeuntem posse ostendere*. Solent

Solent enim hæretici ex industria pestifera sua venena obscurius porrigere, vt à suis quidem optimè intelligantur, ab orthodoxis verò non ita facillè deprehendantur. Sed vulgata emendatio, quam ille tam necessariò durat, planè ridicula est. Primum quia qui sequitur, non nisi à tergo eum sequi intelli potest. Deinde quia græcum illud ὀπίσω non significat propriè à tergo, sed potè seū retrò, quomodo etiam id fiat, vt Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum: ὀπίσω μου*. Vbi ipse Beza non aliter vertit: & Lucæ 9. vbi eadem verba rum græcè tum latinè habentur, Beza vertit, *Si quis vult me sequi*, prorsus omittens illud, *retro me*, vel *post me*, sicut hoc loco noster interpret facit, eo quòd facillè aduertit, *venire post Christum*, vel *sequi Christum*, penitus idem valere. Ita quam alijs impingit culpam, patrauit ipse. Denique non ὀπίσω, sed ὀπίθεν apud græcos à tergo significat, sicuti de muliere hæmorrhoidi illa Matth. 9. *Veniens retrò*, & à tergo, ἀποστὰς ὀπίθεν tetigit fimbriam vestimenti. Rursum Marc. 5. ἐλθὼσα ὀπίθεν, *Venit in turba retrò*, vbi Beza vertit, *Venit in turba à tergo*. His quippe in locis quia de locali situ & propriè Scriptura loquitur, sicuti & Matth. 15. de muliere Chananæa, *Clamat post nos*, ὀπίθεν ἡμῶν, verbum ὀπίθεν locum habet, quod retrò & a tergo significat. Sed in loco præfenti alijs que supra annotatis, quia non de locali situ aut motu, sed metaphoricè Scriptura loquitur, & de sequela affectuum & morum, non nisi ridiculè diceretur, *Qui non accipit crucem suam & sequitur me à tergo*, quod vulgarus interpres, & ipse Erasmus vt cumque nouitatis cupidissimus, propterea dicere noluerunt.

Iam verò *sequi Christum præeunte verbo*, commentum

Hæretico-  
rum com-  
munitas  
stercus.



Beza com-  
mittit  
quod in  
alijs  
culpat.

Sequi  
Christum  
iuxta scri-  
ptum ver-  
bum.

tum Bezae est, absque Dei verbo : ubi non videt  
caecus hereticus, quod in tota Ecclesia audet re-  
prehendere, in eo seipsum peccare. Nullum enim  
Dei verbum profert aut proferre potest, quo pro-  
berur eos Christum non sequi, nisi qui iuxta ver-  
bum Dei scriptum Christum sequuntur. Sed nec  
religiosorum ordines, nec voluntarie fidelium  
mortificationes, cultus sunt à seipsis excogitati:  
sed vel ab Ecclesiae supremo Pastore, vel à pro-  
prijs cuiusque pastoribus, ubi Christiana disci-  
plina rectè servatur, quos audire, & quibus obe-  
dire Dei verbum nos iubet, expressè approbati.  
Ceterum quid sit hoc loco Christum sequi, &  
tollere vnumquèq; crucem suam post Christum,  
pulchrè explicat D. Basilius in Regulis fusius dis-  
puratis. *Ut Christum (inquit) sequamur, prius oportet  
nos ipsos abnegare. Nihil autem est aliud sui ipsius abne-*  
*gatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, at-*  
*que à suis ipsis voluptatibus recessio.* In quem etiam  
sententiam Gregorius. *Semetipsum abnegat, qui calcato*  
*typho superbiae, ante Dei oculos esse se à se alienum demon-*  
*strat.* Bezae autem cum suis Christum nullo  
modo sequi, his verbis docet Augustinus:

*Christum non sequitur, qui non secundum  
veram fidem & disciplinam Catholicam  
Christianus est.* De serm. Domi-  
ni in monte lib. 1. cap. 9.

Vide Leonem Magnū  
sermone 9. de

Quadra-  
gesima.

(.·.)

Ad inter-  
rog. 6.  
Christum  
sequi  
quid.

Moral. in  
Iob lib. 33  
cap. 8.

## IN MATTHÆI CAP. II.

22. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ  
sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam  
egissent.*

CALVINVS hoc loco quia pro contin-  
gentia rerum & humanarum actionum  
liberrate (quam ille tollere vult, posita  
fatali quadam actionum nostrarum necessitate,  
propter ineuitabilem Dei de singulis tum provi-  
dentiam tum præordinationem infallibilem) hæc  
verba facere videbat, legitimum eorum & ger-  
manum sensum peruertit, ad alias consideratio-  
nes animum lectoris auocans. *Christus, inquit, non  
disputat quid præuiderit Deus futurum de ijs vel illis, sed  
quid facturi fuerant alteri, quatenus ex re ipsa percipi po-*  
*terat, et ad communem humanae mentis captum sermone ac-*  
*commodat.* Hæc ille. Similiter infra verba Christi Ver. 23.  
de ciuitate Sodomis, eodè modo peruertit. *Hu-*  
*mano (inquit) more Christus loquitur: non autem ex cælesti*  
*adyto profert quid præuiderit futurum si Sodomitis Probhe-*  
*tam aliquem misisset.* Hæc ille. Sed hoc nihil aliud  
est quam verba Christi mendacij arguere: vult enim  
quod Christus futurum disertè dixerat, si Christi  
verba  
mendacij  
arguit  
Calvinus  
miracula in vno & prædicatio in altero loco fa-  
cta fuisset, hoc reuera non futurum fuisse: nec  
Christum hoc præuidisse, sed quod possibiliter &  
fortè futurum erat, humano more coniecisse. Quo  
semel posito, & illud quoque quod Christus sub-  
iecit de grauiori pœna & condemnatione in die  
iudicij ciuitatum istarum quam Tyri & Sidonis

aut Sodomorum, secundum Calvinum inane terriculamentum erit, quia non de eo quod futurum erat præuidit, sed humano more quantum rei indignitas postulare videbatur, Christus loquutus est. Quare hac relicta apertissima verbi Dei corruptela, quæ ex his Christi verbis veræ ac solidæ theologiæ documenta deduci possunt, breuiter annotabimus.

Documē-  
ta theolo-  
gica.

Primum id erit, quod Deus propter scientiam suam infinitam, quæ non pender ab existentia obiecti sicuti nostra, præuidet & præscit etiam quæ futura non sunt, sed fieri poterant: non quidem scientia visionis, qua solum actu futura præsciuntur à Deo, & de qua loquitur Augustinus epist. 105. in fine, & epist. 107. & lib. de prædest. sanct. cap. 14. & Prosper in Epist. ad Augustinum illi libro præfixa, negantes Deum præscire quæ futura non erant, ad ea videlicet vel punienda vel remuneranda, quo sensu Pelagiani volebant paruulos non baptizatos damnari propter mala præuisa, quæ, si vixissent, facturi erant, itémque paruulos baptizatos morientes saluari propter bona opera præuisa quæ facturi erant, sed scientia simplicis intelligentiæ: quæ etiam est non entium, sed possibilium esse. Quæ quidem notitia in solo Deo ita perfecta est, vt per hanc solum sufficenter talia cognoscat si ponerentur in actu. Sic Christus hoc loco scientia sua diuina, sed simplicis intelligentiæ, clarè videbat Tyriorum & Sodomorum non possibilem tantum, sed & verè futuram pœnitentiam, si apud eos miracula facta fuissent. Sic Dauidem Sauli tradendum esse si maneret Ceilæ, Deus interroganti Dauidi prædixit, quod tamen eo abeunte non euenit. Sic dicitur Prophetæ, si apud alias gentes

1. Reg. 23.

Ezech. 3.

gentes prædicaret, fore vt ab illis audiretur. Vide Gregor. de Valentia in 1. p. D. Tho. q. 14. puncto 5. q. 2. & Ludouicū Molinam q. 14. art. 13. disp. 43.

Secundum documentum, quod increduli Iudei prædicante & miracula faciente Christo ideo non crediderunt, quia credere noluerunt. Peccauerunt enim isti grauius quam Tyrij & Sidonij, quod ex grauiori condemnatione constat. Peccatū autem esse, & voluntariū non esse, pugnantia sunt. Vide Molinam q. 14. art. 13. disp. 10.

2.  
Pag. 49.

Tertium ex hoc loco documentum, quod cum æquali Dei auxilio alius interdum conuertitur, alius non conuertitur: de quo vide eundem q. & art. eisdem, disput. 12. Quæ enim auxilia gratiæ apud Iudeos istos non valuerunt, eadem apud Tyrios & Sidonios valitura fuisse Christus affirmat.

3.  
Pag. 53. &  
57.

Quartum documentū, quod inter auxilia gratiæ quibus ad credendum homo excitatur, miracula veluti suasiones externæ cōputantur. Quod etiam ex oratione Apostolorum Act. 4. & ex effectu prophetandi quæ Paulus describit 1. Cor. 14. colligi potest. Vide eundem Molinam q. & art. eisdem, disput. 38.

Pag. 234.

Quintum documentū, quod hæc & alia auxilia gratiæ specialia Deus non confert pro ratione vsus liberi arbitrij præuisi aut futuræ, nec ad illos omnes Euangelij prædicatores mittit quos ad fidem conuertendos præuidit, sed salutis media pro suo solo beneplacito disponit: quod idem ex his verbis docet Molina q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 4. & S. Augustinus in libro de bono perseuerantiæ cap. 9.

5.  
Pag. 416.

Sextum documentū, quod ex loco conuincitur certa futurorum etiam liberè contingentiū in

6.

Deo providentia, & electorum quidem prædestinatio atque electio gratuita, reprobatorum vero reiectio iusta: quod in eodem vide Molina q. 14. art. 13. disput. 49. Postremū documentum, quod 7. isti Tyrij & Sidonij reuera fuissent conuertendi (vt Christus disertè dicit) si virtutes ibi factæ fuissent, nec propter defectum efficacis gratiæ (quæ per illa miracula fuisset efficax, propter liberi arbitrij consensum quem illa miracula cum auxilijs gratiæ indubiè elicuissent, vt Christus docet) sed propter defectum miraculorū, & aliorum mediolorum, quæ iuste Deus illis subtraxit; alia tamen multa illis faciens quæ eos promouebant ad salutem (ait in hunc locum Corn. Iansenius) non fuisse conuersos: de quo etiā vide Molinam q. & art. citatis disput. 38. pag. 239.

21. *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

**A**RRORIT hunc locum Caluinus, quia manifestè videbat ex eo conuinci, non in sola vitæ mutatione & resipiscencia, quæ ille totam pœnitentiæ ratione esse vult, sed in operibus quoq; pœnalibus pœnitentiā propriè versari. Ait igitur, vt textū penitus peruertat: *Pœnitentia hic ab externis signis describitur, quorū tūc solemnissimus usus erat in Ecclesia Dei. non quod in hanc partem insistat Christus, sed quia se ad vulgi captū inflectit.* Vult bonus Caluinus pœnitentiā hic à Christo describi, non qualis esse debeat, sed qualis tunc in more illius populi erat; nec hanc pœnitentiæ formam à Christo vel vrgeri vel commendari, sed tantum quid fieri soleat, historice commemorari. Denique non ipsam pœnitentiā, sed signa quædam eius externa notari. Hæ sunt Caluini speculationes,

Pœnitentia actus pœnalis.

nes, vt cilicium à suis humeris auertat, & omne pœnale opus à pœnitentiæ ratione remoueat. Ceterum pœnitentiā hic describi non à loci illius consuetudine, nec ab eo quod solet fieri, sed ab ipsa eius natura, & ab eo quod debet fieri, perpetua in Ecclesia Catholica praxis ostendit, quæ suos pœnitentes huiusmodi operibus pœnalibus exercuit: de quo lege Cyprianū serm. 5. de lapsis, & lib. 3. epist. 16. August. hom. 50. cap. 15. & in Enchirid. cap. 70. Gregor. M. hom. 34. in Euāg. & Curæ pastor. par. 3. admonit. 31. Theodoretum in epitome diuinorum decret. cap. de pœnitent. Chrysost. hom. 22. ad pop. Ant. Neque verò opera pœnalia signa tantum externa sunt, sed proprii fructus, operaque propria pœnitentiæ. Sic enim ad huiusmodi exhortans Ioan. Baptista dixit. *Facite fructus dignos pœnitentiæ, quales fecerunt Niniuitæ, Ionæ 3. Et vidit Deus opera eorum, &c.* quales fecit Dauid, *laborans in gemitu suo, & lauans per singulas noctes lectum suum.* Addit adhuc Caluinus. *Scimus non exigi pœnitentiā à fidelibus tantum ad paucos dies, sed vt se in ea meditanda assidue vsque ad mortem exercent. Atqui non necesse est quotidie sacco vestiri & cinere.* Hæc ille, nō distinguens quotidianā iustorū pœnitentiā (quæ in perpetua supplicationis humilitate subitur, vt scribit August.) ab alia ex magnis peccatis resurgentiū laboriosa vel etiā solempni pœnitentiā, vt à Patribus vocatur atque distinguitur: ab August. maxime homilia 27. ex 50. & homil. 50. capite 9. de Symbolo ad Catech. libro 1. capite 6. & Epistol. 504. Origen. homilia 3. super Leuiticum. Quemadmodum igitur quidam hodie hæretici propter perpetuum Dei cultum ad quem omnes tenentur, nullos volunt esse speciales dies festos ad eum destinatos: sic hic Caluinus propter quotidianam

Luc. 3.

Psal. 6.

Homil. 27 ex 50. & hom. 50. c. 4. & 6. de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 23. & epist. 108.

tidianam omnium etiam in hac vita iustorum penitentiam, grauiorem illam & magnis peccatoribus necessariam, qualem hic Christus describit, eludere vult. Subiungit nihilominus, *exterioriorem istam penitentiam professionem in sacco & cinere, tunc locum habere, quam ex graui aliqua defectione ad Deum se homines conuertunt.* Quibus in verbis videre potuit, quæ de penitentia quotidiana prius excepit, nihil prorsus ad locum præsentem facere. Sed ambiguus & vaser hæreticus nec tacere potuit quod liquida rei veritas illi extorsit, nec dicere tamen voluit quod tota veritas dicendum postulauit, aut à suis inspergendis fallacijs ac venenis abstinere. Pessimè quippe illum hic locus habuit ubi penitentia describitur, non in sola vitæ mutatione aut qualibet antea vitæ displicentia, sed *in cilicio & cinere*, id est, in graui & luctuosa & laboriosa pro peccatis satisfactione, durisque & acerbis penitentia fructibus.

Caluini  
vatricies.

25. *Abscondisti hæc à sapientibus & reuelasti ea paruulis.*

QVVM hæc Christi verba de superbis & de humilibus doctissimi in Ecclesia Patres hæcenus intellexerint, August. serm. 8. de verbis Domini, Gregor. Moral. lib. 27. cap. 9. & Hilarius in com. in hunc locum, vt in Prompt. Cath. in festo S. Matthæ ostendimus, ad quos etiam accedit Chrysost. hom. 39. in Matth. vnus Calvinus, quia de numero talium paruulorum nec erat, nec esse voluit, vult omnino Christum per *Sapientes notare viros doctos ac magnos sine vlla vitij notatione, pauperes vero ignobiles ac viles personas sine vlla virtutis nota.* Nempe vt locum faceret rectoribus suis, coriarijs, sartoribus, tonforibus, & id genus alijs

Paruos  
ac humi-  
les non  
fuit Cal-  
uini.

alijs plebeijs planèque indoctis hominibus, qui noui Euangelij Calviniani præcipui præcones per Galliã, hoc Belgium, & Angliam erant. Rationem adfert, *quia etiam superbi ac feroces aliquando ad Apostolica munera à Deo vocantur*, quod ex Pauli exemplo probat. Cæterum nec Paulus quum adhuc Saulus esset, ex mera superbia & ferocia talis erat, sed, vt ipsemet profiteretur, *& labor paternarum traditionum, & ex ignorantia peccans*, nec qualemcunque illam suam ferociam factus Apostolus retinuit, sed in alium virum conuersus paruulus erat; nec denique magis contra superbos quam contra doctos hoc exemplum facit, quum Paulus in lege Moysaica ante conuersionem doctissimus fuerit, *ad pedes Gamalielis institutus*, vt ipse Paulus profitemur. Tenenda igitur veterum Patrum saluberrima expositio, & nouella reijcienda Calvinii corruptio.

## IN MATTHÆI CAP. 12.

26. *Si Satanas Satanam eiecit, aduersum se diuisus est.*

QVVM hæc prima Christi responsio ad illam Phariseorum blasphemiam, quod in principe dæmoniorum dæmonia eieciat, locum habeat in illa dæmoniorum eiectione quæ vera & efficax est, & qua inuitus dæmon ab homine pellitur, non autem de fictitia illa cessione qua per collusionem quandam eijci sed dæmones etiam aliorum dæmonum opera interdum patiuntur, aut fingunt potius, de qua disputat S. August. in lib. 83. qq. q. 79. Calvinus fictitiam hanc & illusoriam dæmonis eiectionem Catholicæ

De exorcismo  
Catholico

tholicæ Ecclesiæ tribuit, quando per exorcismos dæmones eijcit, vel inter reliquos minores ordines exorcistas constituit. *Exorcismi* (inquit) *in Patu nihil aliud sunt, quàm umbratiles & fictitij Satanæ contra seipsum conflictus.* Et paulo post, explicans illa verba, *Filij vestri in quo eijciunt, ait, Non dubito quin veteres exorcistas notet, quorum tunc vulgaris erat usus apud Iudæos, qui invocato Dei nomine dæmones fugabant. Postea Papistæ, ne sua conditio inferior esset, illos amulatæ sunt in creandis exorcistis: atque hoc modo finiarum finie fuerunt.* Hæc ille, ipsum ordinem exorcistarum in Ecclesia irridens, & in exorcismi ceremonia quæ baptizandis adhibetur, non veram dæmonis eiectionem sed fictitiam fieri, & Satanæ contra seipsum conflictum docens. Ira planè sicut Christum Pharisæi, sic ille Ecclesiam æccusat quòd opera Satanæ Satanâ eijcit. Sed hac in re veteres hæreticos sequitur, imò superat Calvinus. Pelagianos qui in parvulis peccatum originale negabant, & consequenter in potestate dæmonis illos esse agnoscere nòlebant, ex ipsa exorcismi ceremonia refutat Augustinus. Ceremoniam penitus improbare non audebât Pelagiani, audeat Calvinus. In illa tamen ceremonia fictitiâ esse dæmonis eiectionem aiebant Pelagiani, sicut hic ait

Parvulorū  
exorcismus.

De pecc.  
originali  
lib. 2. c. 40

Calvinus. Sic enim de illis scribit August. *Ipsa Ecclesiæ sacramenta quæ tam prisce traditionis autoritate concelebrat, ut ea isti quamvis in parvulis existiment simulatoriè potius quàm veraciter fieri, non tamen audeant aperta improbatione respicere; ipsa inquam Ecclesiæ sacramenta satis indicant parvulos à patre etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem non fallaci sed fidelis mysterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis & excussatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus*

*bus portantur, sese renunciare respondent.* Hæc ille. Eandem ceremoniam contra illos vrget epist. 105. *Circumstipantur* (inquit) *& diuinarum autoritate lectionum, & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in baptisate parvulorum, vbi apertissimè demonstrantur infantes, & cum exorcizantur, & cum eis per eos à quibus gestantur renunciare respondent, à diaboli dominatione liberari.* Hæc ibi. Idem frequenter contra eosdem alibi vrget, de rup. & concup. lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 18. vbi ait, *In Ecclesia toto orbe diffusa exorcizantur infantes baptizandos, ut ab eis princeps mundi eijciatur foras, à quo necesse est ut vasa iræ possideantur.* Eandem ceremoniam testatur Nazanzenus orat. in sanctum Iuacrum. Cyprianus lib. 4. epist. 7. Ambros. lib. 1. cap. 5. de Sacramentis. Optatus lib. 4. contra Parmenianum. Cælestinus epist. 1. cap. 12. & Leo epist. 4. cap. 7. vbi dicit, *secundum Apostolicam regulam hanc ceremoniam exerceri; non ad imitationem exorcisimorum in Iudæis, ut nugatur Calvinus.*

Porro accepisse Ecclesiam potestatem à Deo coercendi & eijcendi dæmones per exorcismos, testatur tota contra impium Calvinum antiquitas. Iustinus in dialogo cum Tryphone, Tertullianus in Apologetico cap. 32. in lib. de corona militis, & alibi sæpe. Cyprianus in lib. ad Demetrianum. Lactantius lib. 2. cap. 16. & lib. 4. cap. 27 & lib. 5. cap. 22. Deniq; August. de ciuitat. Dei lib. 10. cap. 22. Sed & ordinarium quoddam officium exorcizandi dæmones in Ecclesia Catholica, olim quidem fuisse, multa Concilia testantur, Conc. Antioch. can. 10. Carthag. 4. can. 7. & Laodicenū can. 29. Hodie autem vsque superesse, frequentia etiam nostri temporis exempla eaque recentissima docuerunt. Sed suam singularem impietatem

Exorcismus dæmonum.

vel



Calvinus  
Iudaizans

vel in hoc maxime patefecit Calvinus, quod Iudeorum exorcistas, tamen ex legis præscripto eos non haberent, agnoscit tamen, eo quod Deus ut in fœderis sui fidẽ puròq; cultu illũ populum retineret, suam inter eos præsentiam varijs miraculis subinde testaretur; in Christiana autem & Catholica Ecclesia ut in noui fœderis fide puròque Dei cultu nouus populus retineretur, nullos exorcistas, nulla miracula nisi fictitia vult agnoscere. Ita Iudæis magis fauet Calvinus, quam omnibus hæctenus ante Lutherum natum populis Christianis.

31. Spiritus blasphemia non remittetur.

Caluini  
blasphemiam  
in  
Spir. S.  
duplex.Peccatum  
in Spir. S.  
quomodo  
remitti  
nō potest.

**H**OC Christi verbum preuens Calvinus, aliam in Spiritum S. blasphemiam depromit. Quæ enim per Spiritus blasphemiam illud peccatum intelligat, quo quis contra proprium animi sui sensum Dei donis & virtuti obrectat, & qui destinata malitia Dei gratiam & virtutem oppugnat (quod ei libenter concedimus, quia illa omnino erat Phariseorũ hoc loco blasphemiam) mox concludit, hanc blasphemiam infallibiliter nō remitti. Mirum (inquit) non est, si tali sacrilegio spem veniæ præcidat Christus. Ita aliam blasphemiam pronuntiat, docens in huiusmodi peccato desperationẽ, quæ vna est contra Dei Spiritum blasphemiam, eaque maxima, vt accuratẽ docet S. August. de verbis Domini serm. 11. Sed sententiæ suæ enormitatem defendere conatur. Durius (inquit) hoc quibusdam videtur, ideoque ad puerile cauillum confugiunt, irremissibile vocari, eo quod eius venia est ad impetrandam difficilis. Vocat puerile cauillũ cauillator impotens, quod

quod facile docebitur esse virilis & genuinus verborum Christi sensus. Quum enim in alijs illis Christi verbis, *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei*, nullo modo intelligi possit, *infallibiliter remittetur* (sic enim in huiusmodi peccato totalis præsumptio docetur, vt nec peti quidem eius veniam opus sit, eo quod infallibiliter remittetur) sed intelligendum est quod facilius remittetur: sic in istis Christi verbis, *Qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei*, necessariò intelligi debet, quod difficilius remittetur, non autem quod infallibiliter nō remittetur, aut penitus irremissibile sit. Quare quod Calvinus pro confirmatione subiunxit, *expressius loquutum esse Christum quam vt adeo futiliter eludi queant eius verba*, futilissimè ab eo dictum fuisse, manifestum nunc est. Non enim minus expressè in alio membro de futura remissione loquutus est: quam nihilominus commodè explicare vt iam diximus necesse est. Addit adhuc Calvinus. *Nimis etiam stultè ratiocinantur crudelem fore Deum si peccatum nunquam remittat, cuius atrocitas nos omnes in stuporẽ rapere debet.* Atqui & alia flagitia sunt quorum atrocitas in stuporem nos rapere debet, vt peccatum contra naturam, odium Dei, homicidium voluntarium, & alia quæ clamant vindictam in cælum: quæ tamẽ peccata si Deus non remitteret legitima interueniente penitentia, non quidem crudelis diceretur, neque sic orthodoxi ratiocinantur, sed bonitati & misericordiæ suæ in Scripturis reuelatæ contrarium faceret.

Pergit Calvinus. *Eiusdem inscitie est quod excipiunt, absurdum forsi ne penitentia quidem veniam impetret.* Magna igitur fuit Elaiæ Prophætæ inscitia, qui ex ore Dei sic scribit. *Si fuerint peccata vestra vt cocinum, quasi*

Peccatum  
omne in  
hac vita  
remitti  
potest.  
Esa. 1.

quasi

*quasi nix dealbabitur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt:* nempe mediante poenitentia, de qua prius dixit: *Lauamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quis scite agere peruersè,* &c. Sed impius Calvinus, quasi theorema non theologum ageret, verbis odiosis causam aggrauat, iustis argumentis non depugnat. Sic superius, puerile cauillum, stultam ratiocinationem, & nunc inscitiam vocat, quæ certissimæ veritatis argumenta sunt. Nullum enim apud Christianos & theologos omnes certioris veritatis dogma est, & nihil apertius penè quæ frequentius in Scripturis docetur, quàm in quibuscunq; peccatis poenitentia semper locum esse: & misericordiam Dei superexaltare iudicium. De quo lege Molinã q. 14. art. 13. disput. 10.

Sed Calvinus quam nobis obiectat inscitiam aliquo fortè probabit argumento. Subiungit. *Certum est enim reprobationis signum in Spiritum blasphemia.* Sed nec probat hoc quod dicit; nec si probaret, intentum tamen conficeret. Nam signa certa reprobationis tum plura & alia esse possunt præter hoc unum, tum in quo illa sunt, non semper sequitur reprobatio. Signum enim quidem & certum esse potest, quod infallibile signum non est, sed probabile tantum. In Paulo ante conuersionem multa signa reprobationis erant. Singulari tamè Christi misericordia veniam consequutus est. Concludit tandem Calvinus. *Sicuti fieri posse negamus, ut qui verè Spiritu regeñtus est, se in tam horrendum scelus præcipitet; sic rursus tenendum est, qui exciderint, nunquam resurgere.* Hæc ille. Sed hoc est vno absurdo aliud defendere, & ex falsis principijs mendacia concludere. Calviniana hæresis est, vnicam esse electorum fidem, eamque semel acceptam amitti

non posse, quod olim Iouinianus hoc nomine hæreticus docuit. Ex illa hæresi cōsequitur, semel in Christo regeñtum agnitam veritatem deferre non posse. Ex hoc ergo hæretico principio à contrario infert: Ergo qui semel exciderit, nunquã resurget, vbi & antecedens falsũ atq; impium est, & consequentia futilis ac vana est. Illud enim potius sequeretur, quod agnita semel veritate, fideique & gratiæ donis acceptis, nemo ab eis excidere posset: ideoque peccatum hoc non in eos cadere qui excidunt à pietate, sed in eos qui eam nunquam amplexi sunt. Deinde etsi verum esset verè pios in tam horrendum scelus nunquam se præcipitare, id est, à pietate ad tantam impietatem non excidere, non sequitur tamen impios eò semel prolapsos resurgere non posse. Nam vt Dei gratia conseruantur pij ne tam horrendè cadant, sic Dei misericordia quomodolibet prolapsos frequenter releuat, vt innumera exempla docent: maximè vnus Petri, quem ter Christum Luc. 22 abnegantem, respexit tamen Iesus, & ad poenitentiam inflexit.

32. *Non remittetur neque in hoc seculo neque in futuro.*

QVOMODO ex his Christi verbis medius locus mediũque tempus inter hanc vitam & extremum iudicium, in quo peccata vel remittantur vel non remittantur, necessariò colligatur, huncque locum purgatorium esse, quod Catholica credit Ecclesia, in Prompt. Catholico in die animarum latè explicuimus. Hic tamen *insulsos* nos vocat Calvinus, *qui ex tam frigida materia ignè purgatorium accendimus,* & magistri sui dictata eisdè penè verbis repetit Beza in Annotat. in hunc lo-

Caluini  
probatio  
audax  
affirma-  
tio.  
Verba ha-  
bes loco  
citato.

1. Cor. 3.

Beza cæ-  
citas.

De Ciuit.  
Dei lib.  
13. cap. 11

cum Caluini argumentum duplex est. Primum, quod per *verbum futuri seculi, extremam diem notari cuius patet*. Ita sanè, quia nullo modo probare hoc potuit, rem ex se manifestam & cuius patere affirmat. Cæterum nec doctissimo Augustino, nec Gregorio, nec Bernardo, nec Isidoro, illud vlllo modo patuit, quorū primus de Ciuit. Dei lib. 21. cap. 24 secundus dialog. lib. 4. cap. 39. tertius ser. 66. in Cant. quartus de diuinis officijs lib. 1. cap. 18. ex his verbis medium purgatorij locura manifestè designari docent. Alterum eius argumentum est, *quod in futuro seculo non nisi penam remitti, nos ipsos confiteri ait, qui tamen de culpe remissione negare non possumus*. Cæterū Catholicorū doctrinam vel ignorauit vel nequiter dissimulauit, qui cum Patribus citatis docent, in futuro seculo remitti culpæ leuiore, quas *ligna, fanum, & stipulas* Apostolus vocat; qualia quis cū ex hac vita deferret, ardebunt quidem, sicut tamen vt salui futuri sint per ignem. Beza horum verborum hunc sensum comminiscitur, quod *neque in hac vita constitutis neque morientibus remittetur, quia meritis articulus propriè respicit futurum seculum*. Hæc ille in media luce caligans. Quis enim non videt, mortis articulum præsentem vitam terminare, non futuram respicere? Qui moriuntur, interim dum in mortis articulo versantur, ad hoc vtique seculum & ad hanc vitam pertinent, non ad futuram. Ad aliud seculum non morientes sed mortui pertinent, de quo vide pulchram disputationē apud Augustinum. Alium adhuc sensum comminiscitur, quia nec Caluini euasiones nec prius suum commentum adhuc illi satisfecerunt. *Remissio (inquit) & comminatio peccatorum in futurū seculum à Christo rejicitur, quia eo die Dominus sua iudicia reuelabit & exequetur.*

Ita

Ita nūc Beza à die mortis ad extremi iudicij diem ingentem saltum fecit. Quo sanè die si aliqua peccata remitti docere Beza poterit, Scripturæ voces mutare debet, quæ illum diem respectu peccatorum non nisi *diem iræ, calamitatis, & miseria* vocant, de quo vide vtrumque Prompt. Dom. 1. Aduentus. *Nulla peccata (ait Beza) post mortē propriè remittuntur, sed vel in hac vita vel in ipsa morte: tamen quia huius remissionis plenum fructum non percipient fideles nisi ab extremo illo die iudicij futuri, videtur quodammodo ipsa peccatorum remissio in illum diem differri*. Hæc ille, ad quem refutandum ipsius verba sufficient. Si enim nulla sit post mortem propriè remissio peccatorum, ergo in diem iudicij non differtur: vel si in diem iudicij differtur, nulla erit aut in hac vita aut in ipsa morte. Totū hoc dicit Beza, nec absurdissimas contradictiones à seipso proferri videt. Deinde quàm absurdum est non distinguere remunerationem iustitiæ, à remissione peccati! Plenus fructus remissionis peccatorum, quæ pars iustitiæ est, est ipsa iustitiæ remuneratio quæ in illo die reddet legitimè certantibus iustus iudex: quæ præcedere debet peccati remissio, vt iustitiæ merces capiat. Concludit Beza, *nimum esse ineptos qui ex hoc loco purgatorium volunt extruere*. Sed nihil illo atque Caluino fuit ineptius, qui tam ineptis & insulsis commentis suis apertissima Christi verba deprauare se posse existimauerunt.

Beza à  
seipso re-  
futatur.

37. *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.*

**M**AGNA confidentia hoc loco tum Caluinus tum Beza contra Catholicos, qui *inlicite* facere impium, exponunt, *facere iustum*, exclamant

H 2 ex hoc

Iustifican-  
di voca-  
bulum.

ex hoc vno loco contrarium manifestè probari, quia *iustificaberis* hoc loco (aiunt illi) nihil aliud significat quàm *absolueris*: quod euidenter conuinci aiunt ex eo quod illi opponitur, *condemneris*. Condemnari enim & absolui propriè opponuntur. Sed breuiter responde: *iustificaberis*, hoc loco significat, gloria & corona dignus iudicaberis; *condemneris*, verò, pœna dignus iudicaberis, non solum ex bonis vel malis operibus, sed etiam ex bonis vel improbis sermonibus: quam etiam ob causam præmisit quòd *de omni otioso verbo reddetur ratio*. Docet ergo Christus partem iustitiæ nostræ etiam in linguæ custodia rectòque vsu consistere, non solum in operationibus bonis. Et hunc sensum habet apud Catholicos iustificare, in secunda quam vocant iustificatione, seu in augmento iustitiæ. Docet quoque Christus partem iniustitiæ nostræ non solum in malis operibus, sed etiam in verbis improbis versari. Verba autem improba condemnant, quia pars vna sunt illius iniustitiæ, ex qua coram Deo rei & iniusti sumus; sicut bona opera, & bona verba iustificant, quia pars illius iustitiæ sunt, ex qua coram Deo iustificamur & iusti sumus. Nullum ergo hic locum habet vel absolutio, quæ effectus iustificationis est, non ipsa iustificatio; vel condemnatio illa qua profertur Iudicis sententia, quæ effectus illius condemnationis seu formalis iniustitiæ est, propter quam talis profertur sententia. Sic Ninivita condemnabunt Iudæos, quia illorum penitentia Iudæorum impenitentiam aggravabit, propter quam condemnabuntur. Nihil ergo hic locus nouitium hereticorum commentum iuuat, circa vocabulum iustificandi. Postremò tamen hoc loco iustificari pro absolui acciperetur, non propterea

Cap. præf.  
vers. 41.

propterea sequitur, in alijs Scripturis quæ ex fide & operibus nos iustificari affirmant; in eodem sensu vocabulum semper accipi, vt heretici volunt: quum eadem vocabula diuersis sensibus accipi in diuinis Scripturis vulgarissimum sit. Talia sunt & tam ficulnea Archihæreticorum argumenta.

50. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, hic frater meus & soror & mater est.*

QVVM hic locus bonorum operum studium, quo facimus voluntatem Dei, & ea quæ sunt placita Deo, *ambulantes in omnibus mandatis & iustificationibus eius*, vt de iustis loquitur Scriptura, mirificè amplificet, ita vt non solum quomodolibet Deo gratos ac iustos huiusmodi pietatis cultores esse doceat, sed etiam Deo gratissimos intimèque coniunctos demonstret, vt iam eos nec pro seruissimum tantum *facientibus ea quæ facere debuerant*, nec pro filijs tantum *qui à spiritu Dei aguntur*, quæ dilectionis quidem verba sunt, cum nota tamen subiectionis magnæque imparitatis coniuncta, sed altius adhuc confurgendo, *pro fratribus & sororibus*, imò etiam pro *matre* habeat. j. in intimam quandam familiaritatè recipiat, summòque dignetur honore; totam hanc tã emphaticã pietatis & obedientiæ mandatorum Dei commendationem vtrò *fidei* verbo impius Calvinus eludere se posse confidit. Sic enim scribit. *Eos intelligit facere voluntatem Patris, non qui exactè à totam legis iustitiam implent (nam ita in neminem competeret fratri vnum nomen quo hic suos discipulos insignit) sed fidem præcipuè commendat, quæ sanctæ obedientiæ fons est & origo: simulque defectus & carnis vitia tegit ne impurentur.* Homo impius ad vnam fidem tan-

Luc. 1.

Obedien-  
tia man-  
datorum.

Luc. 17.

Rom. 8.

Ad vnam  
fidem  
omnia  
Calvinus  
refert.

quam radicem obedientiæ omnia refert, nec videt à Christo hoc loco non radicem, sed fructus laudari; non eos qui credunt, sed qui faciunt. Rursum non videt, sanctæ obedientiæ fontē & originem non esse solam fidē, sed multo magis charitatem. Nam vt *fides intellectum purificat*, quo videat quid sit agendum, & in quem finem actiones dirigendæ, & vnde agendi vis ac facultas petenda est: sic charitas voluntatem accendit, vt quæ agenda vidit, in actionem proferat, vt ad propositum finem currat, vt quæ petenda didicit, ardentem petat. Nam fides apprehendens Christum in sensu Caluini, nullius obedientiæ fons est, sed cerebri Caluini spectrum, Scripturis diuinis incognita. Verum quidem est, totius legis exactam obseruantiam à Christo hic non requiri vt faciat quis voluntatē Patris sui, & fortè de facto neminem adhuc fuisse (Beatiss. semper virginem propter honorem Domini semper excipio) qui totam legem exactè impleuerit, id est, sine peccato fuerit: sed aliud extremum est omnē necessariam legis obedientiam excludere, & in sola fide totū ponere. Facere voluntatem Dei, nec totam & exactā postulat obedientiam, nec nullam, quasi credere sufficiat, sed obedientiam flagitat & significat qualis in hanc vitam cadit, vt *ambulantes secundum spiritum, non secundum carnem*, grauiora mandata exequamur, minores & quotidianos defectus oratione quotidiana purgemus. Quod autem Caluinus totum in sola fide ponat, probatio, quam subiungit, manifestū facit. *Nota est enim Christi sententia Ioan. 6. Hæc est voluntas Patris mei, vt quicumque videt Filium & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vult ergo non nisi fidē à Christo commendari vt faciamus voluntatem Patris, quia qui credit, non peribit. Sed

Act. 15.

Voluntatem Dei  
facere  
quid.  
Rom. 8.

aduertere

aduertere impius hæreticus debuit, vnam hic salutis causam poni, non totam. Qui credit, non perit, quia qui credit, alia gratiæ præsidia accipiet quibus saluetur: de quo vide Prompt. Cath. ser. 2. Pentec. Deinde aduertere debuit alias Scripturas de voluntate Dei. *Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt prebetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Videte fratres vt caudè ambuletis, non quasi insipientes. sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propter ea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, &c. Serui obedite Dominis, &c. Vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes. Vt suis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Patientia vobis necessaria est, vt facientes voluntatem Dei, reportetis promissionem. Deus pacis aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est viuat temporis. Denique illud Ioannis. Mundus transiit, & concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Quis dubitare potest quin his omnibus in locis facere voluntatem Dei, nihil aliud significet quam facere Dei mandata, & bonis operibus operam dare? Quod si facere voluntatem carnis, necessariò in Scripturis significet facere ea quæ caro suggerit, experit, & iubet, vt apud Paulum quum de maximè impijs loquitur, *Cōuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum*: cui dubium esse potest quin facere voluntatem Dei Patris sit ea facere quæ Dei Spiritus suggerit, quæ Deo placita sunt, ac demum quæ Deus in sua lege fieri mandat ac iubet.*

Ioan. 9.

Rom. 12.

Ephes. 5.

Ephes. 6.

Col. 4.  
1. Thes. 4.  
& 5.

Heb. 10.

Heb. 13.

1. Pet. 4.

1. Ioan. 2.

Ephes. 2.

120 ANTIDOTA EVANG.  
iuberet. Sed voluntatem Dei facere, nunquam  
in Scripturis Caluino placuit, ut alijs adhuc in  
locis Euangelicis videbimus.

## IN MATTHÆI CAP. 13.

11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis  
datum non est.*

**A**D hæc & sequentia Euangelistę verba,  
sparfit impius Calvinus infernalis suę  
doctrinę femina, de Deo peccati & cæ-  
citatatis reprobatorū authore atque impulsore acti-  
uo: Afirmat in diuersos fines hominibus à Deo proponi  
salutis doctrinã, & admirabili Dei consilio sic temperari, ut  
non minus odor sit mortis in mortem reprobis, quàm electis  
odor viuificus. Hęc ille. Vult vtrumque finem ab  
ipso Deo proponi, & vtriusque effectus tam ex-  
cæcationis reprobatorū quàm illuminationis cre-  
dentium Deum authorem esse. Hanc ob causam  
affirmat Christum hic *data opera obscurius loquutum  
esse, ut multis ænigmaticus esset sermo.* Addit postea ut  
totum suum venenū effundat, *Deum duobus modis  
priuare homines doctrinę suę luce: interdum ænigmaticè  
loquendo, interdum verò etiam si aperte loquatur, & absque  
figuris mentem suam palam explicet, hebetando tamen illo-  
rum sensus & stupore percutiendo, ut in plena luce cæcui-  
tiant.* Hęc ille, ut probe non secus esse opus Dei  
excæcationem impiorum quàm illuminationem  
piorum. Idem ex hoc loco & alijs Scripturis do-  
cet Instic. lib. 3. cap. 24. num. 13. Sed ex sacra Euā-  
gelij historia non debuit Calvinus talē fuisse  
venenum. Textus ipse manifestè ostendit excæca-  
tionis reprobatorum causam non in Deo, sed in ip-  
sis

Deus non  
excæcat  
reprobos  
actione  
propria.

IN MATTHÆI CAP. 13. 121  
sis reprobis esse. *Ideo in parabolis loquor illis,* (ait  
Christus) ideo sermone obscuro & ænigmatico  
vtor, *quia videntes non vident,* id est, quia quom pos-  
sint videre, nolunt videre. Sic enim postea dicit,  
*Oculos suos clausurunt,* id est, ex propria malitia ad-  
uertere noluerunt. Non igitur idē co Christus in  
parabolis apud incredulos Iudeos loquitur, quia  
data opera voluit eos excæcare & stupore percutere, ut  
impius Calvinus ait, sed quia illi improbi & ma-  
litiosi erant, qui nec apertissimè dicta intelligere  
vellent. Denique fatetur Calvinus, *Matthæum in  
his verbis auditoribus tribuere, ut cæcitatibus suę & duritiei  
culpam sustineant: quia quotquot in sensum reprobum con-  
uerti sunt, sponte & intrinseca malitia se excæcant & obdu-  
rant.* Et rursus, *In ipsis excæcatis residet culpa, quia spon-  
tanea est excæcatio.* Hęc ille, vbi ex parte auditorum  
culpam residere quom agnoscat, ea sola cæcitatibus  
causa contentus esse debuit, & non in Deo aliam  
causam ponere, quod hic Euangelium non do-  
cet. Nam eam ipsam ob causam D. Matthæus  
Eisaię verba quę citat, non iuxta literam hebrai-  
cā profert, vbi sic legitur, *Excæca cor populi huius, &* Esa. 6.  
*auris eius aggraua, & oculos eius claudet;* quę litera quasi  
iussionem & voluntatē Dei actiuam ponit circa  
illius populi excæcationem; sed iuxta versionem  
70 profert: qui sic illa verba verterunt ut sit præ-  
dicitio prophetica, non iussio diuina, quia reuera  
in talibus sermonibus Deus non iubet absoluta  
voluntate quod fieri vult, vel quod facturus est  
ipse, sed prædicit scientia sua infinita quod futu-  
rum est, & quod iusto iudicio suo fiet, subtrahen-  
do quidem gratiam & negando lucem, sed non  
operando cæcitatē, aut stupore percutiendo  
mentes hominum, aut denique ob hunc finem  
proponendo doctrinam salutis quibusdam ut ea

excecentur: quæ omnia impius Calvinus hoc loco docet vt semina iaciat teterime suæ doctrinæ, quodd Deus est author peccati, non solum permittens illud subtrahendo gratiam, sed etiam operans illud actiue concurrente, & voluntatem humanam ad malum impellendo.

Abutitur præterea hoc loco alijs Scripturis ad hanc suam impietatem confirmandam. Esa. cap. 28. vbi denūtiat Deus se *Barbarum fore populo qui peregrina & incognita lingua loquetur.* & Esa. 29. *visiones propheticas doctis fore librum clausum & obfignatum in quo legere nequeant: vbi autem apertus fuerit liber, omnes fore idiotas, qui attoniti hærebunt, nescientes legere.* Hæc ille. Sed prior locus quid velit, Paulus eadem verba citans satis nos docuit: nempe prophetiam esse futuræ Iudæorū incredulitatis, eo ipso tempore quo ex admirabili dono linguarum nobis Apostolis & Dei legatis impertito, varijs linguis loquentur illi, de qua incredulitate ait Esaias, *Ea noluerunt audire*: manifestè docens improbam eorum voluntatem liberam, non solum spontaneam vt Calvinus loquitur, huius incredulitatis causam fuisse. Posterior quoque locus non aliud est, quàm similis & eadem prophetia futuræ incredulitatis Iudæorum. Docet enim Propheta veteres prophetias fore Iudæis clausas, vt Christum in illis non videant nec intelligant, idque propter velamen propriæ & voluntariæ incredulitatis, vt Apostolus docet. *Eum autem conuersus fuerit ad Deum, auferetur velamen.* Quæ sanè conuersio vt ex diuina gratia proficiscitur, ita quoque ex libera hominis voluntate semetipsum ad Deum conuerterentis ortum habet, non secus dicentis Scriptura, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Zachar. 1. Thren. 5. *Quam, Conuertere nos ad te Domine, & conuertemur.* Summa

ma ergo est, hominum propriam malitiam & incredulitatem in causa esse, non solum propinqua & proxima, sed plane vnica, si de causa propriè dicta loquamur, cur Dei mysteria à multis non capiantur. Quod in Prompt. Cath. circa hæc ipsa verba latius disputatū vide. Hanc causam in fine huius capituli apertissimè posuit Matthæus dicens, *Christum in patria sua non fecisse multas virtutes propter incredulitatem illorum.* Quæ verba manifestè docent, Deum circa incredulos paratum esse suas partes agere, & propter hominum peruicaciam suam gratiam iustè subtrahere, non ex sola sua voluntate hominum mentes stupore percutere, vt suprâ Calvinus docuit. Nunc enim suorum mendaciorum immemor hoc loco ita scribit, hæc verba tractans. *Sanè ita res se habet. Dominus vbi videt virtutē suā à nobis non recipi, tandē eam subducit: & tandē interea cōquerimur eius opē nobis deesse, quā nostra incredulitas procul arceat ac repellit.* Vide plura in Marc. c. 6.

Domin.  
Sexages.

## IN MATTHÆI CAP. 14.

9. *Propter iurandum autem iussit dari.*

**I**NDVLGET hic stomacho suo Calvinus, non verbi Dei interpretem sed maledicum & intemperantem conuicatorē agens. Quum enim ex hoc Herodis iurando tum temerario & inepto, tum maiori cum impietate seruato, sana doctrina duplex sacrilegium vitandum colligat, vnum, ne temere Dei nomē assumatur, alterum, ne quod temere iuratum est, cum manifesta impietate seruetur: Calvinus ex hac sana doctrina religioni Catholicæ hanc calumniam struit. *Hinc sequitur, ait, vota monastica, quibus coniuncta est manifesta impietas, non magis conscientiam ligare quàm magicos exorcismos.*

Vota monastica  
defendantur.

*cismos, quia Deus sacrum suum nomen ad peccati confirmationem valere non vult. Pōnit homo impius pro manifesta impietate, ponitque tantum, nec vel vno verbo probat, quod tota semper Ecclesia Christi Catholica pro summa pietate, ac totius pietatis perfectione complexa est. Cui breuiter respondendum est. Vae vobis qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, ac lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Vae qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobis metipsis prudentes. Nisi enim arrogantissimus Caluinus in oculis suis valde sapiens fuisset, vota monastica in tota semper Ecclesia & totius antiquitatis testimonio probatissima, tam perfricta & impudenti fronte manifestè impia nunquam pronunciasset. Sed huic impudentiæ vnus Augustinus, quem vnum maximi semper Caluinus facit, satisfaciet. Quod enim de Donatistis dixit, hoc aptissimè in Caluinum quadrat. Meritò (inquit) insultant nomini vnitatis qui se ab vnitatis præcederunt: meritò illis displicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt. Hoc ille. Porro de eisdem Monachis alibi dicit. Qui non perseverauerit implere quod vouit, sit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Hæc ille. Rursum alio in loco plenius. Est quidam modus vouendi communis omnibus, eorum quæ in communi præcipiuntur. Sunt etiam vota propria singulorum. Alius vouet Deo castitatem conjugalem, vt præter uxorem suam non nouerit aliam. Alij etiam vouent & si experti tale coniugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere aut sustinere: & ipsi vouerunt aliquid maius quàm illi. Alij virginitatem ipsam ab incante atate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt & reliquerunt: & isti vouerunt plurimum. Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus.*

*Magnum*

Eccl. 5.

Enarrat. in  
Psal. 132.

In Psal.  
99.

In Psal.  
75. prope  
finem.

*Magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem sanctorum. Magnum votum vouit. Quis que quod vouere voluerit, voueat: Illud attendat, vt quod vouerit reddat: quia scriptum est. Vouete & reddite Deo vestro. Hæc ille, & multo illic plura. Idem denique voti semel facti vinculum vrget, & premit, in lib. de adulterinis coniugijs, lib. 1. capite 24. Solet Caluinus D. Augustinum fidelissimum antiquitatis interpretem meritò vocare. Expostulent ergo contra illum imò contra totam antiquitatem Caluinistæ, quibus auctore Caluino vota monastica cum manifesta impietate coniuncta videntur.*

19. *Aspiciens in caelum benedixit.*

**B**ENEDICTIO hoc loco, ait Caluinus, vt alibi saepe pro gratiarum actione capitur. Sed eadem historia apud Lucam posita hanc expositionem manifesti erroris conuincit, nisi fortè ipsis panibus ac piscibus gratias egisse Christum dicere velit Caluinus. Nam in Luca sic legitur. *Acceptis quinque panibus & duobus piscibus, respexit in caelum, & benedixit illis, & fregit.* Manifestè dicitur quòd Christus ipsis panibus & piscibus benedixerit, id est, bene precatus fuerit, aspiciens in caelum, vt potestatem hanc benedicendi & per benedictionem multiplicandi à caelo se accipere profiteretur. Porro idem Caluinus in capite 19. Matth. ad illa verba, *Oblati sunt ei paruuli vt imponeret eis manus,* ait Christum oblatos sibi paruulos solemniter benedictionis ritu Deo Patri consecrasset. Beza in hunc Matth. locum benedictionem quoque interpretatur gratiarum actionem, quia Matth. 15. & Ioan. 6. in simili miraculo ponitur vox *ὁυχαριστίας,* gratias

Luc. 9.

Benedictio creaturarum.



gratias egit, non autem, *εὐλόγησε*, benedixit. Ceterū Luc. 9. vbi non solū repetitur verbum *εὐλόγησε* benedixit, sed additur relatiuum *αὐτῶς*, illis. j. panibus, in hūc modum cauillatur. *Non dubium est*

Beza inanis lucra & tergiuerfatio.

(inquit) *quoniam εὐλογεῖν hoc loco significat το εὐχαριστεῖν j. gratias agere. Quia tamen additur relatiuum αὐτῶς, & nimis absurdum fuerit cogitare Christum egisse panibus gratias, aut precatum esse panes ac pisces, emollienda est hæc interpretatio. Dicitur ergo panibus benedixisse, id est, de his panibus ac piscibus gratias egisse Deo Patri, & simul eum precatus ut tantilla panum ac piscium copia tantam multitudinē pasceret. Denique ut totum hoc conuiuium ad Dei gloriam referretur. Hæc Beza contra apertam veritatem Euangelicā pertinaciter contendens, & contra stimulum frustra calcitrans. Hæc enim expositio sensum literæ prorsus euerit. Nam de panibus gratias agere Deo, non est ipsis panibus benedicere, sed Deo. At Lucas dixit, quod ipsis panibus benedixit Christus. Deinde precari Deum pro multiplicatione panū, est rursus actio ad Deum relata, non ad panes. At Lucas dicit, ipsis panibus benedixisse Christū, ut benedictionis actio ad panes ipsos referatur. Denique ut totum conuiuium ad Dei gloriam referatur, finis certè benedictionis esse potuit, sed non ipsa benedictio, quæ ad ipsos panes referebatur, si vera narrat Lucas. Postremò si quum in alijs Scripturis legimus, *Benedixit auiibus & piscibus* & hominibus, dicens, *Crescite & multiplicamini*; & ad Abrahamā, *Benedicam tibi*, & *magnificabo nomen tuū*, &c. & rursus de Sara, *Benedicam ei*, & *ex illa dabo tibi filia cui benedicturus sum*, ericque *in nationes*; & denique ad Isaac, *Benedicam tibi*, & *multiplicabo semen tuum*, &c. & postremò de Iacob, *Benedixit ei, dicens, Cresce & multiplicare*; sed & toti veteri populo, *Benedicā panibus tuis, & aquis, & auferā infirmitatem**

Beza glossa literam destruit.

Gen. 1.

Gen. 22.

Gen. 17.

Gen. 26.

Gen. 35.

Exod. 23.

mitatem

*mitatē de medio tuis*, in his multisq; alijs similibus locis nemini dubiū est *benedictiones* Dei ad ipsas creaturas relatas, & aliquid in illis operatas, fuisse: quæ hoc loco hæreticorum tergiuerfatio est, benedictionis actionem in Christo à creaturis tantum aculo multiplicatis remouere, & in solā gratiarum actionem conuertere? Sed impudentes hæretici clamant semper & postulant scriptum verbum & literæ contextum: ipsam tamen verbum & contextum audacissimè peruertunt. Alioqui cur non aduertunt Christum ut hominē gratias Patri egisse, ut Deum verò benedixisse, & benedicendo panes multiplicasse? Sanè dum ita pertinaciter contendunt Christi benedictionem nihil fuisse quàm gratiarum actionem, id obiter agunt, ut diuina sua actione & operatione propria, qua panes benedicendo multiplicauit, Christum ipsemet: quem sibi aditum patefieri gaudebunt in sinu noui hodie Ariani. Tota autem hæc eorum pertinax contentio inde nascitur, ne in diuina Eucharistia, ad cuius doctrinam Christus hæc panū multiplicatione viam sternebat (quam ob causam idem miraculum præter morem suum Ioan. 6. carne sua manducanda proximè habuit, ante hoc miraculum proximè præcessisse ostenderet) benedictionem Christi ad ipsa elementa panis ac vini referri videantur: de quo infra cap. 26. plura dicemus.

Scripturæ ex. xxi. audacter eorum puni hæretici.

Ioan. 6.

28. Domine, si tu es, iube me ad te venire.

Quæ Petri fidem hoc loco omnes interpretes laudent & admirentur, ipsaque res gesta & Christi approbatio proclamet, sed & singularem Petri

Petri fides  
defendi-  
tur.

Petri prerogatiuā supra ceteros Apollolos, quod solus super aquas ambulans ad Christum peruenit, veteres Patres obseruent, S. Chysof. hom. 57. & Bernard. lib. 2. de considerat. ad Eugenium: vnus Calvinus, qui cum alijs hodie hæreticis omnia Petri præclara facta & dicta vel traducere vel extenuare conatur, incredulitatem in eo & temeritatem arguit. Incredulitatem arguit, quia postquam Christus dixerat, *Ego sum*, Petrus tamen dubius & perplexus dicat, *Situ es*, Sed illā vocem non dubitantis fuisse, verūm maximè credentis & confidentis, illud adiunctum manifestè ostendit, *Iube me ad te venire super aquas*. Nulla enim fortior esse fides potuit, quàm iubente Christo, aquis se committere vt super eas ambulet. Nec vnus opinor hodie hæreticus qui solam fidem semper venditat, à Christo iustus hoc facere, idem tentare vellet. Quare illud, *Situ es*, idem significare potest, quod, quia tu es, vt sæpe alibi in Scripturis. Infra cap. 19. *Si ita est causa hominis*, id est, quia sic res habet in matrimonio vt dicis: *Si tamen iustum est*, id est, quia iustum est: *Si passibilis Christus*, si primus ex resurrectione mortuorum, id est, quia vel quod passibilis erat Christus, &c. Deinde si propriè accipiatur, non tamen dubitantis animum, sed maioris habendæ certitudinis affectum demonstrat: vt illud beatissimæ virginis, *Quomodo mihi fiet istud?* ad quæ verba ipse Calvinus ita scribit, *Sciendum est non ita dubitare vel sciscitari vt sensibus suis Dei potentiam vel subiicere vel æquare velit, tantum subita admiratione percussa ad mouendam hanc questionem rapitur*. Hæcille. Eodem in Petri verbis candore vti oportuit. Videns enim tam inuisitatum spectaculum, Christum super aquas ambulare, dicendo, *Situ es*, non ita dubitauit vt sensibus suis Dei potentiam

2. Thef. 1.  
Act. 26.

Luc. 2.  
Calvinus  
à seipso  
refutatur.

tentiam qua homo super aquas ambularet, vel subijceret vel æquaret: tantum subita illa admiratione perculsus (erant enim omnes turbati, & præ timore clamauerunt, existimantes phantasma esse) ad experimentum istius præsentis Christi petendū rapitur: vt cæteris sanè fortior ac firmior in fide, non vt præ alijs magis dubitans. Quare impiè subiunxit Calvinus. *In fide tam exigua & debili erumpit parū considerati voti ardor, Iube me venire super aquas*. Christus enim hoc non vt inconsiderati voti ardorem reprehendit, sed vt præstantissimæ fidei præclarum testimonium approbavit, iubens eum ad se venire super aquas, quod & de facto Petrus præstitit, ambulans super aquas vt ad Christum veniret. Ceterum ad hanc tam luculentam Christi approbationem vide quid cauilletur Calvinus. *Deus plerumque nobis prospicit, negando quod petimus; aliquando autem nobis est facillis, vt ipsa experientia stultitiæ nostræ nos melius conuincat*. Hæcille, vt doceat ideo Christum voto Petri facillè annuisse, vt ipsa postea experientia stultitiæ suæ Petrum conuinceret: nempe quia paulo post submergi cæpit. Sed primum aduerte hoc cauilladi modo omnia piorum vota quibus Deum annuisse in Scripturis legimus, temeritatis quoque damnari posse. Nempe si cum Caluino dicamus Deum facillè illis annuisse, vt ipsa experientia stultitiæ suæ eos conuincat. Ceterum tenendum est, Deū, tametsi electorum suorum pijs ac laudabilibus votis non semper annuat (quod diuini sui consilij secretum est, qui infinite melius nouit quid nobis, & quando ac quomodo expediat, quàm nos ipsi,) stultis tamen & ineptis eorum votis nullo modo annueat. Istud enim esset stulta vota approbare. Vnde etiam sequitur, hanc ambulationem Petri super

Deus  
stultis  
suorum  
votis non  
annuit.

aquas quam Christus primo verbo concessit, & quæ per se non nisi curiosa quædã & inutilis actio videtur, aliquid mysticum & in ipso Petro singulare denotare debuisse, prout Patres suprã notati obseruarunt. Neque verò Petri postea periculum quando submergi cœpit, prioris voti inconsiderantiam, aut prioris fidei imbecillitatem arguit, sed propter nouam ingentẽ ac vehementem tentationem, nouam fidei defectionem atque imminutionem demonstrabat. *Videns enim ventum validum*, ait textus, *timuit*, id est, à priori sua cõfidentia defecit: & sic mergi cœpit. Quare Christus eum *modicæ fidei* appellat; modicæ videlicet respectu prioris, quæ multo maior erat, quando nec vndas nec ventos formidauit, *ambulans super aquas*. Tentatio quippe fidem probat, an constans & firma permanere velit. Nec qui tentationi succumbit, nullam propterea aut modicã semper fidem prius habuisse conuincitur, sed in fide non mansisse plerumque ostenditur. Cæterum totam hanc nouam procellam nouamque tentationem propterquam timuit Petrus, dissimulat prorsus impius Calvinus, vt hunc Petri timorem & periculum subsequens ex priori incredulitate & timore ortum accepisse persuadeat. Aitenim quòd *temeritatis suæ penas dare hic Petrus incipit*. Dicit *dubitationem eius fuisse directè fidei contrariam*. Denique *vanum eius peruersumque timorem vocat*. Sic totam hanc historiam Euangelicam, ne aliqua singularis fidei cõmendatio in Petro appareret, homo impius corrumpit atque peruertit. Quod tamen ad eius singularem commendationem Matthæus scripsit, Marcus verò, qui Christi ambulationem super mare commemorat, hoc Petri admirabile factum more suo tacuit, vt cætera omnia quæ

Caluini  
dokus ma-  
lus.

pro

pro Petri prærogatiua faciunt: ipso hortante Petro, qui Marci Euangelium vidit & approbavit, vt notat B. Chrysostomus.

Homil. 59  
in Matth.

36. *Et rogabant eum vt vel simbriam vestimenti eius tangeret. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.*

**D**ISPLICVIT vehementer hæc narratio Caluino, & iuxta commentarium quem adfert, facillè apparet, si Matthæi loco fuisset, vniuersam hanc historiam altissimo silentio inuoluer eum voluisse. Sic enim ad hæc verba scribit. *Credibile est superstitione aliqua fuisse implicitos quum ad tactum vestis restringerent Christi gratiã. Solum illum fraudabant honoris sui parte, quum nihil virtutis sperarent ex simplici eius verbo. Sed ne limum fumigans extinguat, sese accommodat eorum ruditati*. Hæc ille, pessimo suo fermento totã historię huius Euangelicæ massam corrumpens. D. enim Matthæus volens ex proposito ostendere, quanta iam esset Christi redemptoris nostri existimatio & fama, quantãque populi illius loci circa lacum Genesareth, vbi plurimum versabatur, fides & deuotio erga Christũ, sic de illis scribit. *Et cum cognouissent viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum vt vel simbriam vestimenti eius tangerent, &c.* Quid? An impius Calvinus hoc quoque superstitioni deputabit, quòd *mittentes in vniuersam regionem, obtulerunt ei omnes malè habentes?* At D. Petrus hoc in singulari Christi laudem commemorauit, prædicans fidem Centurioni & eius familię gentium primitijs, quòd *pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo*. Quod si verò prior narrationis pars factum commemorat superstitione carens, 1.

Caluinus  
taxat  
quod  
Euangeli-  
sta lau-  
dauit.

Historia  
Euangeli-  
ca defen-  
ditur.  
Act. 10.

¶ 2

quomodo

quomodo posterior pars factum narrabit super-  
 2. stitione plenum? Deinde an solet Christus alio-  
 rum ruditati sic se accommodare, vt facta super-  
 stitiosa non solum toleret, sed & miraculis bene-  
 ficis honoret? An vel in villo magistro tolerandū  
 hoc esset, vt factum supersticiosum beneficio  
 3. commendaret? An Christus, qui omnem in Pha-  
 risis superstitionem acerrimè semper taxauit,  
 eandem in populo non solum dissimularet, sed &  
 diuinis beneficijs cohonestaret? Dubitari absque  
 impietate non potest, Christum Redemptorem  
 non nisi virtutem supplicantium, maximè fidem  
 ipsam in omnibus suis miraculis ac beneficijs re-  
 munerasse. Quo in genere valde illustre est, quod  
 Luc. 12. rogatus à quodam de turba, *Magister, dic fratri meo  
 vt diuidat mecum hereditatem*; quia peritio illa non  
 fidem aut pietatem vllam, sed auaritiam redole-  
 bat, penitus recusauit dicens: *Homo, quis me consti-  
 tuit iudicem aut diuisorem super vos? Moxque ad illos  
 dicebat: Videte & caute ab omni auaritia, &c.* Non  
 secus Christo odio est superstitio quàm auaritia,  
 maximè veritatis magistro, qui omnem imprimis  
 superstitionem eliminare debet. Qui ergo horum  
 duorum auaritiæ accommodare se noluit, quo-  
 modo tam multi populi superstitioni accom-  
 modare sese voluisse existimabitur?

Caluini  
 cautilia-  
 tiones re-  
 surantur.

Sed & superstitionis suspicio quã hic commi-  
 nificitur Caluinus, prorsus vana & iniqua est. Ait  
 illos superstitione implicitos, quia ad tactum vestis restrin-  
 gerent Christi gratiam. Sed planè contrà se res ha-  
 buit. Non enim ad tactum vestis restringebant  
 1. Christi gratiam, sed extendebant. Tanta enim il-  
 lorum fides erat, vt crederent non solum verbo,  
 aut contactu vel impositione manus Chri-  
 stum sanare potuisse (quod sæpius aut vide-  
 rant,

rant, aut audiuerant) sed etiam solo vestis  
 adeoque fimbriæ vestis contactu sanare posse.  
 Itaque vsque ad ipsam fimbriam Christi gratiam  
 extendebant, nō restringebant. Vnde in hunc lo-  
 cum Chrysoft. *Non similiter vt prius ad domos trabe-  
 bant, & tactum manus inquirebant, sed cum maiori fide eum  
 accedebant.* Id quod etiam verba Euangelistæ bene  
 perpenfa manifestum faciunt. Non enim dicit,  
 Rogabant eum vt solam fimbriam tangerent, quasi  
 eo solo modo Christū sanare posse existimarent,  
 quod fuisset planè ridiculum: sed dicit, *Rogabant  
 eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent*, nempe vt  
 vel hac minima ac facillima ad Christum acces-  
 sione sanari eos permetteret, quem multis alijs  
 modis sanare posse credebant. Addit Caluinus,  
 quod Christum parte sui honoris fraudabant, quū nihil vir-  
 tutis sperarent ex simplici eius verbo. Alia est & insulsa  
 calumnia. Non enim hoc dicit Euangelista, quod  
 verbo Christi diffiderent, aut verbi Christi virtu-  
 tem negarent, sed ostendit eorum fidem tantam  
 fuisse, vt vel fimbriæ contactu contenti essent.  
 Quod inusitatus & rarius erat, credebant; multo  
 magis quod frequentius erat, credidisse dubitari  
 non debet: frequentius verbo aut impositione  
 manus Christus sanabat quàm solo fimbriæ con-  
 tactu. Hanc igitur specialem gratiam ex firma &  
 speciali in eum fide sibi fieri postulabant: quam  
 & Christus vt laudabile ac fide plenū concessit.  
 Si quis à peritissimo & expertissimo aliquo me-  
 dico, quæ vna aliqua sola portione sanare id posse  
 consideret quod alij medici non nisi varijs adhi-  
 bitis medicamentis & multa cura sanarent, roga-  
 ret vt vel illam portionem ipsi ministraret, an iste  
 totam reliquam huius medici artem aut contem-  
 nere aut negligere diceretur? An non potius  
 ostendit

ostendit se de hoc medico magnificè sentire, & propter singularem de arte & peritia eius opinionem, hoc vno medicamento contentum fore? Ita planè in facto præfenti se res habet.

Reliquiarum religiosus vsus descenditur.

Sed nunc cur in hoc facto superstitionis notam hæreretam studiosè Calvinus velit, videamus. Adiungit præcedentibus vt totum animi sui morbum aperiat. *Interea non est quòd inde sibi placeant qui gratiam Dei in ligno aut clavis aut vestibus quærent, quum disertè pronuntiet Scriptura nefas esse quicquam nunc concipere de Christo nisi spirituali celestique eius gloria dignum. Tolerata fuit ad tempus eorū infirmitas qui nescientes Christum esse Deum, propius ad eum accedere optarunt. Nunc quum odore gratiæ suæ cælum & terram impleat, fide non manibus vel oculis apprehendere docet quam è cælis offert salutem.* Hæc ille. Sed nimis serò prophanus homo suam hæc impietatem post annos 1500. nos docet: quum sanctissimi & doctissimi Patres in sanctorum ac maxime Crucis Christi reliquijs toto hoc tempore magnâ venerationem posuerint, variâque à Deo beneficia senserint; nō gratiam Dei in illis quæretes (vt iste impostor odio se loquitur) quæ propriè gratia Dei vocatur, & hominem internè iustificat aut sanctificat, sed varia Dei dona ac beneficia in illis quærentes, quæ vel ad externam incolumitatem vel ad consolationes internas facerent: Augustinus videlicet Ambrosius, Hilarius, Basilius, Chrysostomus, Athanasius, Gregorius Nazanzemus, Gregorius Nyssenus, Theodoretus, Eusebius Emislenus, Cyrillus, Paulinus, Hieronymus: quorum omnium vel verba citauimus, vel loca annotauimus in Prompt. Cath. Dom. 23. post Pent. Hos omnes Caluino opponimus, & meritò antepo-  
nimus. Deinde qui reliquias aut Christi aut San-  
ctorum

ctorum eius venerantur, nihil spirituali aut cælesti Christi gloria indignum (vt obijcit Calvinus) concipiunt: imò de ea tanto magnificentiùs sentiunt, quanto certius credunt, non illum solū, sed quicquid eius est, opitulari nobis posse: siue Sanctos eius, eorūmq; reliquias, siue Crucis lignum, aut terræ contactum vbi passus est. Rursum non est in illis infirmitas toleranda, quasi eorum qui Christum esse Deum nesciunt; sed est pietas maximè laudanda, & eorum qui Christum esse Deum maximè credunt: qui non fiderantum è cælis salutem expectant, sed manibus etiam atque oculis eum apprehendere, quatenus in terris apprehendi potest, cupiunt atque contendunt. Christus in terra manibus atq; oculis apprehenditur, quando vni ex minimis eius poculum aque frigide porrigitur, quando prophetam ab eo missum in nomine prophete accipimus, quando eum in pauperibus esurientem pasчимus, nudum vestimus, &c. Quādo eos quos mittit audiendo & honorando, ipsum audimus, ipsum honoramus. Postremò quando de pane illo edimus & de calice bibimus de quo dixit, *Hoc est corpus meū, & Hic est sanguis meus.* Ex quibus omnibus manifestum est, vanam & impiam esse Caluini speculationem, quòd oculis ac manibus apprehendi Christus non debeat. Deinde an illi pij ac fideles Christum esse Deum nesciebant, quæ ex umbra Petri, & ex contactu sudariorum Pauli, salutem quærebant? An non & tunc Christus in cælesti sua gloria gratiæ suæ odorem in terras spargebat? Planè vel maximè tunc eam spargebat. Sed inter varium diuinæ illius gratiæ odorem, etiam hoc quoque spargebat Christus, quòd per Apostolorum & aliorum Sanctorum suorum manus prodigia faciebat in plebe: & quòd manus  
I 4  
suam

Matth. 10

Luc. 10.

Matth. 24

1. Cor. 11

Act. 5. &amp;

19.

A. 4.

suam extendebat ad sanitates & signa & prodigia facienda per nomen sanctum suum: De quo vno singulari beneficio magnas Deo gratias egerunt Apostoli ipsi & ceteri fideles in vnum congregati, Sed impius Calvinus hoc totum genus ad superstitionem relegat, & propter infirmitatem eorum qui Christum adhuc esse Deum nesciebant, toleratum à Christo tantisper fuisse somniat. Sic ille tota Dei Ecclesia audacissime contempta, suam etiam in diuinis Scripturis crassam ignorantiam rurpiter prodit.

## IN MATTHÆI CAP. 15.

1. Tunc accesserunt ad eum ex Hierosolymis Scribæ & Pharisei, dicentes.

**M**ULTVS & copiosus in hoc capite Calvinus est vt iustissimam Pharisæorum reprehensionem in eo comprehensam in Ecclesiam Catholicam transferat. Videmus (inquit) quanta in ratione & modo colendi Deum sit hominis proteruitia. Non quos enim cultus subinde confingunt; & quo quisque videri vult sapientior suum acumen in hac parte ostentat. Hæc ille pro suo libito garriens. Mox de quibus loquatur ostendit. Non de extraneis loquitur, sed de ipsis Ecclesiæ domesticis, quos Deus peculiariter hoc honore dignatus est, vt pietatis regulam ore suo dictatam habeant. Catholicos ergo acculat, & ipsos imprimis Ecclesiæ magistrōs. Nunc accusationis fundamenta sequuntur. Prescripsit Deus qualiter à nobis coli velit, ac perfectam sanctitatem lege sua complexus est. Hoc Caluino negamus, quod totam rationem cultus diuini in particulari Deus in Scriptura Euangelica vel

vel Apostolica nobis prescripsit. Hanc enim Scripturam per legem Dei significare debet, nisi ad legales ceremonias cultum Dei hodie reformandum iudicet. Causatur hoc merito negari debeat, ex ipsis Scripturis ostendimus in Prompt. Cathol. in Domin. infra Oct. Nat. Domini. circa ieiunia Annæ prophetissæ, & in festo Simonis & Iudæ. Prosequitur suam accusationem Calvinus. *Bona pars, quasi res sit leuis & friuola, obsequi Deo ac seruare quod præcipit, multa additamenta hinc inde sibi accersit.* Generalis accusatio, qua facilitate obijcitur, eadem negatur, & dolosus versatur in generalibus. Sequitur. *Qui auctoritate pollent, commenta sua in hunc finem obrudunt, quasi aliquid habeant perfectius verbo Domini.* Infusa calumnia est hominis impotenter maleuoli. Obrepit deinde tyrannis, quia ubi semel iubendi licentiam sibi sumpserunt homines, rigide exigunt suarum legum obseruationem, nec sustinent vel minimum apicem vel contemptu vel etiam negligentia omitti. Alia rursum hæc est & generalis calumnia à tetro malevolentia pectore profecta, vt facile ostendat Calvinus, in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis se fuisse, quum hæc euomeret. Videamus tamen sequentia, an aliquid sobriè dicturus sit. Porro mundus quum legitimi imperij sit impatiens, maxime que ad iugum Domini ferendum contumax, laqueos tamen vanarum traditionum facile ac libenter induit: imò talem seruitutem videntur multi appetere. Scilicet non cōrentes Ecclesiæ Catholicæ magistrōs tyrannidis affectatæ superstitionis acculat. Bene habet. Homini infani malevolentia & facundia canina nemini vult parcere. Sed nunc quam laruam obtendat, sequentia demonstrant. Interea vitatur cultus Dei, cuius principium ac caput est obedientia. Eius imperio præfertur hominum

A. 8.

*authoritas, morose adeoque tyrannice cogitur vulgus totum suum studium ad nugas applicare. Larvam obtendit de vitiatu cultu Dei, sed totum de finit in accusatione Præpositorum Ecclesiæ; quibus obedire & subiacere quum Apostolus iubeat, hoc totum bonus Calvinus morositatem & tyrannidem vocat. Hæc quasi præfatus Calvinus, vt apud suæ farinae homines, lectoris beneuolentiam captaret, ad doctrinam huius loci descendit.*

Heb. 13.

1. *Docet (inquit) hic locus primam omnes fictitios cultus minime Deo placere. Verum hoc est de omni cultu priuata autoritate aut superstitione inuecto, idque contra Dei legem, qui propriè fictitius cultus est hoc loco damnatus. Talis enim Phariseorum hæc traditio erat, quod filij offerentes dona in Templo, & parentum necessitati non subuenientes, mandatum Dei de honorandis parentibus satisfacerent. Sed an tales fictitios cultus Calvinus intelligat, sequentia docebunt. Quia (inquit) se vnum audiri Deus vult, vt nos ad veram pietatem suo arbitrio formet ac instituat. Cultum ergo fictitium Calvinus definit qui ab vno Deo non instituitur. Cui respondeo. Aut vnus Dei nomine eos quoque complectitur quos Deus mittit, vt eius nomine ad pietatem homines instituant, & sic Ecclesiæ magistros, Pastores ac doctores agnoscit, qui dati sunt ad consummationem sanctorum, & ad edificationem corporis Christi, quæ duo cultus quoque diuini ratione continent, & contra præcepta atque autoritatè Ecclesiæ nihil dicit; aut vnus Dei nomine alios omnes præter Deum excludit, & sic egregiè & impiè mentitur, quum ait, Se vnum audiri Deus vult. Christus enim Deus ipse aliter dixit, Apostolos suos alloquens, Qui vos audit, me audit. Pergit Calvinus. Deinde docet hic locus operam ludere qui vnica*

Cultus  
fictitius  
quis censendus.

Ephes. 4.

Luc 10.

2.

*Dei*

*Dei lege non contenti, in seruandis hominum traditionibus se fatigant. Pertinet hoc ad alia illa verba, Frustra me colunt docentes mandata hominum, &c. quæ postea tractabimus. Tertiò (ait Calvinus) docet hic locus iniuriam Deo fieri quum ita in sublime efferuntur hominum commenta, vt legis eius maiestas ferè concidat, vel saltem frigeat eius reuerentia. De hominum commentis verissimum hoc est, quæ nullo planè in precio quo ad Dei cultum habenda sunt. Sed traditiones Apostolicæ & constitutiones Ecclesiasticæ hominum cõmentata non sunt, sed Dei instituta, vt locis citatis ostendimus. Sed neque illa sic in sublime ferri volumus, vt legis diuinæ maiestas propter earum obseruationem vel minimum violeretur. Sed nunc ad hæc tria seorsim loca ex hoc capite deducta quid disputet Calvinus, seorsim examinabimus.*

2. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?*

**C**AVILLATIONEM hanc & superstitionem Phariseorum in eo consistere vult Calvinus, quod ceremoniam lauandi manus, non per se liberam & indifferentem, sic urgebant contra discipulos Christi qui eam prætermiserunt, quasi rem necessariam & ad Dei cultum pertinentem, quum in lege Dei præscripta non esset, sed ab illis verbo Dei assuta. Idem affirmat de aquæ benedictæ ceremonia Ecclesiastica, quia ad exorcismos illam applicamus, & vt rem necessariam vrgemus, & vnicum baptismum toties iterando, quantum in se est, obliteramus. Quod postremum ab eo ineptissime obijci, vel quælibet anicula Christiana adnertit, quæ aquæ benedictæ vsum à baptismo longissimè distingui statim responderet. Nec secundum

dum quod ponit, vel vllus idiota Catholicus ignorat merum mendacium esse, quū omnes videant in eius vsu nullā necessitatē poni, sed liberē vel assumi vel nō assumi; modō absit contēptus qui non inceremoniā, sed in Ecclesiæ præpositos qui eā instituerūt, imō in Christū cadit, dicēte ad illos Christo, *Qui vos spernit, me spernit*. Primū quod obiecat, apertā Caluini insanīā demōstrat, iuxta illud August. *Quod tota per orbē frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissime insanie est*. Ad cauillationem Phariseorum quod attinet, si rectē expendatur textus, de discipulorum factō nihil in alteram partem respondit Christus, sed in ipsos Phariseos grauiora crimina retorquet; videlicet transgressionem mandati Dei in decalogo propter quādam eorum traditionem in auaritia fundatam; item hypocrisim eorum de qua postea dicitur. Sed factum discipulorum qui non seruabant traditionem illam Seniorum de lauandis manibus, Christus apertis verbis nec defendit nec damnat, vt propterea traditionum Ecclesiasticarum cōtemptum ex hoc factō discipulorum Christi deducere hæretici nullo modo possint. Cæterum vtcunque hæc in re discipuli vel peccauerint vel non peccauerint (Christus enim eorum factum nec damnat nec defendit) traditiones illas Seniorum cum traditionibus Ecclesiasticis nullā planē affinitatē habere, duabus maximē ex causis notandum est. Primū quia tota ratio cultus diuini apud Iudæos in ipsa lege Moysaica exactissimē & scrupulosissimē tradita fuit, disertēq; veritum nequid ei adderetur, dicente Moyse: *Nō addetis ad verbum quod ego vobis loquor*, &c. Quare reliquis prophetis aut sacerdotibus post Moysen nulla est data potestas nouas sacrificiorum ceremonias

Luc. 10.

Epist. 118  
cap. 5.

Traditio  
Seniorum  
à discipu-  
lis negle-  
cta hære-  
ticos non  
inuauat.

Traditio-  
num Ec-  
cles. discrimen à  
Pharisei-  
cis.  
Deuter. 4.

monias instituendi. Atqui de cultu nouæ Ecclesiæ quam Christus erexit, Christus ipse excepta Sacramentorum institutione & precandi formulā nihil ordinauit; nec in historia Euangelica vlla prohibitio extat, vt ad verbum Euangelij scriptum nihil addatur, sed contra Christus iussit suos Apostolos *sicut semetipsum audiri*: misit illos cum amplissima potestate *sicut Pater ipsum miserat*; promisit & postea misit *Spiritum S. qui eos omnia doceret*. Denique ipsi Apostoli & Seniores præcepta varia promulgarunt, & obedientiam alijs Præpositis deferendam præscripserunt. Reliquerunt igitur nobis traditiones partim scriptas in epistolis, partim nō scriptas, vt Paulus testatur. Hæc est vna latissima differentia cur Seniorum traditiones nō scriptæ in lege, à discipulis Christi neglige potuerint, traditiones tamen Ecclesiasticæ non scriptæ in Euangelio, vel literis Apostolicis, contemni à Christianis non debeant. Altera ratio est, quod hæ traditiones Seniorum ad nullam populi Iudaici ædificationem, sed ad onus inutile; nec ad diuini cultus augmentum, aut tanquam medium melius colendi Deum, vt affirmat Caluinus, sed ad eius corruprelam potius faciebant. Vnde illa omnia *aniles fabulas* Paulus vocat, vt docet August. contra aduersar. Legis & Prophet. lib. 2. cap. 1. & à recentibus Scribis ac doctoribus paulo ante Christi aduentum ortum habuerunt, vt latè describit Epiphanius in hæresi Ptolomeitarum, & D. Hieronymus varijs in locis: in cap. 8. Esaie, in cap. 3. epist. ad Tirū, in epist. ad Algasiā q. 10. Vide quoque Ireñem lib. 4. cap. 25. & 26. Traditiones autem Ecclesiasticæ, quas exemplo discipulorum Christi contemnere volunt hæretici, sunt traditiones Apostolicæ, & totius anti-  
quitatis

Luc. 10.

Ioan. 15.  
& 16.Act. 15.  
& 16.

Heb. 13.

2. Thes. 2.

1. Tim. 1.



quitatis testimonijs firmate, non recenter inuenta, omnésque ad Dei cultum & populi ædificationem instituta. Quare nullam, vt dixi, affinitatem traditiones Ecclesiastica cum Seniórum traditionibus, quarum transgressio à Phariseis obijcitur, nihil commune habent.

3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

**H**Oc erat maximum Scribarum & Phariseorum sacrilegium, quòd illis recentibus suorum traditionibus ita inhærebant, vt propter illas seruandas Dei mandata in lege scripta violarentur. Id quod dupliciter fiebat: vno modo suarum traditionum obseruariã magis exactè & rigidè à suis exigendo quàm scripta in lege Dei mandata, quod apud Marcum priori loco, hic verò apud Matthæum posteriori loco à Christo obijcitur, nòsque posterius examinabimus. Alio modo ipsa Dei mandata per suas nouas traditiones qualique expositiones peruersas corrumpendo, vt in textu apparet circa mandatũ de honorandis parentibus. Hoc idem crimen Catholicæ Ecclesiæ generalibus verbis obijciunt hæretici, sed in nulla Ecclesiastica traditione hætenus hoc probare potuerunt. Neque hoc loco Calvinus hunc transgressionis modum Catholicis impingit, sed priorem illum, quem Christus non istis verbis, vt putauit Calvinus, sed alijs expressit, quæ nunc explicanda sunt.

9. *Sine*

9. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

**D**UPLICEM hypocrisim in Iudeis notauit Esaias, & vt Christus exponit, non tam de sui temporis Iudæis quàm de futuris Mesiæ tempore prophetauit. Prima hypocrisis erat, *labijs Deũ honorare sed cor ab eo longè habere: id est, profiteri quidem se nō nisi vnum & verum Deum colere, verum tamen Mesiã à Deo misum nolle agnoscere & recipere, sed eũ toto corde auerfari.* De hac hypocrisi nihil hoc loco Calvinus. Altera hypocrisis erat, quòd plane frustra & sine vllò fructu Deũ colebant, quia in eius cultu, vel ad eum rite colendum, suas traditiones & doctrinas humanas sedulo alios docebant, vel obtrudebant potius, relinquentes iaterim, & negligentes mandata Dei. Hòc enim Marcus expressè adiunxit tanquã causam & rationem præcedentis prophetiæ in illis adimpletã. Verbis enim Prophetici à Matthæo hic citatis adiungit. *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum.* Hic est igitur horum verborum sensus, *Frustra me colunt, &c.* & hanc ob causam *docere doctrinas & mandata hominũ* à Christo reprehenditur, quia hoc ita fit, vt propter illa humana mandata, Dei mandata negligantur. Fuit ergo Pharisæica hæc (vt Calvinus ipse agnoscit) *non ex professo sed obliqua transgressio legis Dei, quum officia diuinitus iniuncta securè omitti patiebantur.* Scribe enim suis placitis ita addictum tenebant populum, vt intrudere verbo Dei non vacaret. Hæc ille & alia quaedam, facis rectè Pharisæicam transgressionem, qualis esset, describens. Sed mox impie & insulsè admodum in Catholicam

Hypocri-  
sis Iudæo-  
rum du-  
plex.

Marc. 7.

cam Ecclesiam idem crimen retorquet his verbis. *Nunc pro se quisque expendat, an non hodie magis hæc prauitas in Papatu grassetur, quam olim apud Iudæos. Non negat quidem Papa quia sit obediendum Deo. Sed ubi ad rem ventum est, quia non secus ac capitale crimen detestantur modicum carnis gustum, quibus furtum vel scortatio veniale delictum est, propter suas traditiones euertunt legem Dei.* Hæc est licentia Caluiniana & omnium hæreticorum hodie, non nisi putidis mendacijs Catholicam doctrinam traducere, suosque miseros discipulos meris mendacijs pacere. Non modicum carnis gustum (qui aliqua ex causa etiam ieiunio seruato legitimus esse potest) sed iustam ex carne refectioem tempore ieiunij, non semper & simpliciter vt capitale crimen detestatur Ecclesia, (nam vel infirmitas ab omni peccato, vel obliuio aut ignorantia diei ab omni crimine liberare potest) nec tam in ipsa simplici comestione capitale crimen ponit, quam in contemptu legis Ecclesiasticæ, vel in scâdalo aliorum. Furtum verò vel scortationem pro veniali delicto Catholica Ecclesia nunquam habuit; nisi aut furtum intelligat ubi materiæ exiguitas à mortali excusat, vel de scortatione loquatur quæ sola cogitatione concipitur absque consensu criminis. Quæ sanè duo nec furtum nec scortatio simplici sermone appellanda sunt. Sed aliter quam mentiendo Pharisaicam transgressionem Catholicæ Ecclesiæ impingere Caluinus non potuit.

Postea exponens illa verba, *Sine causa colunt me, &c.* ait hoc à Christo in vniuersum reprehendi, quòd homines peruersè Deum colant suo arbitrio. Qui sanè sensus de priuatis hominum cultibus acceptus verus est, sed nec intentus à Christo hoc loco, vt iam ostendimus, nec ad traditionum Ecclesiasticarum repre-

Putidis mendacijs accusatur Ecclesia.

reprehensionem vlllo modo pertinens, quæ ipsum Deum authorem habent, non priuatos homines, vt dictum est. Addit postea docere his verbis Christum, non alium esse rationalem Dei cultum, quam qui ad regulam verbi eius formatus est. Sed supra ostensum est, nec Christum hoc loco huiusmodi aliquid docere, nec illud in Ecclesia Christi verum esse, tamen in Synagoga Iudæorum quoad publicos & prescriptos cultus verum erat. Nam apud eosdem ex priuato pietatis instinctu multa laudabiliter circa Dei cultum à multis præstita fuisse, varijs exemplis ostendimus in Prompt. Cath. Dom. infra Oct. Natal. Domini.

11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

**O**MNES penè hodie hæretici his verbis abusi sunt, vt ieiunia, aut delectus ciborum ab Ecclesia prescriptos, res liberas esse & nihil ad pietatem facere, quia violatum ieiunium aut quilibet sine delectu cibus coinquinare hominem non potest. A quorum etiam stulticia temperare sibi Caluinus non potuit, quin illud etiam hoc loco annotaret. Nam circa huius parabolæ explicationem quam Christus postea facit, ait. *Hic Christus fusus exponit quod prius attigerat, regnum Dei non esse positum in cibo & potu, sicuti etiam Paulus docet, Rom. 14. Nam quum res externæ natura puræ sint, liber quoque ac purus est earum vsus, Nec verò ex bonis Dei creaturis contrahitur immundities.* Hæc ille: cui stolido hæretico iam millies à Catholicis responsum est, cibum quidem vetitum quatenus cibus est, & quatenus in os intrat, non coinquinare, sed præcepti Ecclesiastici contemptum, & ipsum cibum, quatenus vetitus est, multum coinquinare. Caro porcina si eam comederet Iu-

Delectus ciborum.

dæus vigente adhuc lege, quatenus comesta non coinquinabat, sed quatenus verita ita coinquinabat, vt sancti illi Machabæi senexque Eleazarus mori potius voluerint quam illam comedere. 2. Mach. 6. Ephes. 5. Dicit Apostolus, *In vino est luxuria*. Haud dubie vinum quatenus bibitur & intrat in os non generat luxuriã nec coinquinat, sed immoderate sumptum luxuriam generat. Sic ergo in cibo vetito est peccatũ, sicuti in vino immoderatio est luxuria. Pauli verba ad Rom. 14. quam vim habeant, ibi explicuimus. Rerum externarũ, tametsi in se puræ sunt, non est tamen vsus purus semper ac liber: sed sicut immoderatus vsus impurus atque illicitus est, sic vsus earum legitima autoritate veritas ac prohibitus impurus quoque atque illicitus est.

23. *Accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.*

Inuocatio  
Sanctorũ  
defeditur.

QVIA aliqui (vt videtur) scriptores Catholici moderni, hanc intercessionem discipulorum pro muliere Chananæa à Christo prima vice nihil impetrante, in exemplum proferunt intercessionis Sanctorum pro nobis, quorum suffragia & patrocinium inuocamus, quum à Deo confestim non exaudimur ad maiorem fidei & patientiæ ac perseuerantiæ nostræ probationem, sicuti cum Chananæa hæc Christus egit, totam hanc huius loci applicationem exagitat Calvinus his verbis. *Puerile figmentum fuit, quod hoc pre-textu conati sunt Papistæ Sanctos, qui mortui sunt, nobis inducere patronos. Nam vt demus hanc feminam petisse à discipulis aliquid suffragationis aut gratiæ (quod tamen ex textu elici non potest) alia tamen est mortuorum ratio quam viuorum. Adde quod*

quod fastidiosè eam audiunt discipuli: atque vt animus illis fuerit patrocinio suo eam lenare, nihil tamen impetrant. Hæc ille partim plusquã pueriliter, partim etiam impiè responderis. Plusquam puerile Caluini figmentum est, Chananæam hanc mulierem à discipulis Christi fastidiosè auditam fuisse. Neque enim tanti magistri tanto iam tempore discipuli, tamque humilis ac nitidis magister ipsimet quoque; pauperes tam fastidiosi fuerunt, vt fastidiosè ac moleste piam matris pro filia petitionem audierint. Huiusmodi superba de discipulis Christi iudicia superbis hæreticis conueniunt. Alio iudicio sanctus Chrysostomus discipulorum interpellationem intellexit. Ait enim in hunc locum. *Ac primo discipulos ad calamitatem mulieris esse tristatos, sed tamen non sunt ausi dicere, Da ei hanc gratiã, sed, Dimitte eam: sicut et nos cum voluerimus alicui persuadere, multo- ties contraria dicimus.* Hæc Chrysostomus. Deinde falsum est quod addit Calvinus nihil eos impetrasse. Christus enim mulieris fide paulo adhuc amplius probata, fecit quod Apostolorum interpellatio postulauit, non solum dimittens eam, sed etiam voti compotem & latissimam dimittens. Nec minus falsum est quod affirmat *ex textu elici non posse* hanc feminam à discipulis Christi *vl- lam gratiam petisse*. Quid enim clamabat post Apostolos, nisi vt tacente Domino, aliquid ab eo benignum responsũ ipsi impetrarent? Clamauit enim post illos, non vt inanis dimitteretur, sed vt à Domino exaudiretur. Ideoque dicentibus Christo Apostolis, *Dimitte illã*, respondit Christus, *Non sum missus nisi ad oues domus Israel*: manifestè docens, Apostolos petisse à Christo vt illius precibus annueret. Alioqui hæc Christi responsio nihil ad rem faceret.

Apostolo-  
rum falsa  
crimina-  
tio.

Homil.  
5. in  
Matth.

Iam verò impia est tota Caluini responsio, qua infert pro patrocinio Sanctorum hoc exemplum facere non posse, quia alia est mortuorum ratio quam viuorum. Impium est & ethnicum Sanctos in cælo cum Christo regnantes mortuos vocare, & phrasis propria infidelium. Sic Iulianus apostata Martyres Christi *homines mortuos* vocauit, & tota gentilitas Christianos, qui Martyres defunctos colerent, hoc nomine subsannauit, quòd *mortuos colerent*. Sed totam hanc Caluini impietatem vno verbo Christus refutauit, dicens, Deum, qui Deus Abraham Isaac & Iacob vocatur, *non esse Deum mortuorum, sed viuentium*. Sic Deus Sanctorum in cælo regnantium non est mortuorum Deus, sed viuentium: vnde non sunt mortui vocandi, sed viuentes: ideòque ad patrocinia non minus idonei quam cum in terris viuerent: imò multo magis idonei, vt Patres docent.

Cyrillus  
lib. 6. cõt.  
Iulian.

Matth. 22

Hieron.  
cõt. Vigi-  
lantium.  
Chryso-  
st. hom. vlt.  
in Epist.  
ad Rom.

## IN MATTHÆI CAP. 16.

1. Rogauerunt cum vt signum de cælo ostenderet eis.

**P**HARISÆI isti & Sadducæi quò multa & maxima iam Christi signa vidissent, circa hominum & morborum omnium curationem, circa panum multiplicationem, ipsam denique in mari ambulationem audiissent, aliàque multa huiusmodi, importunè admodum & proteruè, vt suæ incredulitati aliquem fucum obtendant, etiam de cælo signum quærunt. Hanc importunitatem & dementiam obijcit Catholicis hodie Caluinus. Sic (inquit) *hodie Papiſtæ, quasi nuncquam sancta esset Euangelij doctrina, nouis miraculis probas-  
ri sibi*

*ri sibi postulant*. Cui putidæ calumniæ breuiter respondeo. Euangelij doctrina qualè tota per orbem Ecclesia post primam eius prædicationem hætenus tenuit, nobis satis superque sancta est: neque ad eam magis sancendam vel confirmandam vlla miracula desideramus, sed sufficit nobis Catholicæ Ecclesiæ fides in verbo Dei semper fundata, & à maioribus nostris ad nos vsque deriuata. At verò vt noua Caluini doctrina quam ille Euangelium vocat, maioribus nostris hætenus incognita, nobis probetur, quandoquidem ille nouus Euangelista esse vult, nouis quoque miraculis probetur meritò desideramus: tum quia planè noua est & inaudita, tum quia nullis hætenus miraculis illustrata est. Pharisei & Sadducæi non in eo peccabant, quòd ad confirmationem doctrinæ Christi penitus noua signa petebant (nam ad illam confirmandam plurima signa Christus studio fecit, dicens tandem: *Si mihi non creditis, operibus credite*) sed tum quia signum ex cælo petebant, quasi genus miraculi Christo præscribentes, tum quia post tam multa & tam illustria præstita miracula, illis non contenti, noua semper postulabant. Nunc Caluinus cum suis nouis dogmatibus nullum miraculum facere potuit, re tandem infeliciter Geneuæ tentata, Matthæo quodam, qui se mortuum fingeret vt à Caluino suscitari videretur, verè & miserè extincto. Nec ab eo signum de cælo, sed vel minimum in terra miraculum exigitur. Adeo nihil affine aut simile habet cum Phariseorum impudentia, quod Catholicis impudenter impingit Caluinus.

Miracula  
nouæ præ-  
dicationi  
necessaria.

Ioan. 7.

6. *Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.*

QVOD per fermentum Pharisæorum hoc loco Hieronymus & Hilarius in suis commentarijs ipsam legem Moysaicam & literam eius intelligi volunt, sensus ille non ad intentum Christi, sed veluti ipsorum & nostris temporibus magis conueniens, (quibus videlicet nunc lex illa quo ad sua ceremonialia & literam occidentem fermentum est) ab illis traditus fuit: idque docendi gratia: quod apud veteres interpretes frequenter obseruare licet. Ipsa enim lex adhuc Christo hæc loquente adeo vigebat, vt infra dicitur sit: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Quæcumque ergo dicunt vobis, facite & seruate.* Quæ verba non sunt huic loco contraria. Hæc enim iubet Christus suos cauere non ab eorum doctrina quam super cathedram Moysis sedentes docent, id est, quam per continuam maiorum successionem à Moyse acceperat, sed ab eorum fermento, id est, priuata & propria eorum doctrina ab ipsis adinuenta (nam & ideo Sadducæos illis adiuuaxit, qui super cathedram Moysis non sedebant, sed propria tantum fermenta docuerunt) qualis est hodie hæreticorum omnium maxime Caluinistarum doctrina à seipsis excogitata, dum nouis suis & vitiosis dogmatibus ita oppressam tenent diuinarum Scripturarum, maxime Euangelicæ & Apostolicæ doctrinam, vt stantibus eorum commentarijs ac nouis Dei verbi corruptelis, nihil in fide sanū, nihil in Scriptura integrū maneat. Citius ignis aquæ miscebitur quā vt Caluini figmenta cū Euangelio quis conciliet. Quare qui Christi discipulus esse vult, ab hæreticorum hodie & Calui-

ni

ni maxime fermentis purum se seruare imprimis studeat. De hoc argumento plura vide in Prompt. Cath. Dom. 7. post Pent. ad illa verba: *Attendite vobis, &c.* Item ser. 3. Pent. ad illa verba: *Alienum non sequentur, sed fugiant ab eo.* Calvinus tamen hoc loco contra Pontificiam & Ecclesiasticā doctrinam magnum se argumentum obseruasse putat. Sic enim scribit. *Videndum est quorum doctrinam cauere velit Dominus. Tunc certè penes Scribas & sacerdotes ordinaria erat Ecclesiæ potestas, in quibus primatum tenebant Pharisæi. Quum nominatim ab eorum doctrina prohibeat suos Christus, sequitur repudiandos esse omnes quia sua figmenta admiscunt verbo Dei, vel quicquam alienum ingerunt, quocumque tandem polleant honoris gradu vel titulo superbiunt. Quare maledicta & præuicatorix est eorum subiectio qui se vltro Papæ committis & legibus subiiciunt.* Hoc Caluini argumentum omnium rebellionum hæreticorum fundamentum est, multiplici inperitate & ineptia laborans. Primum, non sequitur Ecclesiæ magistros fermentatam & corruptam doctrinam tradere posse, eo quod Synagogæ magistri Scribæ & Pharisæi eam tradiderint. Firmiores quippe sunt Ecclesiæ promissiones quam Synagoge. Illi enim dictum est: *Porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Rursum: *Spiritus S. docebit vos omnem veritatem in æternum.* Denique: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Synagogæ error ac lapsus non solum possibilis sed & prædictus erat. Secundò, quæ Synagogæ magistri etiam corrupti illi ex cathedra Moysis dicebant, id est, iuxta doctrinam à maioribus suis continua successione accepta, ea facienda & seruanda esse Christus docet. Fermentum à quo cauere iubet, priuata & recens erat quorundam adinuentio. Quo sanè sensu priuatus quispiam in Ecclesia Episcopus

K 4

aut

Synagoga error non probat possibilem Ecclesiæ errorem. Matth. 16. Ioan. 14. Matth. 28

aut sacerdos non ex cathedra antiquitus tradita, sed ex suo cerebro propria quedam & noua dogmatizans audiendus non est. Tertio quando Ecclesiarum magistri vel ex cathedra docent, vel sua fermenta obrudunt, non cuiusuis est populo, sed aliorum superiorum Pastorum & Synodalis maxime authoritatis est iudicare. Quarto si Caluini argumentum simpliciter admittatur, nec ipse Caluinus nec alius quispiam hæreticus magister authoritatem docendi diu retinebit, sed non obstante ministerij sui honore & dignitate, facillime à quolibet reiicietur quod docet, tanquam fermentum Pharisæicum: sicuti & olim *idem licuit Valentinianis quod Valentinio* (ait in Præscript. Tertulianus) & hodie *idem licuit Lutheranis quod Luthero*, qui ab illo maximo numero descuerunt, sicut ipse ab Ecclesia descuerat. Nihil ergo hoc Caluini argumento magis impiū, nihil ineptius. Sunt autem hæc omnia latius explicata in opere nostro de Princip. fidei, potissimum verò libro 2. cap. 13. & lib. 10. cap. 4.

18. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

**T**OTUM hunc locum Caluinus nouo commentario penitus peruertit. Ait Simonem Petrum vocari, quia *uiuus in templo Dei lapis suam stabilitatem retinebat. Super hanc petram exponit, esse Christi fidem, super quam non tantum Simon, sed et omnes alij fundati sancto consensu in spirituale edificium aptantur: & quicquid piorum in mundo futurum erat, Petro aggregare Christum voluisset. Non præualebunt aduersus eam*, exponit de Ecclesie quidem inuicta

inuisa firmitate intelligi, sed quod de corpore Ecclesie dicitur, *ad singula eius membra pertinere, quas tenus unum sunt in Christo: & quicumque in Christo unum Christum mediatorē agnoscunt, in finem vsque ab omni noxa tuti manebunt.* Hæc ille. Ita insigni impostura ac fraude totum hunc locum peruertit. Quæ Christus de vnus Petri & successorum eius persona dixerat, ad quemlibet fidelem trahit. Quæ de totius Ecclesie firmitate Christus promissit, ad specialem fidem & certitudinem salutis in quolibet credente contorquet. Ita non solum verum sensum peruertit, sed & impio dogmati de vnica priorum fide inamissibili hanc Scripturam subseruire facit. Verum autem & genuinum ex Patribus depromptum horum verborum sensum, totiusque loci vim & doctrinam vberius explicatam vide in Prompt. Cath. in festo SS. Petri & Pauli. Iam verò hæc verba, *Tibi dabo clauis regni celorum*, vni Petro singulariter dicta, ad omnes Euangelij ministros transfert Caluinus, & totam clauium potestatem in verbi ministerio ac prædicatione ponit. Contra quam duplicem huius loci corruptelam vide à nobis disputata in Prompt. Cath. loco citato.

Cæterum quia Caluinus facta sua expositione hæretica, Catholicam vult impugnare, disputationem eius breuiter examinabimus. Ait *se velle putidas Papæ calumnias breuiter diluere*, quum tamen quæ postea diluere conatur, non vnus Papæ, sed veterum Patrum & doctorum Ecclesie assertiones & explicationes sint. *Fingit* (inquit) *Petrum vocari Ecclesie fundamentum.* Respondeo: Hoc Papa non fingit, sed Patres magno consensu docent, quos loco citato magno numero produximus. Sed quomodo hanc interpretationem refutet vi-

deamus. *Quis autem non videt, quod transfert ad hominis personam, de Petri fide dictum esse? Hoc non est veritatem refutare, sed fortiter quod falsum est affirmare. Quomodo autem de fide quoque Petri Patres hoc exponunt, loco citato explicuimus. Deinde si nunc de Petri fide hoc dicitur Caluine, cur prius de omnium in Christum credentium fide hæc verba exposuisti? Sequitur. Idem fateor apud Græcos significant Petrus & Petra, nisi quod prius nomen Atticum est, alterum verò communis linguae. Sed hæc varietas non temere à Matthæo posita est, quin potius consultò mutatum est genus ut diuersum aliquid exprimeret: nec dubito quin tale discrimen notauerit Christus sua lingua. Atqui hinc Caluinus propter ignorantiam linguæ sanctæ egregiè fallitur. Nam in Matthæo hebræo qui nunc extat, sine vlla mutatione generis legitur, & vtrobique idem nomen est, hoc modo:*

Petrus & Petra vna hebræis dictio.

Beza Calvinum corrigit.

*הַרְבֵּי הַבְּנֵי אֱדוּמָא*  
In Matthæo quoque Syro vtrobique est *ܩܝܡܘܨܐ* sine vlla variatione. Quare Beza ipse magistrum suum corrigens in hunc locum ait. *Dominus Syriacè loquens, nulla usus est agnominazione sed vtrobique dixit, Cepha.* Græcus autem interpret Attica voce priori loco usus est, quia genus masculinum homini magis conueniebat. Secundo autem loco petram posuit, quia tamen ad hominem & personam Petri illa vox pertineat, non tamen ad hominem aut Petri personam simpliciter sicut ipsa nuncupatio Petri, sed ad hominem in fide roboratum, & ad personam Petri à Christo stabilitam pertinere: quæ alibi latius explicata sunt, vtridiculus sit hoc loco Beza qui posteriori loco *petram non Petrum ab interprete postum nugatur, ut Christum, qui petra est, scilicet quando loco designaret.* Christus enim tamen petra certè

certè est, non tamen est hæc petra ad quam ibi Christus loquitur. Probare tamen vult Caluinus ex Augustino. *Prudenter itaque Augustinus non petram à Petro, sed Petrum à petra dñi admonet, sicut à Christo omnes sumus Christiani.* Quo sensu ista & quibus de causis Augustinus ita in hunc modum disputat, accuratè explicatum vide in opere nostro de Princip. fidei lib. 6. cap. 3. Pergit Caluinus. *Porro ne longior sim, quam illud Pauli inter nos pro certo & confesso habendum sit, non alibi posse fundari Ecclesiam quam in Christo solo, non sine sacrilega blasphemia aliud fundamentum Papa commentus est.* Sed huic putidæ ac tritæ obiectioni vberius quidem loco iam postremo citato, breuiter verò in Prompt. Cath. in die SS. Petri & Pauli satisfacimus. Quæ calumniando, vel eadem quæ dixerat repetendo, nuda semper affirmatione v susprosequitur Caluinus, vt inania ac nugatoria prætermittimus.

Dicit tandem aliqua disputandi specie. *At Christus Petrum vnum nominatim alloquitur.* Rectissime hoc obseruat sibi que obijcit Caluinus. Nunc quid respondeat attende. *Nempè sicuti vnus omnium nomine Christum confessus fuerat Dei Filium; ita vicissim ad vnum dirigitur sermo, qui tamen per æquè ad alios pertinet.* Atqui hæc responsio obiectionem magis confirmat. Luce enim meridiana clarius est, Petrum non omnium nomine, sed ex fide sibi soli reuelata, Christum confessum fuisse Dei filium. Idcirco enim non dixit illi Christus, *Beati estis quia Pater meus vobis reuelauit, quod certè dicere debuisset si omnes idem credidissent, & omni nomine loquutus Petrus fuisset, sed dicit illi vni singulariter. Beatus es Simon bar Iona, quia Pater meus reuelauit tibi: Et ego tibi dico, &c.* Deinde quando Petrus alio in loco omnium Apostolorum nomine loquitur,

Petrus non respondit omnium nomine.

Ioan. 6.

quitur, id satis exprimit numero plurali vtens: vt dicente Christo, *Nunquid & vos vultis abire?* respondit omnium nomine Petrus: *Ad quem ibimus? verba vite aeternae habes.* Denique omnes ferè Patres contra vnum Caluinum, vnius Perri, non omnium Apostolorum hanc confessionem fuisse, concorditer docent. Quare sicut solus confessus est, ita ad illum solum dirigitur sermo.

Ad aliam responstionem confugit Caluinus. *Ne verò spernenda est illa quae à Cypriano & alijs adducitur ratio, Christum in vnius persona loquutum esse omnibus, vt Ecclesiae vnitatem commendaret.* Responde Cyprianum docere quidem clauis Ecclesiae sic vni Petro esse datas, vt & alijs Apostolis dari intelligantur; ideo autem vni, vt Ecclesiae vnitatem commendaretur: sed addit Cyprianus, quod fraudulenter Caluinus silentio premit: *Vna cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.* Et rursus, *Exordium ab vnitatem profiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & vna cathedra monstraretur.* Hæc ille. Pergit Caluinus. *Excipiunt alijs omnibus præferri cui hoc peculiariter datum est. Hoc verò perinde est ac si magis fuisse Apostolum con-*

In lib. de  
vni. Ec-  
clesiæ.

Futile ar-  
gumentū  
Caluini.

tenderent quam suos collegas. Neque enim ab Apostolatu magis diuelli potest ligandi & soluendi potestas, quam à sole calor vellum. Nihil ineptius inferri potuit. Sic enim Caluini procedit argumentum: Ligandi & soluendi potestas ab Apostolatu diuelli non potest: Ergo Petrus si in potestate clauium præferatur alijs Apostolis, erit magis Apostolus quam cæteri. Huius argumenti absurditas in simili apparebit: A locum tenente Regio diuelli non potest iudicandi potestas: Ergo si locum tenens Regius in potestate iudicandi cæteris Iudicibus localibus, aut certarum ciuitatum Prætoribus antefertur,

tur,

tur, erit magis Iudex quam cæteri. Sicut enim hic locum tenens Regius maior quidem & superior Iudex est, vt Regis vicarius, & cæterorū localium Iudicum ac Prætorum primus, qui ipsis etiam Iudicibus præferatur, & illorum sub Rege caput sit, non tamen magis Iudex est, sed alij in suo districtu æquè bene Iudices sunt, verèque & efficaciter iudicant, quando officium suum legitime exequuntur; de quo si dubitetur, ad locum tenentis tribunal fit appellatio: sic omnino Petrus Apostolus alijs præfertur in potestate clauium, vt supremus Apostolus, Christi vicarius, cæterorum caput & coryphæus (vt Patres de eo loquuntur) non tamen magis Apostolus est, vt cauillatur Caluinus, sed alij Apostoli respectu subditorum suorum non minus Apostoli sunt, nec minus verè & efficaciter ligant ac soluunt suos subditos quam Petrus, quando clavis non errat; de quo si dubitetur, ad Petri tribunal fit appellatio. Quomodo autem Petrus ipsis Apostolis ratione clauium prælatus fuerit, vide latius à nobis explicatum in Opere de Princip. fidei libro 6. capite 7.

Cauillatur adhuc Caluinus. *Cæterū vt demus Petro concessum plus aliquid fuisse quam reliquis, vt inter Apostolos excelleret, stultè tamen inferunt Papistæ, datum illi fuisse primatum vt vniuersale esset totius Ecclesiae caput. Nam & aliud est dignitas quam imperium: & aliud inter paucos summo honoris gradu polleere, quam sub vltimas suas colligere totum orbem.* Hæc ille. Primum quod de dignitate distinguit & imperio, pueriliter nugatur. Petri & successorum eius primatus, dignitatem quidem aliquo modo significat, quatenus veri nominis prælatura est, & quidem in summo honoris genere, quia & Christi locum te-

net,



net, & super animas hominum potestatem habet, quoad illas vel soluendas vel ligandas. Imperium autem illa vox non significat: Imperium huius mundi Regibus & Imperatoribus tū Petrus tum successores eius respectu officij pastoralis reliquerunt. Puerile & caninae facundiae est, sed Calvino vscatissimum, in Sacrarum Scripturarum tractatione grauissima, intemperanter maledicere, & verbis odiosis veram facti speciem inuerrere: denique vel pueriliter ludere, vel muliebriter rixari. Alteram responsionis partem in sequentibus vult confirmare. *Et sanè (inquit) non plus illi oneris imposuit Christus quam obire posset. Iubetur regni caelorum officium, iubetur ligandi & soluendo dispensare Dei gratiam, eiusque iudicium in terra exequi. Nempe quatenus se extendit mortalis hominis facultas.* Vult igitur Calvinus, spiritu planè ethnico & impio potestatem à Christo datam, ad mortalis hominis facultatem metiri. Potuit iuxta illum Petrus cæteris Apostolis & paucis illis hominibus præesse, sed non potest toti orbi præesse, *quia hoc mortalis hominis facultatè excedit.* In quo vide multiplicem hominis dementiam. Primum, si Petrus paucis illis Apostolis præfuit, multo magis eorum subditis præfuit: At illi toto orbe prædicauerunt, & *in totum orbem exiit sonus eorum:* Ergo Petrus, hoc ipso quod illis præerat, toti orbi præfuit. Deinde non potest dici quòd propter solas personas Apostolorum Petrus primatum acceperit: quia quum iste primatus ad schismatis occasionem tollendam & ad vnitatem in Ecclesia seruandam datus fuerit, hoc primatu sanctissimi Apostoli minimè omnium indiguerunt. Ergo primatum accepit propter ipsos potissimū reliquorum Apostolorum subditos toto orbe dispersos.

Rursum

Caluini  
canina  
facundia.

Caluini  
spiritus  
ethnicus.

Rom. 10.

2.

Rursum si *mortalis hominis facultas* spectetur, quis demum est qui vel vnus minimæ paræciæ præesse, imò qui suam solius animam seruare potest? Spectandum hic ergo non quid *mortalis hominis facultas*, sed quid Christi gratia valeat; qui quibus iube; dat id quod iubet. Vide plura in Princip. fidei, lib. 6. cap. 16. Quare Calvinus contra seipsum quasi vertigine laborans concludit. *Ergo quicquid ei datum est, ad mensuram gratiæ restringere conuenit, quia donatus est ad Ecclesie ædificationem.* Planè contra seipsum & contra præcedentem disputationem concludit. Si enim quod Petro datū est, ad mensuram gratiæ qua donatus est, restringendum est, quare prius Calvinus id quod Petro datum est, ad mensuram facultatis mortalis hominis retrinxit? An putat Calvinus mensuram gratiæ, mortalis hominis facultatem non excedere? Aut si hoc non putat, quo demum iudicio, qua mente, Petri potestatem superius *ad mortalis hominis facultatem* retrinxit, nūc verò *ad mensuram gratiæ* retrin- git? Atqui aduertere Calvinus debuit mortalis hominis facultatè in potestate rerū spiritualium nullam esse; iuxta illud Christi: *Sic me nihil potestis facere*: mensuram autem gratiæ, ad quolibet præstanda facultatem dare; iuxta illud Pauli: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Verè igitur quicquid Petro datum est, non ad mortalis hominis facultatem, vt prius disputauit, sed ad mensuram gratiæ qua donatus est, vt nunc disputat, expendendum est. Christus autem qui amplissimam potestatem Petro dedit, gratiæ quoque mensuram copiosam ei dedisse credendus est. Nam idcirco vni Petro postea dixit, *Ego rogavi pro te vt fides tua non deficiat.* Et hoc ipso in loco Christus ei dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Christus seipsum

Calvinus  
sibi coa-  
trarius.

Ioan. 15.

Phil. 4.

Luc. 22.

sum ædificaturum dixit. Illo igitur aificante super Petrum, stabit Petrus, & stabit ædificium. *Sed enim Dominus ædificauerit ciuitatem, non frustra laborant qui ædificent eam.*

Princip.  
fid. lib. 6.  
cap. 15.

Nunc tamen post tam insulsam disputationem, vide quantum triumphum agat Calvinus. Ita contidit immensum illud imperium quod illi arrogat Papista. Triumphum sanè cecinit, sed ante victoriam. Quare adhuc in omnem se partem vertens, aliam rem aggreditur via. Primum disputat Petri primatum ad successores transire non posse: quod multis tamen argumentis necessarium esse, alibi demonstrauimus. Deinde Romanum Pontificem Petri non esse successorem declamitat, contra omnem antiquitatem affirmans Petrum Romæ Episcopum non fuisse: quam dementiam refutauimus ad illa Petri verba in fine epist. 2. *Salutat vos Eccl. sua quæ in Babylone est.* Tertio ac postremo debacchatur in Rom. Pontifices horum temporum, quod officium non faciant, ideoque inter Petri successores non habendos esse. Quæ tota oratio contumelijs plena, & argumentis vacua, seipsam satis abunde refutat.

23. *Vade post me Satana: scandalum es mihi.*

**S**CRIPTVRÆ Euangelicæ corruptor Calvinus non solum hanc Petri reprehensionem durius & acerbius exponit quam textus ferat, sed etiam in vniuersum Catholicorum pias intentiones & deuotiones circa voluntarium Dei cultum exagitat, quasi penitus Satanicas, & à Christo hoc loco acerrimè damnatas. De Petro dicit, quod *preposito suo zelo Satanae partes obiret; neque simpliciter à Christo aduersarium vocari,* sed

*sed diaboli nomen ei impositum signum maxime detestationis.* Nam & diabolum eisdem verbis à Domino repulsum fuisse. C. 4. & verbum *ἄμαρτα* facessere significare, vnde latinum *Apaga* deductum est: ideoque ineptè quosdam philosophari in verbo retro, vel post me, quasi iubeatur Petrus sequi, non præire. Hæc ille, & ex hac expositione deprauata colligit, docere hoc loco quid valeant coram Deo quæ bone putantur intentiones. & hinc videri quanta pertinacia suas deuotiones venditent Papista. Deniq; Christum in vnius Petri persona, cuius pia fuit intentio vel saltem probabilis, si sensus & iudicium carnis valeant, campescere omnes voluisse ne zelo suo indulgeant. Demum concludit. *Eant nunc Papista, & sua placita in cælum extollant.* Hæc est hoc loco Caluini pugna, victoria, triumphus. Sed non nisi verborum fumi ac strepitus sunt.

Petri reprehensionem tam acerbam non fuisse, tum Sancti Patres tradiderunt, tum textus ipse & litera satis ostendunt. *Dixit Christus Petro* (ait in hunc locum Origenes) *Vade post me, quasi desistenti per ignorantiam ire post Christum. Satana autem dixit ei, quasi per ignorantiam aliquid habenti contrarium Deo.* Hæc ille. Quem sensum magis explicans D. Hieronymus ait. *Mihi error Apostolicus de pietatis affectu veniens nunquam incensiuum videbitur diaboli. Sed quia contraria loquebatur voluntati Christi, debuit aduersarius appellari. Satanas enim interpretatur aduersarius, siue contrarius. Non tamen, vt plerique putant, eadem Satanas & Petrus sententia condemnatur. Petro enim dicitur, Vade retro me Satana, id est, sequere me, qui contrarius es voluntati meæ. Ille audit, Vade Satana, & non ei dicitur retro: vt subauditur, Vade in ignem æternum.* Hæc Hieronymus. Et hic sensus maxime literalis ac genuinus est. Nam verba Christi Matth. 4. *Vade Satana, non habent illud, ἔκτιστος μου, post me: vt Origenes & Hieronymus*

tract. 1 in  
Matth.  
Petri re-  
prehensio  
qualis.  
In coram-  
ment in  
hunc locum

nymus disertè annotarunt, et si pauci græci codices ita legant, & vt rectè annotauit Lucas Brungenſis *ex alijs locis additum*: nec Mattheus Hebraus vel Syrus illam vocem habeat, sed simpliciter, *Vade*: (vel vt textus Syriacus, *Vade tibi, 7b 47*) vt etiam Ignarius ad Philippenses, Chryſostomus, Euthymius & Anselmus legerunt. Fallitur igitur Calvinus dicens diabolum eidem verbis repulsum fuisse, quibus Petrus. Nec rectè Cornelius Iansenius in sua Concordantia hanc Annotationem & distinctionem repellit. Deinde & Satane vocabulum non eodem modo utroque in loco scribitur. Nam in Matthæo hebræo cap. 4. dicitur *7077 7b*, *Vade ille Satan*, id est, aduersarius præcipuus. Sed in Matth. hebræo cap. 16. ponitur simpliciter *707* sine articulo aggravante. Fallitur igitur Calvinus dicens diabolum eidem verbis repulsum fuisse quibus Petrus. Porro vulgare est hebræis contraria sentientes Satan appellare. Sic David filijs Saruie dixit, quum illum ad vindictam hortarentur: *Quid mihi & vobis filij Saruie? Cur efficitur mihi hodie in Satan?* id est, cur contrarij mihi estis? Sic Salomon propter altissimam pacem qua fruebatur, dixit: *Non est Satan neque occurſus malus*. Præterea Petrum non fuisse repulsum à Christo quasi diabolum, sed vt voluntati suæ contrarium, causa à Christo adiuncta manifestum facit. *Scandalum es mihi*, id est, Impedimento mihi es & aduersaris, scilicet ad perficiendam voluntatem Patris mei. Ideo enim subiunxit: *Quia non sapiſ ea quæ Dei sunt sed quæ hominum*. i. humano more mortem timee: & Dei de me dispositio nondum tibi reuelata est.

Iam verò Catholicorum piæ intentiones & deuotiones

Epist. 5.

Cap. 66.

2. Reg. 19.

3. Reg. 5.

notiones aut bonus zelus circa voluntariū Dei cultum, nihil commune habent cum hoc Petri affectu, quo Christum à sua passione reuocauit. Illæ enim sapiunt ea quæ sunt Dei, quia ad Dei cultum ordinantur. Illæ non sapiunt ea quæ sunt hominum, quia vel diuinæ Scripturæ vel Ecclesiasticæ traditionis & obseruationis regulam sequuntur. Illæ non aduersantur vlli dispensationi Christi, seu circa passionem, seu circa quamcunque actionem eius. Et impostor Calvinus in genere loquitur, nullā particularem Catholicorum deuotionem in medium profert, vt de ea consideretur, an cum carnali hoc Petri affectu aliquid cōmune habeat. Postremò, quādo ex ignorantia inuicta (qualis hæc Petri erat circa passionē Christi futurā, nunc primū reuelari cęptam) aliud volumus pietati consonum quàm quod Deus vult, in eo omnino non peccatur, vt omnium theologorum habet sententia, ipsèque Calvinus docet ad cap. Matth. 16. ver. 39. Christus autem acriter Petrum reprehendit potius ex ingenti desiderio passionis suæ, & ad eam discipulorum animis altius infigendam, quàm propter graue aliquod Petri flagitium.

Intentiones piæ defenduntur.

27. Et tunc reddet unicuique iuxta opera sua.

**A**D hæc rursum verba Calvinus sua inspergit venena, vt veri nominis retributionem à Christo hic affirmatam destruat, & Scripturam Euangelicam corrumpat. Sic enim scribit. *De operum mercede alibi diff: rui quantum satis erat. Summa hæc est: Quoties bonis operibus promittitur merces, minimè opponi eorum meritum grauitate fidei iustitiæ. Vide impostoris fraudem. Meritum*

Operum  
merita de-  
tenduntur

ritum operum quæ iam iustorum opera sunt, non opponuntur sanè gratuitæ iustitiæ ex fide qua ex impio fit iustus, neque hoc quisquam contra hæreticos hodie affirmat, sed opponuntur saluti & saluationi ex sola fide quâ hæretici docent. Ideoque quoties in Scripturis bonis operibus promittitur merces, eaque vitæ æternæ, vt hoc loco, toties in Scripturis docetur, quod non ex sola fide, sed etiam ex bonis operibus homo saluatur: & quod ad vitam æternam consequendam, non solum fides, sed & bona opera exiguntur, vt salutis causa non minus necessaria quàm fides. Quare prorsus falsum est, vt alibi ostendimus quantum satis erat, quod subiungit Caluinus. *Nec salutis causam ostendi, sed tantum animari fideles ad rectè agendi studium, dum certi sunt se operam non ludere.* Impia & falsa hæc est Caluini doctrina, vt necessitatem bonorum operum, contra manifestam hoc loco Euangelij doctrinam de ferenda cruce, & de bonorum operum retributione, penitus excludat. Causa salutis non secus bona opera sunt quàm fides, quia non secus necessaria quàm fides. Non secus animamur ad rectè agendi studium quàm ad fidem, nec secus ad fidem quàm ad bona opera. Non secus quippe fidei promittitur merces quàm operibus. *Per fidem adepti sunt re promissiones,* ait Paulus: *Merces erit operi vestro,* ait Propheta, vtrobique non fit simplex exhortatio, vt sciamus nos operam non ludere, sed causa mercedis ac retributionis futuræ vtrobique docetur. Alioqui & fidei quoque necessitatem eadem arte eludet Caluinus si voler, quâ bonorum operum necessitatem eludere conatur. Concludit mox Caluinus. *Quare optimè hæc duo conueniunt, gratis nos iustificari, quia Deo præter meritum accepti sumus, & tamen ipsam indubitam operibus nostris mercedem*

Heb. 11.  
2. Par. 15.

cedem pro suo beneplacito rependere. Hæc ille. Optimè quidem conueniunt hæc duo, gratis nos iustificari, quando ex impijs iusti facti, Deo reconciliamur, quia in illa prima iustificatione Deo præter meritum accepti sumus: & tamen iustorum operibus debitam mercedem Deum rependere, non solum pro beneplacito suo, sed quia (vt Paulus disertè dixit) *iustus index est, & ex iustitia retribuit.* Atque ita gratuitæ per Christum iustificationi nostre, bonorum operum merces & iusta retributio reuera non repugnat. Quod ergo Caluinus dicit, *bonis operibus mercedem à Deo rependi indubitam*, implicat planè contradictionem in adiecto. Si enim vt merces rependitur, debita est: si indubitata est, merces non est. Hoc vnum Pauli verbum docere Caluinum potuit: *Merces non imputatur secundum gratiam* Rom. 4. (puta solam) *sed secundum debitum.* Id est: In ratione mercedis non est pura gratia, sed quoddam etiam debitum ratione iustitiæ. Quod Paulus ipse de iustorum operibus frequenter docet. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Index.* Rursum. *Si tamen iustum est, Deum retribuere vobis qui tribulamini requiem,* & alijs in locis: vt in Paulo explicando frequenter annotabimus.

2. Tim. 4.

2. Tim. 4.

2. Theff. 3

Sic enim fidem propter Iudæos & Gentes de lege & moralibus virtutibus gloriantes commendat, vt propter Gentes iam conuersas & in Christum credentes, bonorum operum mercedem itudiosè doceat.

(. .)

## IN MATTHÆI CAP. 17.

12. *Dico vobis quia Elias iam venit, & non cognoverunt eum.*

Mal. 4.

**C**AVILLABANTVR Scribæ & Pharisei contra Christū, eum propterea pro Messia habendum nō esse, quia Elias ante aduentum Messie venturus erat, iuxta illud Malachie. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Arguebant ergo Scribæ: Nō est hic Christus, quia Elias necdum venit. Hanc obiectionem proponunt Christo Apostoli, qui sic responder vt & prophetiam confirmet, & Scribarum tamen peruicaciam ostendat. Confirmat prophetiam dicens: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Hæc verba sic tractat Calvinus, vt errorem Scribarum in eo fuisse doceat, quod verba Malachie de Elia Thebite Propeta iam dudum sublato intelligerent quasi in mundum iterum rediturus esset. At verò non in eo positus fuit illorū error, nec Christus hoc refutat, sed disertissimè confirmat. Ait enim *illum venturum esse, & omnia restauraturum*, id est, Iudæos ad Christi fidem reduciturum. Nam de Iudaici populi restauratione Malachias agit. Error Scribarum erat, & adhuc hæreticorum hodie pertinax est, quod non distinguunt de primo Christi aduentu & de secundo. De secundo aduentu, quem *Diem Domini magnū & horribilem* vocat, loquutus est Malachias: quem aduentum Elias in persona præcedet, vt in Apocalypsi

Elias  
Thebites  
denuo  
venturus.

Iypsi manifestè docetur, nōsque ibi perspicuè ostendimus. Quare 70. Interpretes locum illum Malachie vertentes, posuerunt expressè: *Mittam vobis Eliam Thebitem.* Deinde si ad literam de Ioanne Baptista intelligeretur, vt volunt hæretici, falsum omnino esset quod hoc loco Christus post mortem Ioan. Baptiste dicit, *Elias quidem venturus est*, sicut & illud quod addit, *Restituet omnia.* Neque enim ille quicquam restituit, sed viam tantum Domino præparauit. Falsum quoque esset quod Ioannes Baptista rogatus, nū Elias esset, respondit, *Non sum.* Falsum denique esset quod Ecclesiasticus de Elia scribit: *Qui inscriptus est in iudicijs temporum, ἐν ἐλεγεριῶς εἰς ἄβυσσος, lenire iracundiam Domini, κατὰ δὲ αἰὶν ἡρώδης κυρίου πρὸς θυμὸν, ad sedandam iram Iudicij Dei venientis cū furore: conciliare cor patris ad filiū, & restituere tribus Iacob.* Quæ omnia non nisi de extremo Christi iudicio & vltima Iudeorum conuersione intelligi possunt, & Malachie prophetiam clariorem reddunt. Quod ergo Christus subiungit hoc loco, *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum.* &c. quū secundū literā & personā Eliæ sit manifesta contradictio verborum Christi præcedentium, necessario intelligi debet non secundum literā & personam Eliæ, sed secundum mysticam aliquam similitudinem eius. Et hunc intellectum Euangelium nobis suppeditat, quum alio in loco scriptum sit de Ioanne Baptista: *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Propter officij igitur similitudinem, & spiritum consimilem, de Ioan. Baptista dicit hic Christus, *Elias iam venit.* Et hoc sensu Cap. 11. præcedenti dixerat Christus de Ioanne Baptista ad turbas: *Si vultis recipere.* i. si absque contentione & attentè vltis considerare, *ipse est Elias qui venturus*

Cap. 48.

est, id est, Hic est alter Elias qui vērurus expectatur. Hunc denique intellectum & sensum sequuti sunt omnes illi Patres antiquissimi, qui duos testes Dei ante Antichristū venturos, Enoch & Eliam esse tradiderunt: quos ad Apocal. cap. 11. magno numero produximus.

Ex quibus omnibus petulantissima hoc loco Caluini verba solide refelluntur, qui postquam ostendit Scribas & Phariseos Christum recipere noluisse, eo quod Elias nondum venerat, subiungit. *Eodem ferè astu Papistas hodie diabolus fascinat, ne diem Iudicij expectent, donec apparuerint Elias & Enoch.* Sed quod Papistis hodie impingit Calvinus, antiquissimorum & doctissimorum Patrum ante multa secula communis sententia erat, vt super Apocalypsin capitē 11. ostendimus. Quibus adde alia August. verba de pecc. orig. libro 2. cap. 23. vbi de illis duobus dicit: *Quos non dubitamus in quibus nati sunt corporibus viuere.* Adde etiam Origenē in hunc locum tract. 2. Iustinum in dial. contra Tryphonem, Hippolytum mart. in homilia de Antichristo, Tertull. in lib. de anima. Theodoretum in cap. 4. Malach. & in epitome diuinorum decretorum cap. penult. Cyrillum Alexand. in Ioan. lib. 1 cap. 24. Procopium Gazeum ad cap. 4. Gen. Epiphanium hæc. 64. & Casarium Gregor. Nazanzeni fratrem dial. 3. cuius verba citat Cedrenus in compendio histor. in Domitiano. Hos omnes Patres & alios alibi citatos, Augustinum, Hilarium, Hieron. Ambros. Prosperum, Gregorium Magnum, Bedam, Chrysostr. Theophylactum, Oecumenium, Damascenum, Aretham, iuxta impium Calvinum *fascinavit diabolus.* Sed sic solet impostor ille, quæ omnium Patrum communis & recepta sententia est, Papistis hodie tribuere; quasi

Caluini  
procacitas  
retudicatur.

Calvinus  
Papistarū  
nomine  
rotā An-  
tiquitate  
accusat.

quasi moderna esset Catholicorum opinio, & non totius antiquitatis iudicium, quod homo impudens condemnat.

20. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit.*

**C**A V E N D I sunt hic hæreticorum commentarij, Caluini maximè, qui totum hunc Christi sermonem hyperbolicum esse pro certo affirmat. Sed certo certius est audacem hæreticum certissimè falli. Quum enim Christus hic loquatur non de vulgari omnium credentium fide, sed, vt Calvinus ipse fatetur, *de speciali seu particulari fide*, quam fidē miraculorū ille vocat, quūmq; fidei gradus sit, non fidei species, & de qua Paulus ait, *Alteri fides in eodem spiritu*, non est hyperbola, sed sermo proprius ac verus, quod quitali ac tanta fide præditi sunt, id est, feruenti & acri, sicut granum sinapis est, montes de loco transferent. Nam & Gregorium Neocæsariensem Episcopū, maximj zeli & ardoris virum, qui in sua diocesi quum nisi 17. fideles primum inuenisset, in ea moriens non nisi 17. infideles reliquit, montem de suo loco per hanc fidem transfulisse, post Eusebium in historia Ecclesiast. referunt Rufinus ac Hieronymus in Catal. viorum illustrium. Non est igitur hæc fides *ad communem totius Ecclesie fidem extendenda*, vt vult Calvinus, sed est paucorum virtute præstantium singulare donum, vt Paulus recenset, nempe eorum qui vacui vitijs, liberi à perturbationibus animi, & soluti à curis seculi, ingentem animo fiduciam concipiunt, Deo que arctius adhærēt, vt eleganter in hunc locum docet Euthymius. Tales erant

Martinus, Nicolaus, & alij, quorum tam stupenda miracula legimus. Talē denique fidem habere debēt exorcistæ; vel ad eam proximē accedere, vt dæmones eijciant. Tali & tanto gradu fidei donati Apostoli faciebant signa & prodigia in plebe: sicut & Stephanus plenus Spiritu Sancto: id est, magna fide & fiducia plenus.

A&. 5.  
& 7.

21. Hoc genus non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.

**D**O CET Christus quoddam genus dæmoniorum, siue eorum à quibus vexati lunatici vocantur, vt quidam putant; siue eorum quæ iam diu quempiam possederunt, quod multo probabilius putamus, quia diurna possessio & consuetudo difficilius tollitur, & iste dæmoniacus non solum lunaticus erat, sed diu admodum talis, non eijci sola fide vtcumque ardenti, sed adhibendam quoque esse orationem & ieiunium. Displicet Caluino hæc Christi doctrina, quia ieiunij prædicatio nullo modo ei placuit, nouoque commento totum Christi sermonem peruertit. *Sensus, inquit, est non sufficere quamlibet fidem, vbi serid præliandum est cum Satana, sed requiri strenuos conatus. Languori autem fidei remediū præscribit orationem, cui ieiunium adiungit ad miniculi vice. Ergo precibus docet excitandam esse fidem; & quia ad præcandum tardis sumus, accedere debere subsidium ex ieiunio.* Ita Caluinus totum fidei tribuendum censet. Vult Christum disputare de fide excitanda. Sed de ea Christus prius disputauerat, docenseam debere esse sicut granum sinapis, acrem & fortem; qua quia carebant tunc Apostoli, circa lunaticum hunc curandum, nihil efficere potuerunt, vt Christus disertè hic affirmat, dicens illis, *Propter incredulitatem vestram.*

Ieiunij  
& orationis  
virtus.

*stram.* Nunc autem Christus aliam causam adfert cur hoc dæmonium quod tam diuturnè hominem possederat, *ab infantia videlicet, eijcere* Apostoli non potuerint. *Necessarium quippe fuisse, orare & ieiunare.* Caluinus igitur prorsus à Christi disputatione aberrat, in hunc modum concludens. *Hinc clarè apparet quàm ridiculè Papistæ antidotum in ieiunijs constituent fugandis diabolis, quum Dominus non aliud referat quàm ad acucendum præcandi ardorem.* Pueriliter cauillatur. Nihil enim hoc loco Christus vel de excitanda fide per orationem, vel de acuenda oratione per ieiunium agit (vt somniat Caluinus) sed de distinctis à fide medijs, *oratione & ieiunio*, quibus hoc genus dæmoniorum eijcitur. Sit fides quantumcunque feruens sicut granum sinapis; accedere tamen debet oratio & ieiunium, quasi ad fugandos huiusmodi dæmones potentissima quædam antidotus; quam non Papistæ tantum hodie, sed omnes semper in Ecclesia sanctissimi viri adhibuerunt, vt legenti vitæ veterum Sanctorū, Martini, Nicolai, & aliorū, luculenter patebit. Denique sic hunc locum non Papistæ tantum hodie, sed omnes vereres Patres atque interpretes semper intellexerunt, quos per Papistarum hodie latus transuerberat suo more Caluinus. Vide Origenem, Hieronymum, Hilarium, Chrysostrum, Bedam, Euthymium, Oecumenium, & Theophyl. in hunc locum. Ieiuniorum quoque vim atque virtutem cum oratione coniunctam, non ad excitandam fidem, à qua iam satis excitata ista procedunt, sed ad Deum placandum varia in Scripturis exempla nos docent. De S. Iudith cap. 3. & 8. de Esther cap. 4. de Achab 3. Reg. 21. de Niniuitis Ionæ 2. Quibus & alijs multis exemplis hæc Christi doctrina cõformis

Mar. 9.

Papistarum nomine totam Antiquitatem taxat Caluinus

172 ANTIDOT A EV'ANG.  
mis est: quam veriticolæ Calvinistæ omnibus  
modis pervertere conantur.

27. *Sumens staterem, da eis pro me & te.*

**S** VBS ANNA T hoc loco Catholicos Cal-  
uinus, qui ex hoc Christi facto aliquem Pe-  
tri præ ceteris Apostolis primatū colligunt.  
*Ridiculi (inquit) sunt Papistæ, qui tam frivolo prætextu  
Petrum dignitatis socium Christo faciunt. Vicarium (in-  
quunt) sibi elegit, & pari secum honore dignatus est, quæ  
solutione tributi sibi æquavit. Hæc ille. At qui fridicu-  
li sunt hoc nomine Papistæ, ridiculi quoque erant  
hoc nomine doctissimi & antiquissimi Patres,  
Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, & alij  
valde multi eos sequuti. Augustinus ita scribit.  
Saluator quum pro se & pro Petro dari iubet, pro omnibus  
excoluisse videtur. Quia sicut in Salvatore erant omnes cau-  
se magisterij, sic & post Salvatorem in Petro omnes conti-  
nuerunt. Ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor  
esset gregis dominici. Hæc ille. Chrysostomus ait,  
Zebedæi filios ideo à Christo petuisse ut vnus eorum à  
dextris, alter à sinistris sederet, quia Petrus sibi ex hoc proxime  
precedenti facto præferri formidabant. D. Hierony-  
mus ait. Quia ceteri Apostoli videntes pro Petro & Do-  
mino idem tributum redditum, ex æqualitate præcij arbitra-  
ti sunt omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione  
tributi Domino fuerat comparatus, ideo statim interrogasse  
Christum (ut initio seq. cap. habetur) quis maior est  
in regno cælorum? Hæc illi Patres, qui si Caluino ri-  
diculi videntur, erit ipse multo magis ridiculus,  
vel meritò potius execrandus.*

Nunc autem ex literæ consideratione Petri  
primatum satis sobriè colligi posse ostendemus.  
Erat hoc didrachmum viritim & per capita sol-  
uendum,

Petri pri-  
matu.

Papistarū  
nomine  
antiquos  
Patres  
taxat Cal-  
uinus.  
Quæ sit. ex  
novo  
Testam.  
g. 75.  
Homil. 66  
in Matth.

in comm.  
in cap. 18.  
Matth.

IN MATTHÆI CAP. 17. 173  
uendum, vnde in textu Syriaco vocatur **ܐܘܨܚܐ**  
*argenti capitis*: idque ab omnibus qui 20.  
annum exceßerunt, iuxta legem Moylis: omnisq; Exod. 30.  
pecunia in templum inferebatur, idque tanquam  
precium pro animabus suis Deo offerendum, in  
vñs templi. Arguit Christus à simili in Regibus  
gentium, quorum filij naturales tributa populo  
communia non soluunt, quòd & ipse tanquam  
Dei filius naturalis liber sit ab hoc didrachmo:  
maximè pro sua anima precium dare non tene-  
batur, qui pro omnium animabus semetipsum in  
precium daturus erat. Ait tamen: *Ne scandalizemus*  
*eos, s. Iudæos istos didrachmi exactores, qui me*  
*adhuc esse filium Dei ignorant, sicuti tu bene*  
*nocti, iuxta confessionem tuam ante paucos dies*  
*factam, sumens staterem, qui est duplex didrachmū,*  
*solve pro me & pro te.* Non soluit pro se solo, sed  
etiam pro Petro; Non dicit, ne scandalizem eos,  
sed, ne scandalizemus eos; tam de se quàm de Pe-  
tro; quia censebat vtrumq; liberum & immunem  
esse debere ab hoc tributo: se quidem tanquam  
Dei filium naturalem, & *Caput super omnem Eccle-  
siam* vitale ac principale: Petrum verò non tan-  
quam ex familia sua, sicut rota familia filij Re-  
gis libera esse solet (sic enim pro omnibus Apo-  
stolis soluere debuisset) sed tanquam filij Dei  
vicarium, & totius Ecclesiæ fundamentū ac ca-  
put ministeriale. Idcirco nec pro se solo soluit, ad  
vitandum scandalum; nec pro omnibus Aposto-  
lis. Non pro se solo, ex causa antedicta: non pro  
omnibus Apostolis, quia illi necdum à Christo  
potestatem acceperant, vt liberi atque immunes  
forent, sicut Petrus, certa iam & firma promissio-  
ne Christi accepta, quodammodo acceptis se vide-  
batur. Erat enim per verba Christi præcedentia **Cap. 16.**  
quasi



quasi nominatus Supremus Ecclesiæ Pastor.  
 Ioan. 21. Collationē accepit in illis verbis: *Pasce oves meas.*  
 Pro se ergo & pro Petro soluit Christus cum pro-  
 testatione quadam sui & Petri, immunem se  
 & Petrum esse professus, tanquam pro Ecclesiæ  
 Capite residente, & Capite nominatario seu de-  
 signato. Cæteri Apostoli & discipuli Christi pro  
 seipsis soluebant, iuxta communem legem cæte-  
 rorum Iudæorum, absque vlla protestatione  
 Christi in contrarium. Hinc ex hoc facto elucet  
 iuxta literam Petri primatus. Aliam olim expli-  
 cationem dedimus iuxta Græcorum Patrum sen-  
 tentiam in lib. de Princip. fidei. Sed hæc exposi-  
 tio literæ & historiæ veteris tributi Moyfaiici, cui-  
 us hic fit mentio, magis conuenit.

Lib. 6.  
cap. 12.

Homil. 59  
in Matth.

Caluini  
dolus  
malus.

Notandum porro circa hoc Christi factum, à  
 Marco illud studio prætermisum fuisse, quia ad  
 Petri primatum pertinebat, sicuti cætera omnia  
 eò pertinentia prætermittere solet, non permit-  
 tente Petro humilitatis causa, qui Marci Euan-  
 gelium vidit & approbavit, vt talia ad eius præ-  
 cæteris excellentiam pertinentia infererentur: vt  
 olim ex Chryfostomo annotauimus. Deinde  
 quia in itinere ad Capharnaum disceptabant in-  
 ter se Apostoli, *quis eorum videretur futurus maior,*  
 quum Christus à mortuis resurgeret, Christus fa-  
 ctis potius quàm verbis volēs eos admonere, pro  
 se & pro Petro solo didrachmum soluit, facta ea  
 quam diximus protestatione: & Petri primatum  
 vt antea sæpe, sic ex hoc etiam accidente insinua-  
 uit. Caluinus verò vt hanc Christi intentionem  
 peruerteret, hoc Christi factum de didrachmi so-  
 lutione, in sua Harmonia post sequentem dispu-  
 tationem, vbi contentioni discipulorum satisfac-  
 cit Christus, astute ponit: idque contra historiæ  
 Euan-

Enangelicæ iuxta omnes Concordantias mani-  
 festum filium atque contextum. Ne videlicet ad  
 illam cæterorum Apostolorum de primatu con-  
 tentionem, hoc Christi factum vilo modo per-  
 tinere videretur. Ita omnibus modis fallendis  
 imperitis insidias struit Caluinus.

## IN MATTHÆI CAP. 18.

7. *Necesse est vt veniant scandala.*

**N**ECCESSITAS hæc nec ex parte rei est  
 absoluta, nec propter Dei præscientiam  
 aut voluntatem infallibilis. Neq; enim Deus non  
est author  
malorum. quia Deus præscit, ideo euentura sunt scandala;  
 sed contra quia sunt euentura scādala, ideo Deus  
 illa præscit futura. Multo minus quia Deus vult  
 fieri scandala, ideo necesse est fieri. *Non enim Deus. Psal. 5.*  
*volens iniquitatem tu es;* ait Propheta regius. Sed  
 posita hominum in mundo malicia & corruptio-  
 ne, necesse est ea venire, sicuti posita hominis in-  
 firmi mala diæta, necesse est illum malè habere.  
 Cauendus igitur hæreticorum commentarius,  
 Caluini imprimis, qui scribit hoc loco, *Deum velle  
 homines scandalis esse obnoxios, quò fidem suorum exer-  
 ceat: nec obstrepere nos debere, aut absurdum putare, quòd  
 laxet Satanae frenum Deus, sed de arcanis Dei consilijs reue-  
 renter sentire.* Ita homo impius iuxta satanicam il-  
 lam suam doctrinam, quòd Deus est author pec-  
 cati, hanc Scripturam corrumpit, vt necessitatem  
 scandalorum Dei prouidentia, ad eòque volun-  
 tati impingat.

19. *Angeli*

10. *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est.*

Angelorum  
custodia  
particularis.

**C**OLLIGITUR ex hoc loco Angelorum custodia, non solum in genere, sed etiam particularis. Non enim dicit Christus, Angeli hominum custodes, sed dicit, *Angeli eorum*, id est, qui eorum curam & custodiam gerunt. Non enim Angelus eius est, puta Thomæ aut Ioannis, nisi qui Thomæ aut Ioanni peculiaris est. Hanc peculiarem cuiusque custodiam Angelicam colligit ex hoc loco D. Hieron. tum in comment. in hunc locum, tum in Esai. cap. vltimum. Origenes quoque tract. 5. in Matth. & Hilarius can. 18. in Matth. Vide plura in Prompt. Cath. in festo S. Michaelis. Eadē sententia apud omnes Catholicos obrinuit. Calvinus tamen propria autoritate magistrali hoc totum contemnit. *Quod* (inquit) *hunc locum ita quidam accipiunt, quasi Deus singulis fidelibus proprios Angelos attribuat, infirmum est.* Rationes subiungit. *Neque enim sonant verba Christi Angelum vnum huic vel illi perpetuū addictū esse; idque cum tota Scripturæ doctrina repugnat, quæ testatur Angelos castra metari in circuitu piorum; & non vni tantum Angelo, sed pluribus mandatū esse, vt quemque fidelium tueantur.* Hæc ille. Sed hæc profectō argumenta valde infirma sunt. Quum enim duo dicat, prius manifeste falsum est, vt iam ex verbis Christi ostendimus; alterum puridum sophisma est. Sic enim arguit: Scriptura docet custodiam Angelorum generalem, ergo negat particularem. Cui simile nugamentum hoc est: Scriptura docet Spiritum S. toti Ecclesiæ dari, ergo non datur singulis, per varia & peculiaria eius dona. Rursum istud:

istud: Dedit Christus Episcopos qui regāt Ecclesiā Deitergo nec paterfamilias, nec parentes naturales, nec proximus quisq; spiriualem suorum curam habere tenentur. Denique & istud: Rex totam Rempublicam per varios magistratus in vnaquaquē ciuitate temporaliter regit: ergo nec domino feruus, nec patri filius, nec duci miles, nec artificio tyro, nec magistro discipulus obedire debet. Est quippe Angelorū custodia generalis, est & cuiusque particularis; sicut est tum Spiritus Sancti, tum Ecclesiæ, tum Reipub. cura ac moderatio generalis, quæ particularem in vnoquoque genere non excludit. Deinde, etsi aliqua Scriptura docet generalem Angelorum custodiam, aliæ tamē Scripturæ docent particularem; sicuti tum hic locus, tum ille maxime de Petro fores pulsante: *Angelus eius est.* Act. 12. vt in loco supra citatō contra Calvinum explicuimus. Inulsē igitur & nimis præproperē post tam stupida argumenta concludit Calvinus. *Faceſſat ergo commensurum illud de bono & malo genio.* Facilius fuit Caluino citō concludere, quā solidē disputare.

15. *Lucratus eris fratrem tuum.*

**N**OTANDVS in Scriptura loquendi modus, qui effectum totum partialibus causis eisdemque infimis interdum tribuit. *Causis partialibus tribuitur effectus.* Lucrari enim animam perditam, præcipuē quidem Deo, eius gratiæ, & Christi merito tribuendum est; partim quoque ipsius conuersi pœnitentiæ, lachrymis, fidei, fiduciæ, orationi, alijsque ex libero eius arbitrio cum speciali Dei auxilio profectis conatibus. Hoc tamen in loco tribuitur corrēptioni fraternæ, quæ non nisi exter-

M

num

numquoddam medium est, idemque inter externa infimum, quum Pastoris prædicatio & correctio magis sit ordinarium & excellens medium, quia ex vñctione loquitur. Docere hic locus hæreticos hodie debet, ne blasphemiam putent, si B. Virginē aut alios Sanctos, vitam, spem, ac salutem nostram interdum vocamus: quatenus videlicet, vitæ, spei, ac salutis nostræ partiales causæ sunt, tamen si ne c primariæ nec integræ.

17. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

**D**ISCIPLINAM & censuram Ecclesiasticam à Christo hoc loco institui omnes intelligunt. Sed *Ecclesiæ* nomine quid intelligi debeat, non omnes recte assequuntur. Hæretici hodie, vt Ecclesiasticam disciplinam quam à Prælati Ecclesiæ exerceri videbant, penitus subuerterent, seque ipsos à censuris Ecclesiæ ipsaque excommunicatione immunes seruarent, nouas huius loci interpretationes commenti sunt. Quidam enim toti congregationi hanc auctoritatem tribuunt, tum quia Ecclesia congregationem & multitudinem significat, tum maximè quia publica censura his verbis significatur. Christus enim (aiunt illi) gradatim ascendit à priuata admonitione ad testes duos, aut tres: à testibus ad Ecclesiā: quæ nisi plures quàm duo aut tres essent, non esset gradatio, sed descensio. Totam igitur fidelium congregationem intelligant non quidem toto orbe dispersam, sed illius loci ac parœciæ cui frater corripiendus subiicitur, quia actor sequitur forum rei. Hæc fuit prima

Ecclesia  
quæ au-  
dienda.

prima Lutheranorum sententia, adeo vt quidam illorum vertant hæc Christi verba, *Dic Republicæ*, vt annotauit hoc loco Beza. Sed hos omnes turpiter errare idem statim affirmat. Calvinus igitur cum suis exponit hæc verba, *Dic Ecclesiæ*, id est, *Dic Senioribus populi*. Nam ad hunc quidem locum ita scribit. *Legitimam Ecclesiæ gubernationem Presbyteris iniunctam fuisse constat, non tantum verbi ministris, sed qui ex plebe morum censors illi adiuncti erant.* Hæc ille hoc loco. Idem accuratè docet Institut. libro 4. cap. 3. num. 8. & Ecclesiæ nomine intelligendos esse ait *Seniorum senatum*, seu consistorium, vt nūc vocant. Theodorus Beza in hunc locum eodem ferè modo. *Euangelista* (inquit) *pro Seniorum collegio Ecclesiam dixit.* Lucas autem capite 22. versu 66. *Seniores populi το προεσβυτερων ος λαοι*: quæ verba ille vertit, *Ordo Seniorum populi*. Idem in Confess. fidei cap. 5. sect. 32 *Seniorum senatum* à Christo hoc loco intelligi affirmat: & in præfatione confessionis Helueticæ, in hunc senatum Seniorum viros principes ac nobiles qui auctoritate valeant, eligendos monet. Hinc erexerunt Calvinistæ per totam Galliam & in Hollandia, sicut & Anabaptistæ, sua consistoria, seu Seniorum senatum ex laicis hominibus Pastori adiunctis confectum: penes quos est omnis potestas & iurisdictio Ecclesiastica, non solū quoad censuras & disciplinas, sed etiam quoad collectas pecuniarias faciendas, quoad leges morum, quoad ceremonias in cultu diuino, & quoad dubia de fide definienda. Puritani in Anglia Caluini sententiam sequuntur, nisi quòd *ex solis Ecclesiasticis viris* hunc Seniorum senatum consistere volunt. Anglocaluinistæ à rota hæc Caluini forma ex voluntate Principis dissidentes, docent & sustinent contra Puritanos, in locum horum Senio-

Protestantium varia  
sententia.

Consistorialis potestas.

rum *Magistratum civilem* successisse. Quare apud illos, *Dic Ecclesie*, significat, *Dic Magistratu civili*. Ex hac sententia Musculus in locis commun. in cap. de Magistraribus, hæc Calvinistarum confistoria & Seniorum senatum multis verbis confutat. Qualterus quoque Tigurinus acerbè in illa inuehitur in comm. in 1. ad Cor. cap. 5. Quare Heluetica confessio, cui Tigurini subscripserunt, Presbyteros & Seniores cõfundit, ac pro eisdem habet. Nam & electos ad ministerium à Senioribus ordinandos, & peccantes à Senioribus corripiendos docent. Sic varia & confusa est hæreticorum hodie circa hæc Christi verba sententia. Omnes tamen in eo conueniunt, ne Ecclesie nomine Prælati Ecclesie, vt vnus Pastor, aut Episcopus, aut summus Pontifex vlllo modo intelligatur.

Argu-  
mentis  
responde-  
tur.

Vno autem argumento præter ea quæ iam dicta sunt, omnes innituntur. Christus (inquiunt) cõfusa & disciplinæ formam hoc loco accepit ex ipsa Synagogæ consuetudine, in qua tunc erat Synedrion, seu Seniorum populi tribunal, quorum arbitrio omnis disciplina subiacebat, ad exemplum Moyfis, qui causis & litibus componendis 70. Seniores præfecit: Exod. 18. In hoc ergo iudicio, *Dic Ecclesie*, intelligit Christus Seniores populi, non vnum aliquem Pastorem. Hoc argumentum multis verbis hoc loco prosequitur Calvinus, & breuiter perstringit Beza. Sed vtrique breuiter respondeo: Fama est probabile sit iuxta formam loquendi, ad Seniorum senatû, qui apud Iudæos erat, Christum alluisse, ideòque *Ecclesie* vocabulo, quæ multitudinẽ significat, vsu fuisse; tamen certum est quòd sensus verborum eius non ad Iudaicæ præsentem, sed ad suæ Ecclesie futu-  
ra

ram politiã respiciebat, quæ quia nec Democratica vt populus regat, nec Aristocratica vt pauci Seniores gubernent, sed Monarchica instituta est (*Dedit enim Apostolos, Prophetas, Doctores, & Pastores in ædificationem corporis sui, &c.*) non nisi de vno Ecclesie Præposito intelligi possunt: vt Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus, & alij hoc loco intellexerunt. Sic quæ Christus de Scribis & Phariseis ad literam dixit, *Quæ dicunt, facite, &c.* de Præpositis Ecclesie totum intelligendum est: vt docet August. serm. 49. de verbis Dom. Chrysost. homil. 85. in Ioan. & Orig. homil. 7. in Ezechielem. Sed & Calvinus ipse, vt primam Lutheranorum sententiam refuret, quæ Ecclesie nomine totam credentium multitudinem intelligi vult, idque exemplo disciplinæ apud Paulum, qui Corinthium incestum non ab aliquo delecto numero Seniorum, sed à toto piorum cõtatu excommunicari iubet, hunc in modum responderet. *Quia tunc nulla adhuc Ecclesia erat, quæ Christo nomen dedisset; nec talis ratio de paucorum delectu adhuc constituta, ipse autem Dominus tanquam de more vsitato receptiõque loquitur; non dubium est quin ad veteris Synagogæ ordinem alludat, quia absurdũ fuisset, Ecclesie, quæ adhuc nulla erat, iudicium proponere.* Hæc ille. Eodem modo ipsi Calvinus de Seniorum senatu quẽ confinxit, respondendum: Quia necdum Ecclesia Christi aut futura eius politiã constituta erat, Dominus vsitato more loquens ad veteris Synagogæ ordinem alludit, quia absurdum fuisset, Ecclesie, quæ adhuc nulla erat, iudicium quale futurum erat proponere. Sicuti ergo ex his verbis, *Dic Ecclesie*, Democratica in Ecclesia Christi poni non potest propter vocem Ecclesie quæ multitudinem significat, vel propter exemplum Pauli qui in primis Ecclesie

Ephes. 4.

Matth. 23

1. Cor. 5.

Calvinus  
ex seipso  
refutatur.

rudimentis illa forma vsus videtur, sic nec Aristocratiam aut Seniorū consistoria ponere oportet propter morem Iudaicum ad quem Christus alludit: sed Ecclesiæ nomine illi intelligi debent, quibus postea Christus omnem disciplinæ Ecclesiasticæ potestatem cōmisit. Neq; enim Christus in his verbis, *Dic Ecclesiæ*, dat aliquā authoritatē Ecclesiæ; sed præsupponens illam authoritatem futuram, ostendit quanta & qualis esse debeat. Penes autem quos futura esset, non his verbis, *Dic Ecclesiæ*, sed sequentibus illis, *Quæcunque alligaueritis super terrā*, &c. explicat Christus. Nā de Ecclesiæ Præpositis, & de vno sententiam ferente hæc verba intelligi, non solum Patres omnes semper intellexerunt, sed & ipsi hodie Calvinistæ agnoscunt, qui ipsam excommunicationis sententiam, quæ est alligare super terram, non nisi à Ministro seu Pastore pronuciari debere vnanimiter docent. Postremò quid sit dicere Ecclesiæ, vel non audire Ecclesiam hoc loco, satis perspicuè Christus docuit, quando non populo aut senioribus populi, sed solis Apostolis eorūque successoribus dixit. *Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit*. Dicit ergo Ecclesiæ qui dicit Præposito Ecclesiæ, & audit Ecclesiā qui audit Præpositum Ecclesiæ.

Lutherani  
argumenti  
solutio.

Neque tamen propterea Christi gradatio hoc in loco manca aut mutila, sed prorsus perfecta & plena est. Plus enim est vni dicere, seu apud vnum querelam deponere, penes quem authoritas est alligandi in terra quæ erunt ligata in celo, quam vel priuatim vel coram testibus corripere, qui refractarium per excommunicationem aut aliam censuram puniendi potestatem non habent. Denique sicut in veteri populo per totum popu-

populum & totam Synagogam intelligebantur Seniores populi, vt habes Exod. 4. Iosue 20. & 1. Paral. 13. quia penes Seniores populi erat gubernatio, sic in nouo statu & hoc in loco per Ecclesiam intelliguntur Præpositi & Pastores, quia *hos Spiritus S. posuit regere populum Dei*. Frustra ergo Calvinus, Beza, Musculus, omnesque ferè huius ætatis hæretici, ex Christi verbis, *Dic Ecclesiæ*, Monarchicam in Catholica Christi Ecclesia politiam perpetuò obseruatam subuertere conati sunt. Sane quum Theodorus Beza pro suo Seniorū collegio seu senatu, consuetudinem temporis Apostolici allegaret, dicens, *Quod ad nostras Ecclesias attinget, profiteamur maximè nobis probari puritatem Ecclesiarum quæ sub ipsis Apostolis viguit*, Confess. fidei cap. 5. sect. 20. respondet ei Musculus in locis commun. cap. de Magistratibus: *Si reuocas temporū illorum mores, primum conditiones & status quoque illorum temporum reuoca*. Et rursum: *Distinguendum est inter statum Ecclesiarum qui tum erat, & inter eum qui nunc est*. Hæc ille, admittens quidem pro vero quod Beza affirmat (quum tamen sit penitus fallum, vt vel ex his quæ dicta sunt, satis apparet) consequentiam tamen, quam Beza facit, penitus reijciens.

Act. 20.

Bezæ refu-  
tat Muscu-  
lus.

20. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*

QUVM hæc Christi verba à Catholicis tracta-  
toribus, tum hodie tum olim, ad perpetuam  
Christi assidentiam in Episcoporum Synodis, ma-  
ximèque generalibus probandam, applicata &  
accommodata fuerint per argumentum à minori  
ad maius, quia si duobus aut tribus quibuscunque  
credentibus in Christi nomine, id est, in quacun-

Concilio-  
rum au-  
thoritas  
deficitur.

que pia causa ad Christi gloriã pertinente congregatis adest Christus, multo magis multoque certius plurimis congregatis; nec quibuscunque credentibus, sed credentium populorum Pastoribus ac Præpositis; nec in qualibet causa, sed in causa communis fidei examinanda, explicanda, & confirmanda, Christus aderit; quia dubitandum non est, Dei providentiam Christi que assistentiã in generali Ecclesiã bono procurando certorem esse, quã in quovis particulari; totã hanc Catholicorum argumentationem & firmissimam & saluberrimam atque vnitati fidei cõservandæ impiis necessariam, impius impostor Calvinus hoc loco verbis phaleratis & astutia plenis penitus conuelleret conatur. Sic enim ad hæc verba scribit. *Promissio Christi hoc vult, vt qui simul congregantur, reiectis omnibus impedimentis, quæ nos ad Christum accedere non sinit, sincere ad eum aspirent, eius verbo se in obsequium addicant, ac Spiritu gubernari permittant. Timendũ non est, vbi viget hæc simplicitas, quin palam ostendat Christus, suis auspicijs non frustra coactum fuisse ceterum. In quo se prodit crassa Papistarum inscitia. Clamant non potuisse errare Concilia, idcirco standum omnibus eorum decretis, quia quoties duo aut tres congregantur in nomine Christi, ipse in medio eorum est. Atqui in primis querendum erat, conuenerint necne in Christi nomine, de quorum fide, doctrina, & affectu ambigitur. Hoc dum omittunt vel inuoluunt Papistæ, quis non videt astutè discrimen inter sacros & profanos conuentus ab illis confundi, vt potestas quiduis agendi ab Ecclesia ad hostes Christi iuratos transferatur? Hæc Calvinus, cuius multiplex dementia à me explicanda est. Primum obiecit crassam inscitiam. Postea dum illam ostendit, ait astutè confundi discrimen inter sacros & profanos conuentus. Si crassa est in hac parte Papistarum inscitia, profectò nõ est astuta*

Caluini  
contradi-  
ctio.

con-

confusio. Quod enim astutum, subtile: quod subtile est, crassum non est. Ita inter se pugnantia ex animi impotentiã obiecit. Deinde vbi est hæc vel crassa inscitia, vel astuta confusio? *Querendũ (inquit) erat virũ conuenerint in Christi nomine, de quorum fide, doctrina, affectu ambigitur. Hoc nõ querunt Papistæ. Astute igitur & crasse agunt. Agnosco meritò de illis querendum hoc esse, de quorum fide, doctrina, affectu ambigitur. Sed de Conciliorum veterum Patribus, & rotius orbis Episcopis, ideo nos Catholici post tot iam secula hoc non querimus, quia de eorum fide, doctrina, affectu nos non ambigimus. Nihil ergo nos vel ex crassa inscitia vel astute hac in parte egimus. Ostendere prius Calvinus debuit; hoc ipsum nos ambigere, ideoque culpandos quod ambigentes non quereremus. Sed hæc est Caluini vel crassa inscitia, vel insignis astutia. Crassa inscitia est, si existimet nos Catholicos de veterum Patrum & Episcoporum, qui in generalibus Concilijs contra veteres hæreticos congregari fidem Catholicam omnibus tẽporibus explicarunt, fide, doctrina, affectu ambigere. Planè eos orthodoxam fidem tradidisse, doctrina excelluisse, pietatis affectu viros sanctos fuisse, nos non ambigimus, credimus, confitemur, ideoque in Christi nomine conuenisse, sincere ad eum aspirasse, eius verbo se in obsequium addixisse, Dei Spiritu gubernari sese permisisse. (querit Caluinus desiderat vt in Christi nomine conueniatur) nihil dubitamus. Insignis verò Caluini astutia est & paralogismus egregius, si hoc de nobis non existimans, iubet nos querere de quo alij ambigunt, nos non ambigimus. Propterea astute & vafre scripsit, de quorum fide, &c. ambigitur: quũ dicere debuisset, quia de Papistis loquitur,*

Caluini  
vitia quæ  
alij obie-  
ctabat.

Caluini  
vaficies  
aperitur.

M 5

tur,

cur, *de quorum fide, &c.* illi ambigerunt, vel saltem ambigere debuerunt. Nunc enim à Caluino querimus, à quibus hoc ambigitur? An à Papiſtis, an à vobis Calvinistis, alijsque horum temporum ſectarijs? Si à nobis dicit, craſſiſſima inſcitia laborat, & mentitor egregie. Si à ſuis ſuique ſimilibus, quid hoc ad Catholicos, quos hoc loco redarguit, quaſi temere Concilia venerentur, de quibus non quaſierint, vtrum in nomine Chriſti conuenerint nec ne? An fortè quia Calvinista ambigunt, alijsque heretici ſemper ambigere voluerunt, ideo ſequetur Catholicos quoque ambigere, aut oēs ambigere debere? vt indefinite ac vniuerſaliter ſit verū, *de quorum fide, &c. ambigitur?* Hoc ſi dicit, nōne iterū craſſa inſcitia laborat? Aut ſi hoc nō dicit, nōne manifeſta eſt inſignis eius aſtutia? Ceterum de veterū Conciliorū fide, doctrina, affectu, nec Catholici vnquā ambigere voluerunt, nec heretici ambigere debuerūt. Ac per hoc vtrū in nomine Chriſti Patres illi cōuenerint, quaerere aut inueſtigare, nec Catholici voluerunt, nec heretici debuerunt. Quod quum ita ſit, ad Conciliorum ſaluberrimam authoritatem hic locus imprimis valet, eoque Catholici prudenter & piè ad eandem comprobendam vſi fuerunt.

Nunc tamen Caluini concluſionē audiamus. *Sciamus ergo non hiſſi pios. Dei cultores, qui Chriſtum purè quaerunt, animari ad fiduciam, ne ſibi eum ad ſe dubitent. Spurijs autem & abortiuis Concilijs, quæ telam ex proprio ſenſu contexuerunt valere, iuſſis, apud nos ſemper Chriſtus vnus cum Euangelij ſui doctrina emineat.* Non minus inepta quàm impia eſt iſta concluſio. Ineptum pariter atque impium eſt, veterum Conciliorum Patres ab hac Chriſti promiſſione repellere, & pios

Caluini  
ineptia.

pios Dei cultores, qui Chriſtū purè quaerunt, ſubſtituere. Ineptum eſt, quia ſemper quaeri & ambigi poteſt qui deſinum ſint iſti pij Dei cultores: nec dubitandum eſt quin quilibet inſulſiſſimus hæreticus, etiam ipſe Caluinus, in eorum numero ſe ponere velit. Impium eſt, veterum Conciliorum Patres & totius orbis Episcopos, qui omnes veteres hæreſes iugularunt, & Eccleſiam Chriſti perpetuò rexerunt, à pijs Dei cultoribus ſecernere, quaſi impios & impuros repellere. Sed magis adhuc impium eſt, omnibūſque hæreſibus latiſſimam fenestraſ aperit, vetera totius orbis Concilia *ſpuria & abortiua* vocare. Hinc quippe factum eſt, vt ſicut Concilium Conſtantiense Lutherus, quia VVicleſin eo condemnatus eſt, Lateranense Concilium Caluinus, quia Berengarius in eo reiectus eſt; Florentinum, Tridentinum omnes hodie heretici, quia varia eorum hæreſes anathemate illic percuſſæ ſunt, pro ſpurijs & abortiuis habuerunt; eodem modo, eadem fiducia, noui in Tranſilvania & Polonia Ariani ac Trinitarij Concilium Nicenum, Conſtantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonenſe, aliæque in vniuerſum omnia ſuis placitis repugnantia reiecerint. *Telam autem ex proprio ſenſu contexere,* nouis hæreticis, Caluino imprimis, proprium eſt, quaſi ſe inſeparabile accidens, à veterum Conciliorum Patribus alieniſſimum, qui maiorū ſuorum veſtigijs religioſiſſimè inſiſtentes, & traditam ab illis doctrinam ſequentes, ſic demum de re dubia definiuerunt, vt in omnibus Conciliorum definiſionibus videre licet. Poſtremo, *vnus quidem Chriſtus cum ſui Euangelij doctrina eminere debet:* ſed tunc eminet, quando per os eorum loquitur quos ſua Eccleſiæ Magiſtros ac Præpoſitos conſtituit: qui-

Eiusdem  
impictas.

Inſiſtentes  
ſſ. Patrū  
veſtigij,  
phraſis  
Concilio-  
rum erita.

bus

Luc. 13. bus dixit. *Qui vos audit, me audit. Et iterum, Si sermo-*  
 Ioan. 16. *nem meum seruaerunt, & vestrum quoque seruaerunt.*  
 Matth. 28. quia videlicet eisdem dixerat. *Docete omnes gentes*  
*seruare omnia quecumque mandaui vobis.* Apud hæreti-  
 cos verò, nec Christus nec Euangelij sui doctrina  
 eminere potest, quia *currunt nemine mittente:* Chri-  
 stus per eos non loquitur, quia non misit eos: nec  
 Euangelij doctrinam docent, sed eius verba te-  
 nentes, sensum & doctrinam pestilenter corrup-  
 punt, Caluinus maximè, vt tot iam in locis ostē-  
 dimus, ac, fauente Deo, ostēdemus adhuc magis.

21. *Quoties peccabit in me frater meus. & dimittam ei?*  
*vsque septies?*

Petrus in-  
dignè à  
Caluino  
exceptus.

**D**VPLICITER hunc locum corrumpit  
 Caluinus. Primum circa personam Petri,  
 de quo ita scribit. *Non rogabat Petrus an septies remit-*  
*teret, quòd placeret eò vsque progredi: sed vt obiecta magni*  
*absurdi specie Christum à sententià deduceret.* Hæc ille. Duo  
 falsa impingit Petro homo impius & Apostolos  
 criminandi audus. Negat Petrum sic istud rogasse,  
 vt vsque septies peccanti in eum fratri remitte-  
 re vellet. Atqui omnium Patrum interpretatio  
 aliter rem accipit: Chrysostomi, Hieronymi, &  
 Hilarij hoc loco, quibus potius credendū esse ne-  
 mo sani cerebri negauerit. Deinde Christi respon-  
 sio idem confirmat, qua numerum à Petro signa-  
 tum multiplicat, non taxat: quasi probans quidē,  
 quòd vsque septies remittere paratus erat, sed hoc  
 valde parum esse, quòd multum putabat Petrus,  
 statim ostēdens. Secundò ait Petrum *Christum à*  
*sua sententià deducere voluisse.* In quo fingit absurdis-  
 simè Petrum talem fuisse Christi discipulum (qui  
 tamen seruaere charitatis & fide cæteros omnes  
 semper

semper excellebat) vt nec semel fratrem peccan-  
 tem corripiere, eique dimittere voluerit. Nam non  
 nisi de semel peccatis correptione & venia Chris-  
 tus antea disputaerit.

Rursum hunc locū corrumpit Caluinus, quòd  
 hanc ignoscentiam peccatorum ad leuia & quòd a  
 tidiana peccata restringit, quasi in grauioribus  
 criminibus fratrum dimittere, nec septuagies nec  
 septies teneremur. Proposita quippe sibi hac que  
 stione, *Vbi erit discrimen si ad centesimum vsque crimen*  
*impune quiuis nobis illudat? Respondeo* (inquit) *de quoti-*  
*dianis delictis hic haberi sermonem, in quibus etiam optimus*  
*quisque venia indiget.* Hæc ille. Ita qui Petrum re-  
 prehendit quòd septies nollet fratri dimittere, sed  
 potius Christū ab hac ignoscentiæ fraternæ lege  
 statuenda deducere, maiori nunc impietatis &  
 reprehensionis nota, non nisi in leuibus & quoti-  
 dianis peccatis, quibus optimus quisque non ca-  
 ret, fratribus frequenter dimittere doceat, quum  
 Christus de omni peccato in genere ac imprimis  
 de grauioribus loquutus sit; in quorum videlicet  
 remissione & maior charitas ex parte nostra, &  
 maior necessitas ex parte peccantis fratris elu-  
 cet. Neque enim vel magna laude dignum est le-  
 uia & quotidiana ignoscere, quibus ipsi non care-  
 mus; vel nostra venia multum opus habet frater  
 in istis quotidianis ignoscendis, quæ talia perrarò  
 sunt, vt veniam à fratribus propter huiusmodi  
 petere necessè sit. Deinde peccata in fratres quæ  
 correptione indigent, & quæ ad Ecclesiæ tandem  
 iudicium deferenda sunt, in quibus si nos non  
 emendamus, erimus sicut ethnici & publicani, de  
 quibus peccatis Christus antea disputaerit, & Pe-  
 trus hic interrogat, ex illa disputatione occasio-  
 ne accepta, non sunt haud dubiè quotidiana &  
 leuia



leuia peccata quibus optimus quisque non caret: sed sunt haud dubiè illa peccata quæ cum salute & iustitia stare non possunt. Idcirco enim Christus dixit, si in huiusmodi peccans correptionem nostram audierit, quòd *lucrati fuerimus fratrem nostrum*; periturum videlicet si non audiisset se. seque emendasset. Propter leuia autem & quotidiana peccata, *quibus optimus quisque non caret*, nemo peribit: nisi fortè & optimus quisque perire debeat. Sunt igitur etiam ingentia peccata, quæ crimina propriè vocamus, fratribus nostris perpetuò ignoscenda, quantumcunque multa & sepius repetita, si vel à nobis toties correpti sese emendent, vel sua sponte toties veniã rogauerint, quã conditionem Christus in sequenti parabola adiecit. Ut propterea hæc Christi doctrina non peccandi licentiã, sed pœnitentiæ fructum, nostramque erga proximos charitatem perpetuam ac necessariam doceat.

34. *Quoad usque redderet vniuersum debitum.*

**T**AXAT hoc loco Catholicos Calvinus, & ait. *Ridiculi sunt Papistæ, dum ex aduersione, Quousque, purgatorium ignem eliciunt. Certum enim est, mortem æternam hic à Christo notari, non penam temporalem qua Dei iudicio satisfiat.* Hęc ille. Asturè homo nequam generaliter loquitur, sicut dolosus versari solet in generalibus: sed neminem profert Catholicum scriptorem, qui hæc Christi verba ad purgatorium accommodet. Hic illi perpetuus in his suis commentarijs ludus est. Accusat Catholicos interpretationis falsæ, sed nullum scriptorem Catholicum qui sic interpretetur profert. Quæ est maledica contumelia, non legitima accu-

Calumnia  
putida re-  
pellitur.

IN MATTHÆI CAP. 19. 191  
accusatio. Ego verò in nullo adhuc scriptore Catholico aduertere potui, hunc locum ad purgatorium accommodari. Fefellit fortè Calvinum alius similis locus Matth. 5. vbi dicit Christus. *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.* Hunc enim sanè locum ad purgatorium applicari posse disputant interdum Catholici, & inter alios Robertus Bellarminus satis copiosè & accuratè. Controuers. tom. 1. Controuers. 5. lib. 1. cap. 4. de purgatorio. Et de hoc loco supra Caluino prolixius satisfecimus, vbi prolixius debacchatur.

IN MATTHÆI CAP. 19.

6. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

**A**RRIPIT hoc loco Calvinus, vt in tota passim quam facit sacri Euangelij expositione, Catholicos taxandi ac reprehendendi occasionem. Quæ seu hic seu alibi si iusta foret, laudem mereretur veritatis defensio. Nunc quum putidas calumnias effutiat, nec illè à nobis negligendè sunt, quia simplici lectori imponitur, & Christi Ecclesia diffamatur, & docet præterea nos quæ contra hæreticos modernos passim valent, vt ea diligenter obseruemus: sicut solent mali mores bonis legibus causam dare. Ait igitur hoc loco. *Latius extendi hæc Christi doctrina potest. Papistæ Ecclesiam à Christo Capite suo auulsam nobis fingentes, truncum & mutilum nobis relinquunt corpus. In sacra Cæna quum Christus panem vino coniunxerit, vsu calicis totam plebem priuare ausi sunt. His diabolicis corruptelis opponere licebit: Quod Deus copulauit, homo non separet.* Hęc ille. Monuit nos cauillator impotens cauil-

Præposi-  
torii Eccle-  
siæ autho-  
ritas non  
diuellit  
corpus à  
Capite.

Matth. 16

Ioan. 21.

Heb. 13.

Luc. 10.

cauillandi magis auidus quam peritus, quæ in il-  
lumi iusta & certissima accusationum tela conij-  
cere debeamus. Ait nos fingere Ecclesiam à Chri-  
sto Capite auulsam. Nempe quia caput Ecclesiæ  
agnoscimus Rom. Pontificem D. Petri successio-  
rem. Quæ accusatio si iusta est, ipse ergo Chri-  
stus quum dixit Petro, *Tu es Petrus, & super hanc pet-  
ram ædificabo Ecclesiam meam, & postea Pascere oves meas,*  
in quibus verbis Petrum constituit Ecclesiæ suæ  
(non particularis alicuius, sed vniuersalis, nepe  
*contra quam portæ inferi non præualeverint*) Caput vica-  
rium & ministeriale, suam Ecclesiã à seipso Ca-  
pite diuulsit: vel si hoc vnum totius Ecclesiæ Ca-  
put satis in Scripturis expressum nõ videtur (quo  
nihil tamen expressius positum est) quum Paulus  
dixit, *Obedite Præpositis vestris, &c.* an illos à Chri-  
sto diuulsit, vt Christo non obedirent? Annon  
Christus disertissimè docuit Ecclesiam suam à se  
Capite nõ diuelli, sed sibi potius arctissimè con-  
iungi, quando Præpositi, Pastores, Magistri Ec-  
clesiarum audiuntur, quos ipse misit, dicens illis  
hæc verba: *Qui vos audit, me audit, &c.* Nos ergo seu  
vnum totius Ecclesiæ Caput, seu in particulari  
quaque Ecclesia vnum proximum & proprium  
Caput audientes, siue ille Pastor siue Episcopus  
sit, non Ecclesiam à suo Capite diuellimus, sed  
Ecclesiam suo Capiti arctissimè obedientiæ &  
vnitatis vinculo coniungi ostendimus. Calvinus  
autem qui Ecclesiam Catholicam tot seculis à  
Christo diuulsam affirmat, qui tot Patres & Ec-  
clesiarum toto orbe Episcopos in Scripturis expo-  
nendis turpiter errasse, erroribusque in fide gra-  
uissimis laborasse contendit, qui nec vnũ supre-  
mum Caput D. Petri successorem, nec vllum in  
Ecclesia aliqua particulari Præpositum agnoscit,  
sed

sed ad Seniores populi totam Ecclesiæ gubernationem transfert, ille certè euidentissimè Eccle-  
siam à Christo Capite diuulsit, planèq; *κεφαλον*  
penitusque truncum reliquit. Rursum si vnam  
venerab. Eucharistiæ speciem populo subtrahendo,  
separatur quod Deus coniunxit, quanto pec-  
cavit enormius & sceleratius Calvinus, qui ab  
vtraque specie sacrum Christi corpus sacrumque  
sanguinem ita penitus diuulsit ac separauit, vt à  
pane & vino in cænaquam celebrat, tam procul  
separaretur corpus & sanguis Christi, quàm cælum  
à terra seiungitur? Illis enim ipsissimis verbis  
homo impius profanam suam cænam commen-  
dat, nec in sacramento, sed in cælo quærere nos  
iubet quod in hac sacra Cæna vel comedamus  
vel bibamus. Nec accipere corpus & biberè san-  
guinè Domini, sed audire historiã Euangelicam  
& credere docet. His diabolicis Caluini corrup-  
telis meritò opponere licebit: *Quod Deus coniunxit,*  
*homo non separet.* Catholica verò Ecclesia vnam  
speciem populo porrigendo, & totum Christum  
illis porrigit, quem huic Sacramento Deus con-  
iunxit, & nihil separat quod Christus coniunxit,  
quia in sacrificio quod Christus fecit, vtramque  
speciem tenet, sicut tenuit Christus. *Quam rem*  
*infra suo latius loco discutiemus.*

Ad  
Matth.  
cap. 26.  
ver. 27.

9. *Et qui dimissam duxerit, mæchatur.*

**H**IS Christi verbis pro secundis nuptijs Nuptiæ  
post diuortium adulteræ coniugis adhuc post di-  
superstitis more omnium hæreticorum uortia  
hodie abutitur Calvinus, omnèsq; hætenus Scri- superstitie  
pturarum interpretes qui aliter senserunt, tam ve- dimissa.  
tutissimos Patres quàm tractatores modernos

N au-

audacissime erroris condemnat. Ait enim. Hoc membrum pessime expositum fuit à multis interpretibus. Generaliter enim & confuse putarunt calibatum præcipi quoties diuortium factum fuerit. Ita si maritus adulteram reijceret, utriusque iniecta est calibatus necessitas. Quasi verò sit hæc repudij libertas tantum ab vxore secubare, quasi etiã Christus non clarè in hac causa fieri permittat quod promiscuè sibi Iudæi pro suo arbitrio vsurbare soliti erant. Fuit ergo ille nimis crassus error. Hæc ille. Duo adfert, quasi erroris, quem alijs impingit, causas duas. Prius est, quia parua aut nulla videtur repudij libertas ab vxore separari quoad thorum tantum. At Christus hoc loco non repudij libertatem dare, sed ea restringere discretè voluit. Quum enim Iudæis ex quacunque causa vxores dimittere dato repudij libello permitteretur, Christus hanc repudij libertatem ad solam fornicationis causam restringit. Et quia non repudij libertati hoc loco consulit Christus, sed vinculo potius coniugali, quod ex prima sua institutione & ex Dei præcepto (sicut Christus hic commemorat) indissolubile fuit, permittit quidè repudium fornicationis causa, sed ita vt firmum nihilominus valeat vinculum coniugale, ideòq; quietiam ob fornicationem dimissam duxerit, moechari docet: videlicet quia alterius adhuc vxor est, tamen si iustam ob causam repudiata. Non ergo pro libertate repudij contendere hoc loco debuit Calvinus, sed pro coniugij vinculo, si ex Christi instituto & mente Euangelium exponere voluisset. Alterum quod adfert est, quia Christus in causa fornicationis id fieri permittit, quod promiscuè Iudæi ex quacunque causa faciebant. Respondeo, quoad repudium, verum id esse, sed non quoad secundas nuptias factò repudio. Christus enim (quod aduertere Calvinus cæterique hære-

Christi  
institutum  
Calvinus  
inuenit.

hæretici debuerunt) legem illam Moysicam de libello repudij, tanquam perfectionis Magister, in tribus corrigi. Primum quòd non liceat nisi ob fornicationis causam dimittere vxorè, quum ibi liceret ex quacunque causa dimittere. Secundò quòd etiam sic dimissa coniuge, non licet alteri nubere, quod Iudæis permissum erat. Ideo Christus præter vnius huius causæ exceptionem, addit, Et aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Illam enim vnius causæ exceptionem ad verbū dimittere, quod præcedit, referendā esse, etiam ipsi hæretici agnoscunt, qui dimissionem illam & repudium ex quacunque causa per hanc exceptionem restringi pariter nobiscum fatentur. Mœchari igitur eum qui post repudium aliam ducit vxorem, vel qui ab alio repudia tam ducit, generalis est Christi doctrina, quacunque tandem de causa fiat repudium, sicuti apud Marcū manifestè legitur: *Quicumque dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit super eam.* Item apud Lucam. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Ad quæ duorum Euangelistarum verba ait Augustinus. *Qui ergo nos sumus vt dicamus, Est qui mœchatur vxore sua dimissa alteram ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur, cum Euangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit? Proinde si quicumque hoc fecerit vt vxore sua dimissa alteram ducat, mœchatur, sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter & qui propter fornicationis causam dimittit vxorem.* Hæc Augustinus. Hoc igitur secundum est in quo Christus corrigit legem veterem de libello repudij, Matthæus autem solus hanc exceptionem de causa fornicationis ponit, quia apud illum solum quæstio illa proponitur, de dando libello repudij ex quacunque causa: ideòque ad libellum repudij referenda hæc ex-

Lex de libello repudij in tribus correctæ.

1.

2.

Mar. 10.

Luc. 16.

De adulter. coniu. lib. 1. cap. 9.

ceptio est, nō ad crimen adulterij in eo qui repudiata vxore aliam ducit: vel certè sicō referre omnino quis velit, quia ambiguus videtur sermo, tunc, vt docet August. lib. citato cap. 11. *Matthæus ex parte totum intellexisse putandus est*, & illud adulterium ex vna partiali causa docuisse, quod ceteri duo Euangelistę ex tota causa docuerunt: id est, ex nouo matrimonio post quodcunque repudium inito. Tertium in quo veterem legem de libello repudij corrigit Christus, illud est, quod per æquē liceat vxori castę virum fornicantem dimittere, quā viro casto vxorem fornicantem. quorum nisi posterius in veteri lege licebat. Hoc tertiu aperrè docet Paulus, 1. Cor. 7.

Alias adhuc Caluinus rationes adfert, quas expendere oportet. *Nam quum adulterij damnat Christus qui repudiatam vxorē duxerit, restringi ad illicita & friuola diuortia certum est. Ideo Paulus manere inuptas iubet quę sic dimisse fuerint, aut viris suis reconciliari, quia scilicet rixis & discordijs non aboletur coniugium: idque ex Marco elicitur, vbi nominatim exprimitur vxor quę a marito discesserit: non quod liberum fuerit vxoribus dare marito repudij libellum, nisi quatenus in exteros mares prolapsę erant Iudęi: sed notare voluit Marcus corruptelam quę tunc passim trita erat reprehendi à Domino, quod post voluntaria diuortia vtrinq; ad nouum coniugium transibant. Ideo adulterij nulla fit apud Paulum mentio. Hęc Caluinus. Adulterij crimen in eo qui repudiatam ab alio ducit, ad friuola diuortia à Christo restringi affirmat. Cui assertioni a Marci & b Lucę verba citata manifestè contradicunt, qui aiunt in omnibus quibuscunque diuortijs mœchari eum qui ab alio dimissam duxerit. Deinde si ad friuola diuortia illa Christi verba restringuntur, erit iste sensus planè absurdissimus. Qui præter fornicationis causam*

a. *Quicumque dimiserit.*  
b. *Omnis qui dimiserit.*

causam (quę iusta est) dimissam à viro vxorem duxerit, mœchatur. Puta si ex rixa aut alia quacūque causa vxor dimissa fuerit. Sed si ex fornicationis causa dimissam duxerit, nō mœchatur. Iuxta hunc ergo sensum meliori loco erit vxor adultera ex causa fornicationis à viro dimissa, quā vxor proba & casta absque fornicationis causa à viro dimissa. Hanc enim ducere nemini licebit, illam licebit: & hæc aut manere inupta cogitur, aut viro reconciliari: altera nouas nuptias adire poterit, nec de reconciliatione cogitare opus habet. Quę omnia absurdissima sunt. Confirmat tamen sententiam suam ex Paulo quę de friuolis istis diuortijs dixisse vult, *dimissam à viro aut manere inuptam, aut viro suo reconciliari.* Sed Pauli verbis turpiter abutitur. Clarum enim est, Paulum non de friuolis sed de iustis diuortijs hoc dixisse. Ait enim. *Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam.* Atqui Dominus in Euangelio quando præcipit vxorem à viro non discedere, præcipit sine iusta causa non discedere, scilicet sine causa fornicationis. Ergo quod subiungitur, *quod si discesserit, manere inuptam*, intelligendum est, si discesserit etiam ex iusta diuortij causa. Nam vt Christus non permittit vxori omne à viro diuortium, sed tantum ex iusta fornicationis causa; sic discedentem iubet manere inuptam Paulus, non ex qualibet rixa aut friuola causa discedentem, sed ex ipsa iusta fornicationis causa discedentem. Deinde vxori à viro discedenti ex iniusta aut friuola aliqua causa, non dedisset Paulus optionē, vt aut maneret inupta, aut viro suo reconciliaretur, sed simpliciter iuberet eā viro suo recōciliari. Hoc enim illi necessa-

1. Cor. 7.

De adul-  
ter. con-  
iug. lib. 1.  
cap. 5.

Erroris  
circa no-  
uas nu-  
ptias post  
diuortia  
causa.  
Matth. 5.

rio faciendum fuit, quum sua sola culpa & te-  
meritate maritum reliquerit. Sed quia de vxore  
à viro discedente etiam ex iusta causa Paulus dif-  
feruit, propterea ponit illi optionem, vt aut viro  
suo reconciliaretur & peccato viri sui indulgeat,  
aut, si hoc nolit, sciat se innuptam manere oportere :  
idque propter vinculum coniugale adhuc  
manens. Sapienter igitur S. August. hæc Pauli  
verba sic intellexit vt diceret. *Non præcepisset Apo-  
stolis, si à viro discesserit, innuptam manere mulierem, nisi eam cui  
discedere licuisset, illa vna videlicet causa quæ ibi propterea  
tacita est quia notissima est, hoc est, fornicationis.* hæc ille.

Sed huic Caluini & aliorum hæreticorum ca-  
uillationi occasionem dederunt alia Christi ver-  
ba : *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicatio-  
nis causa, facit eam mæchari.* Existimant enim docere  
quidem eo loco Christum, eos qui dimissa vxore  
præter causam fornicationis aliam ducunt,  
mæchari; sed qui propter fornicationem dimissa  
vxore aliam ducunt, non mæchari. Quum enim  
dicat Christus omnem qui dimiserit vxorem præ-  
ter fornicationis causam, facere vt dimissa mæche-  
tur, sup. si alteri nubat : prorsus innuere videtur,  
omnem qui dimiserit vxorem propter fornicationem,  
non facere vt dimissa mæchetur si alteri nubat : &  
consequenter nec virum mæchari si ex tali causa  
dimissa vxore alteram ducat. Alioqui hanc vnam  
causam non interposuisset, sed generaliter dixisset,  
quod quicumque ex quacunque causa dimittit  
vxorem, facit eam mæchari si alteri eo viuente  
nubat. Hæc ille. Sed respondet S. Augustinus duo :  
Primum, *Christum hoc quod maius est commemorare vo-  
luisse.* Maius quippe & absurdius peccatum est, re-  
pudiata vxorem ducere quæ præter fornicatio-  
nis causam dimissa est, quam eam que propter forni-

forni-

fornicationem dimissa est, quum hæc iusta &  
vnica nunc causa repudij sit. Sed non quia illud  
maius peccatum, propterea hoc nullum aut par-  
uum peccatum est. Sic alia Scriptura dicit. *Scienti* <sup>Iacob. 4.</sup>  
*bonum facere & non facienti, peccatum est illi.* Nec ta-  
men excusantur omnes qui ignorantes peccant,  
quum ignorantia iuris neminem excuset. Secun-  
do respondet *Matthæum sic Christi verba retulisse, vt à  
parte totum significare voluerit:* videlicet non quosdam  
qui vxores dimittunt, & alias ducunt, mæchari,  
quosdam non, sed planè omnes tales mæchari, vt  
particula illa, *præter fornicationis causam,* ad dimit-  
tendi vxores prohibitionem referatur (qui erat  
Christi scopus hoc loco) non autem ad rationem  
mæchie quæ inde cōsequitur ex secundis nuptijs.  
Quare Christi verba plenius apud Marcum &  
Lucam leguntur, vbi generaliter Christus dicit.  
*Quicumque dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit,* <sup>Mat. 10. &  
Luc. 16.</sup>  
*adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum  
suum, & alij nupsit, mæchatur.* Ibi quippe Christus  
non explicat aut corrigit legem veterem de libel-  
lo repudij, sicuti hic in hoc sermone facit, sed tra-  
ctat in genere causam vinculi matrimonialis.  
Legit Augustinum de adulterinis coniugijs lib. 1.  
cap. 9. 10. 11. & 12. Sed Pauli mentem ex Marco  
elicere vult Caluinus, quia ibi nominatim expri-  
mitur vxor quæ à marito discesserit. Ait enim  
Marcus. *Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupsit,  
mæchatur.* In his verbis existimat Caluinus re-  
prehendi à Domino quod post voluntaria diuor-  
tia, vtrinque ad nouum coniugium transibant Iu-  
dæi, in exteros iam mores prolapsi. Cui respon-  
dendum, apud Marcum quidem & Lucam secun-  
das nuptias post quæcunque diuortia seu volun-  
taria & friuola, seu iusta & legitima, vt fornicatio-

tionis causa, à Christo prohiberi, vt supra ex Augustino accepimus: idque tam ex parte viri respectu vxoris, quam ex parte vxoris respectu viri: nec vllomodo verisimile esse quòd apud Iudæos Christi tempore vxores viros dimiserunt, quum hoc lex non permitteret. Sed quum Paulus de illo vxoris à viro diuortio disputat quod Christus prohibuit, debet necessariò illud intelligi secundum totam prohibitionem à Christo factam. Prohibet autem Christus vxorem à viro discedente alteri nubere, sicut prohibet virum qui vxorem dimiserit alteram ducere. Pares enim illos hac in causa esse, verba Marci ostendunt, & Paulus postea manifestius docuit, dicens. *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Atqui virum qui vxorem dimiserit etiam fornicationis causa, aliam sine mœchia ducere non posse, apud Matthæum Christus docet. Omnes igitur post diuortia secundas nuptias Christus damnat, seu voluntaria sint illa diuortia seu iusta. Alioquin enim hic esset sensus planè absurdissimus, vt iam in præcedentibus explicatum est.

1. Cor. 7.

II. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datū est.*

Caluini  
& Bezae  
stupiditas.

**C**AELIBATVS votum ac firmum propositum his verbis à Christo damnari hæretici hodie volunt. Sic in hunc locum Beza. *Docet Christus continentie donum rarum esse Spiritus S. donum: ex quo consequitur non temere modò sed etiam contra Dei voluntatem facere qui perpetuum celibatum vouent.* Hæc ille in Annotationibus in hunc locum. Calvinus quoque ad hæc verba. *Non esse omnibus liberum eligere vtrum libuerit, continentiam an coniugium, inde probat Christus, quia speciale sit continentie donū.*

Hæc

Hæc ille. Stupidi hæretici ex Dei dono libertatē eligendi quod melius est, tolli existimant, quum Dei donum hanc libertatem imprimis augeat, quia liberum arbitrium non tollit gratia sed adiuvat, non impellit sed roborat, non destruit sed firmat, vt plurimis in locis docet ipse August. gratiæ Dei prædicator maximus. Sed hoc in loco sola consequentiæ hæreticæ absurditas demonstranda est. Si quia continentia Dei donum est, temere & contra Dei voluntatem facit qui perpetuum celibatum vouet, temere quoque & contra Dei voluntatem facit omnis vir vni vxori coniugatus, omnis anima vni Deo & vni fidei sese obstringens, omne denique obseruationis mandatorum Dei aut renūciandi Diabolo firmum propositū, quale in baptismo omnes stipulati & polliciti sumus. Nam cum vna vxore castè viuere, & vnum Deum perpetuò colere, vnam fidem firmiter tota vita tenere, Diabolo & pompis eius in perpetuum renūciare, mandata à Deo iniuncta obseruare, purum Dei donum est: neque omnes capiunt verba hæc, sed quibus à Deo datum est. Cæterum quemadmodum tametsi Dei dona sunt, liberè tamen à nobis illa omnia suscipiuntur, nec remere aliquid aut contra Dei voluntatem propterea facimus, sic celibatus ac continentie propositum liberè à quouis suscipitur, nec temere aut contra Dei voluntatem facit qui suscipit. Quare Christus ipse vt continentie quoque virtutem liberè ab vnoquoque suscipi doceret, subiunxit postea. *Sunt eunuchi qui seipfos castrauerunt propter regnum Dei:* id est voluntariam continentiam susceperunt, eamque perpetuam. Hoc enim verbum *castrare* designat. Sed ad hæc Christi verba recalcitrat Calvinus, & ex libero arbitrio continentiam suscipi

Calibatus votum defenditur.

cipinegat. Quid ergo? *Simplex* (inquit) *sensus est: Quam natura apti sunt quidam ad coniugium, licet abstinereant, non tamen Deum tentare, quia Deus immunitatem illis concedit.* Placet sanè hic sensus, quia verus est. Sed contra liberam continentiam hoc nihil facit. Qui enim ad coniugiū apti abstinent tamen, tum ex Dei dono abstinent, ideòque Deum non tentant; tum liberè & ex propria sua voluntate abstinent, nec vlllo præcepto coacti, nec vlla ex gratiæ dono necessitate imposita. Et ideo sicut Christus dicit, *seipfos castrauerunt*, sibi ipsis continentiae perpetuae (hoc enim castrandi vox concludit) legem imposuerunt: non quasi libero arbitrio subiiceretur hæc castratio, vt Calvinus loquitur, aut quasi solius liberi arbitrij hoc opus esset, sed quòd ex Dei dono liberè suscipitur. Quod adeo verum est, vt plerique sanctissimi Patres, illa Christi verba, *Non omnes capiunt verbum hoc*, exponant, *Non omnes volunt capere.* Gregor. Nazanz. orat. 31. Basilus in lib. de vera virginit. vltra medium: Chrysoft. & Hieron. in hunc locum: August. Confess. lib. 6. cap. 11. Nempe quia credebant, volentibus omnibus & petentibus, non negari hoc donum: ideòque capere hoc verbum omnes posse qui capere serio cupiunt, mediàque adhibent ad hoc donum impetrandum requisita, vt docet August. de adulter. coniugijs libro 2. cap. 19. & 20.

12. *Qui seipfos castrauerunt propter regnum celorum.*

Virginitatis meritum.

**H**AEC Christi verba sic intellexit Catholica semper Ecclesia, vt voluntariae continentiae mercedem esse regnum caelorum ex hoc loco indubitatè colligeret. Ita quippe doctissimi Patres ante multa secula hæc verba

verba acceperunt, Hilarius, Hieronymus, & Chrysoftomus in hunc locum. Virginitatis quoque meritum & præmium caeleste varij Patres studiosissimè prædicarunt, integris de ea re libris editis. Basilus de vera virginitate: S. August. de sancta virginitate tom. 6. Ambrosius libris 3. de virginibus: Hieronymus vtroque libro contra Iovinianum, qui hoc nomine damnatus est, quòd virginitatè virtutem esse specialè negaret, & nihil apud Deum mereri dogmatizaret. Cuius stuporem hoc loco imitatus Calvinus, aperto & impudenti ore scribit: *Stulta est imaginatio, celibatum esse virtutè.* Eadem impudentia omnium veterum Patrum hac de re iudicium quasi Papistarum hodie nouã aliquam sententiam, more suo, reijcit. Ait enim, *Insuper exponunt multi ad promerendam eternam vitam, quasi celibatus meritorium aliquem cultum in se contineat, sicuti Papistæ fingunt statum esse Angelicum.* Hæc ille. Atqui non Papistæ hoc fingunt, sed omnes toto orbe doctissimi Patres ita tradiderunt libris ac locis citatis. Verba quoque Christi, *propter regnum caelorum* alium sensum habere non possunt quàm vt causam designent castrationis voluntariae: sicut in alijs Christi verbis: *Qui persecutionè patiuntur propter iustitiam.* & iterum: *Quum maledixerint vobis homines merentes propter me.* Vtrobique illud *propter* rationè causæ habet, vt causa persecutionis & maledictionis quæ beatos facit, sit ipsa iustitia & fides Christi. Sic regnū caelorum hoc loco causa est cur nonnulli seipfos castrant, id est, perpetuae continentiae propositū arripiant. Causa autè est quatenus propter illud cõsequendū continentia assumitur. Aliæ quidè sunt etiã continentiae voluntariae causæ, vt liberius posse Deo seruire (quã hic assignat Calvinus) & tribulatione carnis carere, vt Paulus docuit. Sed

Calvini petulca impudentia.

Papistarum nomine totã Antiquitatem perstringit Calvinus.

Matth. 5.

Sed Christus hoc loco illas omittens, voluntariæ continentia non præsens emolumentum, sicut Paulus, sed futurum præmium proponit. Ipsum sanè regnum cælorum, quod neq; qui eunuchi nascuntur, neque qui ab hominibus castrantur, eo nomine consequuntur: tamen utriusque illi hoc emolumentum quoque habent ex necessariis illa sua continentia ut liberius Deo seruiant, curisq; omnibus soluti ad pietatis officia alacrius se accingant. *Sunt autem*, ait Christus, *qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum*, id est, ut consequantur regnum cælorum, quasi tantæ virtutis amplissimam mercedem, qua cæteri eunuchi carent quantenus tales sunt: quia non id voluntate operantur, sed necessitate patiuntur. Hic est simplex & apertus verborum Christi sensus.

12. *Qui potest capere, capiat.*

**H**AEC Christi verba prorsus inuertit Caluinus: & quod Christus de cælibatu seu voluntaria castratione dixit, de coniugio exponit. Sic enim ad hæc verba ait. *Hæc clausula admonet Christum minime spernendum esse coniugij usum, nisi cæca temeritate nos in exitium præcipites dare velimus.* Vult ergo Christum his verbis hortari ad coniugium: quum luce meridiana clarius sit ex verbis proximè præcedentibus, *Qui se castrauerunt*, &c. hanc clausulam Christum intulisse, *Qui potest capere, scilicet hanc voluntariam continentiam, capiat.* Nec hic ad coniugium Christus hortatur, nec id opus erat facere, ad quod homines natura procliuēs sunt: sed vbi vinculum illud coniugij indissolubile docuisset, eaque doctrina Apostolis incommoda & dura videretur, quia libertatē repudij

Verborum  
Christi  
corruptela  
prodigiola.

pudij frenabat, ideoque à coniugio abstinendum Apostoli censerent, voluntatem illam abstinendi nec damnat nec refrenat Christus, sed Dei donum esse docet, & virtutem cælo dignam, ad quã hortatur eos qui volunt, neminem autem præcepto cogit. Suum tamen nouum & inauditum commentum aliqua ratione firmare vult Caluinus. *Nam* (inquit) *discipulis quos videbat sine iudicio uere, manum iungere oportuit.* Quasi verò discipulos ad continentiam procliuēs hoc verbo reuocare, & ad coniugium hortari Christus voluerit. Quod nihil derementius cogitari potuit. Primum quia discipuli adhuc talem propensionem non ita apertè declararant, sed ex occasione antedicta difficultatem hanc proposuerunt, duram videri coniugij conditionem, quod quidem tam propter alios quàm propter se proposuisse poterant: deinde si hanc in illis propensionem Christus aduertisset, ab ea nunquam reuocare voluisset, qui Paulum postea suo Spiritu docuit ad continentiam diligenter hortari. Rursum in verbis sequentibus adeo ab ea non reuocat, ut disertè doceat paucorum hanc esse ex singulari Dei dono eximiam virtutem; & quosdam hoc laudabiliter facere propter regnum cælorum. Postremò quomodo illos Christus ad coniugium hortaretur, quos certissimè constat ab omni postea coniugij usu abstinuisse? Hæc igitur quam adfert ratio, quam & vnicam adfert, impudentissimum eius commentum tueri non potest.

De ipsa prorsus perpetua continentia qua se castrant quidam propter regnum cælorum, dicit Christus: *Qui potest capere, capiat.* Neque sic hoc dicit quasi hæc voluntaria continentia in hominis potestate non sit. Sic enim ipse Caluinus sibi planè

1. Cor. 7.



Calvinus  
sibi con-  
trarius.

De Spir.  
& lit.  
cap. 30.  
Ioan. 1.

Iosue 24.

Marc. 9.

nè contrarius alio in loco affirmat his verbis. *Ne talem castrationem in hominis sitam esse potestate quis putet, concludit Christus: Qui potest capere, capiat.* Hæc ille Interpretur. lib. 2. cap. 8. num. 42. At verò sicut de fide docet accuratè Augustinus *illam esse in potestate hominis, sed hanc potestatem nullam esse nisi à Deo data sit,* iuxta illud D. Ioannis, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius:* sic omnino continentia perpetua sita est in potestate hominis, sed hæc potestas nulla est nisi à Deo detur: *quia nò omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Dicit ergo Christus, *Qui potest capere, capiat:* id est, qui habet à Deo hanc potestatem, qui iam ex Dei dono voluntatem & propositum continendi habet, cõtineat. Possè in Scripturis circa Dei cultum significat, habere voluntatem faciendi, sed utiq; ex Dei dono. Dixit Iosue suis Iudæis. *Non poteritis servire Domino.* In quibus verbis nò negat in eorù potestate hoc esse situm, sed de voluntate dubitat. Quare illis statim respondentibus, *Nequaquam ut loqueris ita erit, sed serviemus Domino;* concludit Iosue: *Testes vos estis quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei.* Iam posse eos agnoscit, quia voluerunt & elegerunt hoc facere. Sic Christus in Evangelio. *Si potes credere, omnia sunt possible credi.* Haud dubiè posse credere, in proprio sermone, commune est omnibus, quia naturæ est hominù, sicut ipsum credere gratiæ fidelium. Sed posse credere hoc loco significavit Christus, *Si vis credere:* quia illud demum posse facere censemur, ad quod faciendum necessaria omnia præsidia habemus, maxime autè & imprimis ipsam voluntatem faciendi. Patres igitur hoc loco expositam esse docent omnibus continentia virtutè qui eam capere volunt. Dei enim gratiam omnibus eam expetentibus & implorantibus paratam esse.

13. Discipuli

13. Discipuli autem increpabant eos.

**I**NCREPATIONEM hanc discipulorum, interpretantur veteres, quòd ex zelo proficisciebatur, quo & honori & quieti Domini sui consulere volentes, hanc parvulorù oblationem respuebant, existimantes vel ex honore tanti Magistri nò esse ad parvulorù curam se dimittere, vel hanc ab illo quasi molestiam alioqui occupatissimo remouere cupientes. Hoc exemplo facilè colligitur, perversos esse iudices qui ex carnis suæ sensu æstimant Christum. Subinde enim fit, ut ita & debito honore eum spolient, & quæ minime ei competunt, sub specie honoris ei affingant. Calvinus hoc posterius arripens, idem crimen Catholicis impingit, sed huiusmodi prolato exemplo, quod prioris criminis eum reum constituit. Sed primum in genere ludit ac dicit. *Hinc nata est immensa superstitionum congeries, que scilicet Christum mundo induxit. Quare discamus non aliter de ipso sentire quàm ipse docet, nec aliam illi induere personam quàm à Patre fuit imposita.* Hæc adhuc in genere rectè dicuntur, & ipsum Calvinum omnesque hæreticos propriè perstringunt, qui Christi doctrinam in Evangelio traditam nefariè corrumpentes (ut in vno Caluino iam frequenter ostendimus, magisque adhuc ostendemus) longè aliter de Christo sentiunt quàm Christus docuit, aliamq; personam ei induunt personam quàm ei à Patre imposita fuit. Christo à Patre hæc persona imposita fuit, idque imprimis & maxime, *ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, scilicet bonorum operum: ut sanguis eius emundaret conscientias nostras ab operibus mortuis, ut essemus*

Christus  
hæretico-  
rum ficti-  
tius.

Tit. 2.  
1. Ioan. 1.

Ephes. 2.

Rom. 6.

Heb. 12.

essemus *nova creatura*, seu eius *factura*, *creati in illo*, seu per illum, *in operibus bonis quae preparavit Deus ut ambulemus in illis*: Denique, *ut in novitate vitae ambulantes non serviamus ultra peccato, sed liberati à peccato servi sumus iustitiae, habentes gratiam per quam serviamus placentes Deo*. Quae omnia docent Christum esse iustificatorem nostrum seu iustitiam & sanctificationem per Spiritum gratiae suae, cuius beneficio non servimus nunc peccato, sed ambulamus in bonis operibus placentes Deo. Calvinus autem cum alijs hodie haereticis omnibus aliam personam Christo affingunt, ut sit iustificator noster, seu iustitia & sanctificatio nostra, per imputationem iustitiae suae, manente in nobis immunditia perpetua peccatorum, ac servitute tanta, ut legem mandatorum observare, aut in operibus bonis, quae Deo placeant, ambulare non possimus, ideoque sola fide tum iustificari tum salvari debeamus. Sic homines isti impij non superstitionum sed impietatum immensa congerie fictitiu[m] Christum mundo induxerunt.

Nunc in particulari ut Calvinus nos accuset, dissimulandum non est. *Videmus* (inquit) *quid in Patu contigerit. Magnum se Christo honorem deferre putarunt si coram panis frustulo se prosternerent. Foetida coram Deo abominatio*. Hæc os illud impurum & foetidum hoc loco euomuit. Impurus & fetidus haereticus, Deoque & Angelis abominabilis, panis frustulū vocat, de quo Christus ipse dixit: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur*. Et rursum: *Panis quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita*. De quo Paulus dixit: *Qui hunc panem manducat indignè, iudicium sibi manducat, non iudicans corpus Domini*. An nō & impius Calvinus hunc panem ore impuro tractas indignissimè iudiciu[m] sibi tractavit, non iudican-

cans

*cans corpus Domini, sed frustulum panis per summum contemptu[m] illud appellitans? Abominatio desolationis, & foetida coram Deo abominatio est hæc impurissima Calvinus doctrina, qua iuge tollens sacrificium, frustulum panis substituit. Hic videlicet detracta larua suam personam Calvinus demonstrat. Alibi sacram Cenam vocat, sacrum epulum, & communionem sacram, in qua corpus Christi verè nobis exhibetur non secus ac si Christus ipse praesens aspectui nostro obijceretur, ac manibus attreretur. Hæc ille in Institutione sua. Aut ergo ibi impostor, aut hic blasphemus est. Aut ibi contra animam suam mentitus est, aut hic Christum ita verè exhibitum ac si praesens aspectui nostro obijceretur, pro frustulo panis habet. Nisi fortè etiam coram Christo praesente, & aspectui nostro sese obijciente prosterne, foetidam coram Deo abominationem, Calvinus iudicet. Cæterum de legitima venerabilis huius Sacramenti adoratione, contra foetidam Calvinus & abominandam blasphemiam, latè disputavimus in Prompt. Catholico. Sicuti etiam quomodo Christo Mediatori Sanctorum invocatio nihil repugnet (quod alterum hoc loco Calvinus exemplum est, & obsoleta accusatio) eodem in opere accuratè explicuimus, in Dominica 7. post Pentec. ad illa verba, *In vestimentis ovium*, &c. vestimento 21. & in die SS. Philippi & Iacobi, ad illa verba, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*.*

17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Quæ hæc Christi doctrina mandatorum Dei observationem ad vitam æternam necessariam esse manifestè demonstrat, ut & in Prompt. Dom. 12. Cath. latius ostensum est, Calvinus totam hanc post Pentec. histo-

Calvini larua hypocritica detrahitur.

Institut. lib. 4. cap. 17. nu. 34

In die venerab. Sacrament.

Mandatorum ob-  
servatio  
necessaria.

Com-  
mentum  
Caluini  
infultum,  
vt Scrip.  
Euang-  
elicam  
inuertat.

Mar. 10.

historiam totamque doctrinam nefariè corrup-  
pit, quod ad Euangelicæ veritatis puritatem re-  
tinendam necessariò expendendum est. Primum  
totum statum quæstionis ab hoc adolescente pro-  
positæ, & causam quærendi penitus inuertit. *Ve-  
nit* (inquit) *ad Christum non infidiosè, vt Scribis mos erat,  
sed discendi animo. Itaque tam verbis quam genust flexione  
Christum se vt fidum Doctorem reuereri testatur. Vera  
hæc sunt, & ad statum quæstionis Christi que re-  
sponcionem intelligendam bene obseruanda. Sed  
rursus (ait Caluinus) obstabat cæca operum confidentia,  
ne proficeret sub Christo, cui se alioqui docilem præbere op-  
tabat.* Hoc totum commentitium & falsum est.  
Christus enim contra hoc vitium nihil hoc loco  
disputat, nec hoc in adolescente isto reprehendit,  
sed prorsus contrà, bonorum operum studiū im-  
primis commendat, & adolescentem qui eorum se  
studiosum fuisse dixerat, hoc ipso nomine dili-  
git, non vt cæca operum confidentia laboratè  
redarguit. Dicente enim adolescente, *Omnia hæc  
seruani à luxuriantia mea, Iesus intuitus eum, dilexit eum, &  
ait illi, Adhuc vnum tibi deest: vt est apud Marcum.*  
Si cæca operum confidentia laborasset, nec dile-  
xisset eum Christus, nec dixisset vnum illi deesse,  
sed totum illi deesse, qui cæca illa præsumptione  
laborasset: denique contra illam disputasset.  
Nunc autem quia vitium quo hic adolescens la-  
borabat, non cæca operum confidentia, sed amor  
inordinatus diuitiarū fuit, propterea statim Chri-  
stus ad contemptum diuitiarū, & ad eas abijcien-  
das adolescentem hortatur. Cuius doctrinæ quū  
capax non esset, sed *tristis abiret*, disputat Christus  
*contra confidentes in diuitijs suis*, & de difficultate salu-  
tatis in homine diuite, propter amorem earum  
inordinatum, De cæca operum confidentia nihil  
disputat.

disputat. Prorsus ergo commentitium & falsum  
hoc est, quod pro fundamento futuræ expositio-  
nis seu potius deprauationis suæ Caluinus po-  
suit. Quo nunc euerfo, reliqua videamus.

*Nota*nda est (inquit) *quæstionis forma, quæ simpliciter  
rogat quo modo & qua via perueniet ad vitam, sed quid  
boni faciendo eam acquirat. Merita ipsius somniat, quibus  
vita æterna reddatur, quasi debita compensatio. Quare ap-  
positè Christus ad legis obseruationem eam amandat: quam  
certum est esse viam vitæ, vt mox plenius disseram. Nam  
illa verba, Serua mandata, perperam interpretati sunt qui-  
dam ex veteribus (ad vnum omnes debuit dicere)  
quos Papiſtæ secuti sunt, ac si doceret Christus per legis ob-  
seruationem posse nos vitam æternam promereri. Atqui non  
respondit Christus quid possint homines, sed ad propositam  
quæstionem respondit, quænam sit operum iustitia, nempe  
quam lex definit. Hæc ille. Rursum quæstionem pro-  
positam inuertit, vt respondentis Christi verba  
penitus peruertat. Negit adolescentem simplici-  
ter rogare qua via perueniet ad vitam. Atqui hoc  
illum simpliciter rogasse, Christi responsio sim-  
plex manifestissimè docet. Ad hoc enim quod de  
perueniendo ad vitam æternam rogauerat sim-  
pliciter, responder simpliciter: *Si vis ad vitam in-  
gredi, serua mandata.* Si vis peruenire ad vitam æternam,  
de qua me interrogas, serua mandata. Ad il-  
lud autem adolescentis verbum, *Magister bone, quid  
boni faciendo*, responder hic apud Matthæum: *Quid  
me interrogas de bono? vnus est bonus, Deus.* Docet  
adolescentem Christus, in eo sensu quo ille quæ-  
stionem proposuerat; nec debuisse illum dicere,  
*Magister bone*, quasi Christus vt purus homo, qua-  
lem illum putabat adolescens, originaliter & ab-  
solutè bonus esset, nec debuisse adijcere, *Quid bo-  
ni faciendo*, interrogando illum de bono, quasi*

Caluini  
alia im-  
postura.

Matth. 25

quæ homines facerent, ex se facerēt, aut absolute & perfecte bona essent. Originaliter enim ex seipso absolute & perfecte vnus est bonus, non nisi Deus ipse. Homines tamen ex participatione summi boni bonos esse Christus ipse alibi docet dicens: *Euge serue bone & fidelis*. Sed adolescentem qui hoc discrimen necdum didicerat, docere voluit Christus absolute neminem bonum vocandum, nec opera nostra absolute bona esse, sed solum Deum eiusque opera, quæ perfecta sunt omnia. Quare in his verbis, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, non responder Christus ad illa verba, *Quid boni faciam*, sed ad illa verba, *Quid faciam ut habeam vitam æternam?* Nec hîc est vlla quæstio de iustitia operum, vt fingit Calvinus; sed quæstio est de vita æterna consequenda. In qua quæstione quia obiter verbû, *bonum*, bis ingeminauerat adolescentens, respõdens prius Christus ad id quod ipsû interrogauerat *de bono*, postea ad principalẽ quæstionem respondit de vita æterna consequenda, *Serua mandata*. Porro quia adolescentens nullam hîc planè operum aut legalem iustitiam somniabat, sed in genere rogauerat, *Quid boni faciendo*; respondente Christo, *Serua mandata*, adhuc interrogat, *Quæ mandata?* nesciens videlicet an Christus, vt nouus Magister ac Propheta, noua aliqua mandata adferret quæ seruari oporteret, paratû se ostendens etiam ad illa. Cui Christus primum vetera ex lege mandata proponit. Sed postea Euangelicam perfectionem subiungit, de qua mox suo loco plura. Statum igitur quæstionis penitus inuertit Calvinus, vt Christi responsionem penitus corrumpat, & contra necessariam mandatorum Dei obseruationem homo impius pugnet. Ait *Christum non respexisse quid homines possint*, quum diceret,

Quæstio-  
nis statû  
inuertit  
Calui-  
nus.

ceret, *Serua mandata*. Et paulo post. *Fateor, quia mercedem vitæ æternæ Deus legis suæ obseruatoribus promisit, nisi obstaret carnis nostræ infirmitas, hanc viam tenendam esse: sed nostro vitio fieri Scriptura docet, vt necesse sit nobis donari quod meritis non consequimur. Si quis obijciat, frustra nobis proponi iustitiam in lege, cuius nemo vnquam fieri compos poterit; respondeo, quia rudimentum est quo perducimur ad precariam iustitiam, minime superuacuum esse. Hæc ille. Tota hæc eius disputatio gratiam noui Testamenti subuertit, facitq; vt adhuc firmus sub lege, non sub gratia. Lex enim rudimētum est ad quærendam gratiam filijs veteris testamenti, & adhuc seruiliiter accum timore audientibus verba legis, qualem se Calvinus hîc prodit. Adeo enim timet ac terretur, vt affirmer eam à nemine seruari posse. Sed lex & mādata legis filijs gratiæ, quibus datum est, non seruire amplius peccato, sed seruire iustitiæ, non sunt amplius rudimentum aut pædagogus, sed sunt mandata ad vitam, & recta ad vitam æternam via, vt Christus hîc docet. Carnis nostræ infirmitas non obstat quin hæc via tenenda sit, vt per legis obseruationem vitæ æternæ mercedem consequamur: quia hanc infirmitatẽ gratia Christi sanauit & superauit. *Peccatum enim nobis non dominabitur, quia sumus sub gratia, non sub lege. Non regnabit peccatum in mortali corpore nostro vt obediamus concupiscentijs eius, quia Spiritus Christi habitat in nobis, & lex Spiritus vitæ liberauit nos à lege peccati & mortis.* Quomodo ergo impius Calvinus *carnis nostræ infirmitatem obstat* ait, ne hæc viâ teneatur quam hîc Christus præscripsit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, quum ad hoc venerit Christus, vt hanc infirmitatem tolleret, *mundans sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, quæ in mandatorum obseruatione vel maxime consistunt? Quod ergo*

Calvinus  
vet. testa-  
menti  
filius.

Rom. 6.

cōcludit Calvinus *legale hoc esse Christi responsū, ut iuuenis proposta legis obseruatione quæ est impossibilis, infirmitatis suæ comiectus ad fidei subsidium se conferret, & insulsum & impium valde est. Impium est, dare Christo partes Moylis, vt falsum iam sit, Lex per Moysen data, gratia per Christum facta est: & cōuerso dicatur, Lex per Christum data est, gratia facta non est. Insulsum est ad subsidium fidei ablegatum hunc iuuenem somniare. Nec fidei vlla hic à Christo mentio, nec ad eam illū ablegare opus erat, qui iā Christo, quatenus tunc opus fuit, crediderat, illū pro veritatis magistro agnoscens, & ab eo, quæ ad vitam æternā via esset, discere paratus. Sic vndique Caluini ineptia & impietas palpanda se præbent.*

21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.*

Perfectio  
de qua  
Christus  
loquitur,  
quæ tan-  
dem.

Luc. 16.

**N**ON parua quæstio est, de qua perfectione hic Christus loquatur, an ea quæ ad salutem necessaria est, Euangelica videlicet perfectio, *vt hoc mundo vtamur tanquam non vtentes, & diuitias tenentes, earum tamen affectū non teneamus; an perfectio aliqua maior, non quidem ad salutem necessaria, sed quæ maiorem mercedē & ibi saurū copiosum in celo accipiat. Quæstionis autē huius ambiguitas oritur ex ambiguo sensu illorum verborum Christi, Vnum adhuc tibi deest. Nam vel deerat illi aliquid ad salutē necessariū, vel aliqua perfectio necessaria. Quid autē illi deerat, ambiguum est; quia quo affectu dixerat, *Hæc omnia à iuuentute mea seruauī, quid adhuc tibi deest?* ambiguum quoque sensum habet. Nam aut verè omnia seruauerat sicut dixit, & nihil ad salutem neces-*

necessariū illi deerat, quia Christus iam dixerat, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata;* aut non verè seruauerat. ideoq; deerat illi hæc perfectio quam Christus hic describit, tanquam res illi ad salutem necessaria. Quòd verè, sicut dixit, madata seruauerat, ex eo probabile fit, quòd Christus his auditis, *Intuens in eum, dilexit eum.* Neque enim dilexisset mentientem, vel ex arrogantia aliter præfumentem quàm par erat. Huc accedit quòd non animo tentandi, sed discendi studio accessit. Sed & si mandata non seruasset, non dixisset illi Christus, *Adhuc vnum tibi deest,* sed potius, *Multa vel omnia tibi desunt adhuc facienda.* Magis tamen adhuc probabile est quòd verè mandata nō seruauerat, quia morbo auaritiæ adhuc laborabat, sicut subsequens eius tristitia audito Christi responsō manifestum facit; vnde August. hunc locū tractans Epist. 89. ait. *Puto quòd se arrogantius quàm verius seruasse respon-* Homil. in  
*derit.* Et D. Basilius eum planè auaritiæ morbo diuites  
insigniter laborasse censet. Christus nihilominus auaros.  
*intuens in eum, dilexit eum,* tanquam adhuc proficien-  
di avidum, & maioris perfectionis cupidum, nec  
planè mentitum, quia sic seruauerat sicut vulgus  
Iudæorum seruanda putauerat, nemini quidem  
nocendo, non tamen proximis liberaliter  
subueniendo, aut amorē diuitiarum deponendo,  
quem spirituales Iudæi deponere sciebant, iuxta  
illud vnus eorum Prophetæ, *Diuitiæ si affluant, non* Psal. 61.  
*libe cor apponere.* Christus igitur respondens ei, *Vnum*  
*adhuc tibi deest,* aliquid ei ad salutem necessarium  
desse docet. Nempe contemptum diuitiarum, &  
vt fiduciam ac confidentiam suam in eis deponeret.  
Ad quem contemptum vt eum inducat, subiungit,  
non vt simplex præceptum in ipsa lege contentum,  
vt Calvinus hoc loco imaginatur,

ne nouum aliquid Christus induxisse videretur, sed vt medium quoddam aptissimum contemnendi diuitias & omnem auaritiam abijciendi. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia que habes, & da pauperibus, &c.* Proponit igitur hoc Christus huic adolescenti, non tanquam aliquid simpliciter omnibus necessarium ad salutem, sed vt illi auaritia laboranti & propter diuitias multas magna earum cupiditate flagranti, tanquam remedium morbo suo valde opportunum. Qui enim diuitias sine earum nimio amore tenere non potest, alienando illas, benèque collocando, ab infano hoc amore facillè liberabitur. Dicit igitur Christus, *Si vis perfectus esse, id est, si cupis adhuc omnia quæ tibi desunt habere, abijce diuitias tuas, quas nimio affectu complecteris, & veni sequere me, meæ paupertati atque humilitati te conformas.* Sed ille amore diuitiarum victus, tristis accessit, moxque Christus contra diuitum hominum statum periculosum (quia solent diuites amore diuitiarum vinci) in sequentibus disputat.

In his igitur Christi verbis duo extrema sunt cauenda. Vnum est, ne præceptum generale existimetur, vt nemini liceat diuitem esse, qui fuit Pelagianorum error, quem S. August. conuellit epist. 89. Alterum est, negare hanc paupertatem voluntariam medium & instrumentum esse maioris perfectionis, qui fuit Vigilantij error, & hodie Caluini omniumque hæreticorum est. Dicit hoc loco Caluinus. *Retinere quod in manum nostram posuit Deus, si modò parcè & frugaliter nos & familiam alienas partem aliquam pauperibus erogemus, maioris virtutis est quam omnia dilapidare.* Dicit dilapidare, pro eo quod dicere debebat, *vendere & dare pauperibus.* De eo enim est questio, & illud Christus perfectione

vocat.

Voluntaria paupertas defenditur.

Techna Caluiana.

vocat. Fuit autem eadem prorsus Vigilantij sententia, quam ex his Christi verbis D. Hierony. rectè refutat. Quamuis enim qui simpliciter ad extinguendam auaritiam diuitias relinquit, & pauperibus distribuit, rem facit saluti suæ necessariam, & quod illi adhuc ad salutem deest, tamen ille ipse Christum præterea sequendo, id est, perpetuæ paupertatis & humilitatis seu obedientiæ statum amplectendo, perfectionis statum aggreditur, & rem consilij facit, non præcepti; tum multo magis qui nulla tali necessitate constricti aut compulsi ex puro Dei amore diuitijs carere volunt, quibus optimè in seculo vti poterant, excellentiorem perfectionem, vt August. loco citato loquitur, suscipiunt. Et sic hæc verba perfectionis statum docent, & consilium Euangelicum proponunt.

Garrit hoc loco Caluinus nimis ridiculos esse *Monachos, qui huius loci prætextu statum perfectionis sibi arrogant.* Sed ille argumentis maximè ridiculis hoc probat. *Primum quia non omnibus sine delectu hoc à Christo mandatur.* Hoc quidem verum est, quia nullum est hic generale Christi mandatum. Sed quid hoc contra Monachorum institutum, qui non ex Christi aliquo generali mandato, sed vel ex remedio morbi proposito, vel ex consilio Christi & maioris perfectionis studio id faciunt, quod Christus hic docet. Non enim iubet Christus omnia vendere & dare pauperibus: sed ait, *Si vis perfectus esse, si habes studium perfectionis, aut vis salutis tuæ perfectam & plenam rationem habere, hæc via est ad illam consequendam.* Aliud argumentum non adfert Caluinus, sed meris conuictijs debacchatur. *Aut Monachos pauperibus erogare iussos que iuste possidebant, suo iam non contentos aliena rapere.* Vocat

Monasticus status defenditur.

Techna  
Calui-  
niana.

impostor impudens *aliena rapere*, quod est, ex pi-  
rum eleemolynis victum & vestitum accipere.  
Nec vider cæcus magister quid Christus in se-  
quentibus huiusmodi promiserit, qui suos aut sua  
propter Christum reliquerunt, nempe *centuplum in  
hoc vita*: id est, multam & variam consolationem,  
vt nihil illis desit: nouos patres, matres, fratres,  
sorores, vt in textu explicatum est.

32. *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum  
autem omnia possibilia sunt.*

Obserua-  
tio, man-  
datorum  
quo sensu  
possibilia.

**H**OC Christi responso (ait in hunc locū Cal-  
uinus) vulgare illud axioma, quod ex Hieronymo  
hauserunt Papistæ, refellitur: *Quisquis legem dixerit obser-  
uatu impossibilem, anathema sit.* Clare enim pronuntiat  
Christus possibile non esse hominibus viam salutis tenere, nisi  
quatenus illis gratia Dei succurrat. Putida calumnia &  
cauillatio est cauillatore Caluino digna, vt Con-  
cilij Tridentini grauissimum decretum futili hac  
annotatione odiosum & infame reddat. Pelagia-  
norum sententia erat, *posse hominem esse sine peccato si  
velit*, & viuere absque peccato, totamque legem  
seruare, solius esse voluntatis humanæ. Hanc im-  
pianam planèque ethnicam sententiam ex humanæ  
Philosophiæ lacunis depromptam studiose refel-  
lit S. Hieronymus totis tribus libris contra Pela-  
gianos. In quorum tertio ita scribit. *Recordare quid  
& tu dixeris, & ego loquar. Posuisti hominem sine  
peccato esse si velit. Ego impossibile hoc in homine esse respon-  
deo: non quia statim à baptisinate homo peccato non carcat;  
sed illud tempus quando sine peccato est, nequaquam possibi-  
litate humane, sed Dei gratie deputatur. Tolle igitur posse,  
& ego esse cōcedā. Quomodo enim potest qui per se nō potest?  
Et paulo post, inferente Pelagiano Critobulo,*  
*Frustra*

*Frustra ergo dantur præcepta, si ea implere non possumus,*  
respondet Atticus Catholicus: *Deus possibilia man-  
dauit: hoc nulli dubium est. Sed quia homines possibilia non  
faciunt, idcirco omnis mundus subditus est Deo, & indiget* Rom. 9.  
*miseriordia eius: id est, gratia Dei, de qua ibi Paulus  
disputat. Rursum docet possibilia esse mandata;  
non hominibus vt per se ea possint implere, sed  
Deo cuius gratia & misericordia homo indiget.  
Præterea in epistol. ad Ctesiphontem. Possibilia  
(inquit) mandata dedit Deus. Et quis hoc negat? Sed quo-  
modo hæc intelligenda sit sententia, vas electionis apertissi-  
mè docet. Ait enim: Quod impossibile erat legi, in quo in-  
firmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in simili-  
tudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in  
carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secun-  
dum carnem, sed secundū spiritum ambulemus. Vbi per  
Christi gratiam iustificationem legis impleri,  
quod per doctrinam legis impleri non potuit,  
Apostolus docuit. Hieronymus igitur senten-  
tiam illam, *impossibilia esse mandata*, damnat qui-  
dem, quia per Dei gratiam seruantur mādata; sed  
non ita damnat, vt absque Dei gratia possibilia  
esse doceat, quod ille vnus doctissimus Pater  
prolixissimè in Pelagio damnauit & refutauit.  
Eadem hodie est Catholicorum sententia, quæ in  
Concilio Tridentino clarissimè his verbis ex-  
pressa est. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iu-  
stificato & sub gratia constituto, esse ad obseruandum im-  
possibilia, anathema sit.* S. quoque Augustinus, quem  
ad verbū hac in parte Patres Tridentini sequuti  
sunt, eodem modo Pelagium refutauit, dicente in,  
*possibilia esse homini mandata si velit. De ipsa (inquit)  
possibilitate non contendo, eam sanata & adiuta hominis  
voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis pro-  
ueniat, dum charitas Dei quantum plenissimè natura nostra  
sana**

Seff. 6.  
can. 18.  
De nat. &  
gratia,  
cap. 42.

Ibidem  
Cap. 43.

*fama atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Et paulo post. Deus igitur impossibilia non iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Iam videamus unde possit, & unde non possit. Ille dicit: Voluntate non est quod natura potest. Ego dico: Voluntate quidem non est homo iustus si natura potest: sed medicina (gratiæ) potuit, quod vitio (corruptæ naturæ) non potest. Et rursum in eodē opere. Rectè quidem disputat Pelagius, hoc ipso eos confiteri non esse impossibile sine peccato esse, quia hoc vel multi vel omnes volūt: Sed hoc unde sit possibile fateatur, & pax est. Ipsa est enim gratia Dei per Christū Iesum Dominū nostrū. qua omnino iste nos orantes adiuvare ut nō peccemus, nunquam dicere voluit. Hæc ille. Christi ergo responsū hoc loco, impossibile esse apud homines, diuitem confidentem in diuitijs suis saluari, Catholicorum hodie sententiam de possibilitate mandatorum Dei à D. Hieronymo & alijs Patribus acceptam, imò ex apertissimis Scripturis hauistam, nullo modo refellit, sed in sequentibus cōfirmat, dicens, omnia esse Deo possibilia: ideòq; etiam ipsam mandatorum Dei obseruationem etiā possibilem: accedente videlicet & opitalante Dei gratia. Cæterum posterior hæc pars responsi Christi, Caluini demeritiam manifestè refellit, qua perpetuò asserit Dei mandata esse obseruata impossibilia. Vnū nempe extremum errorem tenuit Pelagius, alterum extremum tenuit Caluinus. Pelagius omnia esse possibilia adeòque facilia Dei mandata asseruit, si homo velit, id est, sine necessario Dei gratiæ adiutorio. Caluinus à contrario latere stans, affirmat omnia Dei mandata esse impossibilia etiam gratia Christi donatis, quia iuxta Caluinum hæc Christi gratia, non est gratia adiuuans ad mandatorum executionem, sed est gratia imputans nobis*

Caluinus  
& Pelagius in  
duobus  
extremis.

bis Christi iustitiam. Voluit ergo hoc loco luculento mendacio Catholicos traducere. Sed ista nunc explicatio dementissimam Caluini sententiam aperuit. Quam alijs in locis, quum Paulum explicamus, vberius & latius aperiemus.

## IN MATTHÆI CAP. 20.

16. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.

**Q**VVM huius parabolæ scopum & intentum non aliud velit esse Caluinus, quàm vt doceat Christum causam non esse cur gloriantur vel alijs insultent, qui tempore sunt priores: quia Dominus quories ita placuerit, vocare poterit quos visus est ad tempus negligere, eosque vel æquare vel præferre prioribus illis: qui sanè sensus (parabola ipsa in se considerata) probabilis valde est, & à Patribus traditus, Chrysostomo imprimis, sed huic sensui conclusio parabolæ plurimum repugnet, & maxime quod pro conclusionis causa Christus infert dicens, *Multi enim vocati, pauci vero electi*, vbi manifestè ostendit ideo hanc parabolam propositam fuisse, vt doceret ex Dei beneplacito sic multos vocari vt pauci eligantur, idque ita vt inter illos, qui videbatur primi & electi, fiant nouissimi ac reiecti, & contra qui videbantur nouissimi & penitus reiecti (sicuti gentes toto orbe dispersæ, & discipuli qui Christum sequebantur quos Scribæ & Pharisei pro abiectissimis habebat) fiat primi, & inter electos singulariter deputati: audax hoc loco Caluinus non contentus hunc sensum penitus reijcere, vnico vsus argumento (vt mox videbitur) tentat



Calvinus tentat etiam hanc totam sententiam, *Multi enim* textum *vocati, pauci electi*, è textu eradere. Ait enim. *Minimè* Enangeli- *quadrat quæ à quibusdam inseritur sententia, Multi vocati,* cum au- *pauci electi.* Ait hanc sententiam à quibusdam esse dacit hinc *inferam, quum in omnibus planè exemplaribus* expungit, *Latinis, Græcis, Syriaco & Hebræo, inueniatur:* nec de ea vllus hætenus vel antiquus vel recens, ne quidem Beza ipse hoc loco dubitauerit. Hæc est singularis & arrogantisima Caluini audacia, vt sententiam suo sensui repugnantem, è textu extrudere homo importunus, sui que nimium amans, audeat. Sensum autem illum à nobis memoratū, quem ista conclusio demonstrat, *Sic erunt nouissimi primi, &c.* cum verbis eisdem in fine præcedentis capituli, quibus hæc parabola ita subiungitur vt eorum verborum causam & explicationem contineat, (ait enim Christus, *Simile est vniuersum regnum celorum, &c.*) & maximè cum eisdem iterum verbis apud Luc. cap. 13. vbi de reiectione Iudeorum & vocatione Gentium eadem manifestissimè pronuntiantur, hoc vnico argumento refutat Calvinus, quod *filij Dei Iudeos murmurantes in mercede æquari, absurdum foret.* Cæterum aduertere debet Calvinus, quod ipsemet aduertendum hoc loco docuit. *Si quis* (inquit) *exactè singulas huius parabole partes discernere velit, inepta erit eius curiositas.* Hæc ergo pars de æquali mercede à primo & nouissimè vocatis accepta, soli parabole conuenit; in qua Christus hominis patris familias benignitatem proponere voluit; rei autè per parabola significatæ non conuenit; nec vt conueniat necesse est, magis quàm alia particula, quas conuenire non posse manifestum est. Solummodo scopus & intentum Christi in hac parabola spectanda fuerunt; quæ qualia erant, ex verbis parabole

IN MATTHÆI CAP. 20. 223  
 rabolæ præcedentibus ac subsequenteribus, & apud D. Lucam iterum positis, ipsaque Christi conclusione, optimè & certissimè demonstratur.

25. *Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos.*  
 26. *Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, fit vester minister.*

**T**OTUM hoc loco Christi institutum atque doctrinam inuertit Calvinus, vt omnem in Ecclesia Christi prælaturam subuertat, seque & suos ab omni obedientiæ vinculo ac necessitate eximat. *Ostendit Christus* (inquit Calvinus) *primatum, qui certaminis inter discipulos causa erat, in regno suo nullum esse.* Et paulo post. *Ecclesiæ pastoribus nihil plus Christus detulit, quàm vt ministri sint, à dominio autem profus abstineant. Quare notandum est, magis de re ipsa, quàm de affectu haberi sermonem.* Hæc ille. Cæterum euidenter patebit Christum de solo ambitionis affectu, non de re ipsa prælaturæ aut primatus in se, hoc loco disputare. Christus enim duobus hinc exemplis vtitur, vt hanc discipulorum contentionem de primatu compefcatur. Vnum proponit Regum & Principum huius mundi, quod fugere debent: Alterum proponit de seipso, quod amplecti debent. Neutrum exemplum primatum tollit, sed vtrumque exemplum factum & ambitionem in primatu condemnat. Separat Christus Apostolos à Regibus, non quia nullum illi primatum exercere debeant, sed quia fastuose dominari non debent, sicut Reges terræ; quia pro suo libito aut commodo præesse non debent, sicut Reges ter-

Prælatorem in Ecclesia iusta auctoritas.

Apostolos à Regibus quomodo Christus se cernat.

re præesse solent. Verum quidem est, *Regibus quoque non licere sese efferre inaniter; nec iuste ac legitime Reges dominari nisi suorum commodis seruiant*, (quæ duo hic notat Calvinus) sed non in hoc Apostolos à Regibus se iungit Christus, vt fingit Calvinus, quasi Apostolis nulla planè prælatura, nullus primatus conueniret, nec illam moderationè quæ Regibus adesse debet, docet hoc loco Christus, quasi in Apostolis quomodocunque moderatum ac temperatum primatum inhiberet; sed contrà, ambitionem & vanitatem, quæ Regibus inesse solet, proponit ob oculos Christus, vt illam penitus Apostoli fugiant. Principes gentium (inquit) dominantur eorū, *κατακλιθεὶς*, id est, dominium exercent contra suos, hoc est enim *κατακλιθεὶς*, quū simpliciter & legitime dominari sit, *κλειθεὶς*. Notauit huius verbi vim hoc loco Beza, & vertit, *Dominari in eas*. Hoc enim (inquit) vocabulo *κατακλιθεὶς*, & eo quod proximè sequitur, *κατεξουσιασθεὶς*, non queris dominatio significatur, sed cum imperiosa quadam acerbitate coniuncta, quæ prohibet Paulus ad Eph. 6. ver. 9. vbi monet dominos remittere minas, seu non minaciter dominari: sic accipitur verbum *κατακλιθεὶς*. Act. 19. vbi dicitur de maligno spiritu, *Dominatus amborum inuadit contra eos: κατακλιθεὶς αὐτῶν*. Sic 1. Pet. 5. accipitur, *Non dominantes in clericos, μηδ' ὡς κατακλιθεὶς οὐτε τῶν κληρῶν*. Idco etiam interpretatus sum, *κατεξουσιασθεὶς αὐτῶν*. Licentia vtuntur aduersus eas: quam alioquin soleamus *ἐξουσίαν* incyprerari auctoritatem. Videtur enim licentia plerumque poni in vitio. Nam alioquin fideles verbū *Dei ministri auctoritate funguntur* minime omnium contemnenda, aram paucis explicat Paulus 2. Cor. 10. Haec hactenus Beza magistri sui Caluini ignorantiam ex proprietate verborum Christi luculenter patefaciens. Ex his quippe liquidò constat, non de re

ipsa

ipsa, & legitima auctoritate Principum huius mundi, Christū disputare, vt Calvinus affirmat, sed de prauo affectu & imperiosa dominatione qua vti solent, quod Calvinus negat. Hunc prauum & secularem typhum remouet à suis Apostolis Christus, non omnem penitus primatum & auctoritatem legitimam, quam in loco Pauli à Beza annotato, alijsque in locis iam dudum annotauimus. Docet Christus, qui inter discipulos eius maior esse voluerit, id est, *qui episcopatum desiderat*, vt Paulus loquitur (velle enim hoc loco nō prauam cupiditatem, sed laudabile inilitutū animique propositum significat, ideòque verbum *δέλω* ponitur hoc loco, nō *βούλωμαι*, quod impetu quodam ferri significat, vt 1. Timoth. 6. *Qui uolunt diuites fieri, ἐβλαμμενοι πλοντύνει*) *erit vester minister*: id est, vestrīs cōmodis seruiet, nō suis, & vestrum honorem quaeret, nō suum. Et hunc perspicuum literæ sensum, quem penitus inuertit Calvinus, sequentia Christi verba, & alterum de seipso exemplū luculenter confirmant. Ait enim: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis*: id est, Sicut in me videtis quòd non ideo in mūdum veni vt mihi à pluribus ministraretur, vt essem magister ac dominus, tamen si reuera à plurimis mihi ministratum fuit tam viris quàm mulieribus, & inter vos fui tanquam Magister & Dominus, sed potissimum veni propter bonum aliorum, vt illis verbum vitæ administrarem, & animam meam pro salute omnium ponerem; sic vos ad Ecclesiasticas prælaturas vocati & missi conscendere debetis, non honoris & emolumētī vestri causa, tamen si vtrūque vobis debeat (Qui enim bene præsumt, duplici honore digni sunt) sed vt tanquam boni Pastores alio-

P rum

Beza Caluini refutat.

rum curam habeatis, & quidē parati animas vestrasponere pro ouibus vestris, vt Ioan. 10. plenius Christus docet. Hic est totius doctrinæ Christi hoc loco sensus germanus & proprius, quem impius Calvinus voluit inuertere, vt legitimam in Ecclesiæ Prælatis autoritatē, ad quam adhuc Geneuæ pertingere non potuit, penitus conuelleret. Nam & ideo postea Beza eandem autoritatem hoc loco tuetur, quia iam Geneuæ dominari Calvinus cœpit, ipsēque Beza ad dominium illud aspirabat, quod & post Calvinum consequutus est.

28. *Et dare animam suam redemptionem pro multis.*

**C**ALVINUS hoc loco temperare sibi nō potuit, quin documēto huic saluberrimo aliquid veneni inspergeret. Sicut enim scribit. *Ap̄tē s̄itēq̄ vis & fructus mortis Christi exprimitur, dum vitam suam pretium nostræ redemptionis esse affirmat. Unde sequitur, nobis gratuitā esse reconciliationem cum Deo: cuius non alibi quā in morte Christi pretium reperitur. Itaque hac vna voce auertitur quidquid de putidis suis satisfactionibus garrunt Papistæ.* Hæc ille putido admodum argumento vsus, & ridiculē garriens, nec Papistas sed totam Antiquitatem scurriliter perstringens. Putidum & insulsum argumentum est. Vna Christi mors precium est reconciliationis nostræ gratuitæ cum Deo. Ergo omnes satisfactiones, quas Catholici docent, putidæ sunt, & hac vna voce refelluntur. Satisfactiones enim quas post totam Antiquitatem Catholici hodie docent, nec reconciliationis nostræ cum Deo pretium aliquod esse docentur, nec eiusdē causæ omnino vllæ ponuntur. Satisfactio enim eorum est qui iam Deo reconciliati per Christum sunt,

HOM

non autem vt Deo reconciliemur adhibetur. Homo impius Deo reconciliatur & iustificatur, seu ex impio iustus fit, per gratuitam remissionem peccatorū precio sanguinis Christi illi cōcessā. Vt hæc peccatorum remissio obtineatur, alia sanē ex parte hominis iustificandi requiruntur, fides imprimis, amor Dei, spes veniæ, dolor de præteritis, emendationis propositū, & huiusmodi: quæ omnia nec pretium nec causa, sed dispositio tantum necessaria sunt ad remissionem peccatorum gratuitam consequendam. At verō satisfactio quæ relapsis propria est, homini iam reconciliato imponitur, non vt peccatorum remissionem consequatur, quam iam habet, eamque gratuitā beneficentia mortis Christi; sed vt peccatorum pœnæ temporales subeantur. Qui reconciliatur Deo, à pœna peccatorum æterna liberatur, regnūque cælestis heres constituitur: cuius tamen possessionem prius adire non potest, nisi iustitiæ Dei, quæ pœnas temporales exposcit, satisfiat. Quod totum multis Scripturæ exemplis Catholici luculenter probant, nosque ex parte attigimus in Prompt. Catholico. Ridiculē igitur garrat Calvinus, qui satisfactiones quas Catholici docent, per gratuitam reconciliationem refutari affirmat, quum ad illam reconciliationem nihil profus illæ pertineant, sed eam iam factam & completam ex alio capite consequantur. Papistarū verō nomine totam Antiquitatem scurriliter perstringit, quorū sententia de Satisfactione, vna pœnitentiæ salutaris parte, tam clara & copiosa est, vt Calvinus eam negare non audeat, contemnere tamē nō sit veritus. Sicut enim scribit. *Parū me mouent quæ in veterū scriptis de Satisfactione passim occurrunt. Video quidē eorū nonnullos, dicam simpliciter, omnes ferè quorū libri extant, aut hac in parte lapsos*

In die  
Anima-  
rum.

Caluini  
ridicula  
cauilla-  
tio.  
Papistarū  
nomine  
totam  
Antiqui-  
tatem  
sugillat  
Caluinus

*fos esse, aut nimis asperè ac durè loquutos. Hæc ille lib. 3. cap. 4. num. 38. Instituit. Non igitur de satisfactionibus garrūt Papistę, sed tota garrit Antiquitas, nisi & veteres omnes Papistas esse velit: quod libenter amplectimur, quia & verum est.*

## IN MATTHÆI CAP. 21.

5. *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullam filium subiugalis.*

Christi  
introitus  
in die Pal-  
marum.

**H**IC Christi in Hierosolymam ingressus toti reliquę eius vitę inusitatus, ab omnibus 4. Euāgelistis commemoratus, & à Propheta Zacharia specialiter prædictus, aliam explicationē magis accuratam meritō desiderat. Causę eius varię fuerunt. Primū, vt specimen quoddam regni sui daret, etiā circa huius mundi honores. Tamen enim asino insidens & à pauperulis comitatus, *ridiculā pompam*, vt impius Calvinus eam vocat, præbuisse videatur; tamen ipsa inequitatio insolita, animal cui insedit, & via ipsa instrata, ramorū gestatio, totius populi fausta acclamatio, eorum qui in ciuitate erāt occursum frequens, diuinę voces acclamantis populi, principum populi turbatio, magnificum & regale aliquid præferabant. Altera causa erat existimationis, quam de illo plerique habebant quod verus Mesiās esset, publica restitatio. Dicebat enim populus: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilee. Et omnis turba laudabat Deum voce magna super omnibus quas viderat virtutibus. Tunc quoque testimonium perhibebat ei (id est, magnificè eum prædicabat) turba quę erāt cum eo, quando Lazarū vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis.* Tertia causa esse potest,

vt

vt ipsi Iudęis in iudicium & testimonium maius fieret, quod quem tam paucis antè diebus tanto honore dignum existimassent, paulo post crucifigendum esse vna voce clamauerūt. Quarta causa, quia illo eodem die post passionē à morte resurgens, gloriā suam & regnū immarcescibile aspiciaturus esset. Quinta, vt figuram veterem impleret, secundum quā agnus 14. die Lunę immolandus, decima Lunę (quę hic dies erat) in domum patris familias solemniter introducendus erat, & futurę immolationi præsto seruāus. Sexta esse potest ad aliam figuram implendam, quia decima mensis primi quę hic dies erat, Iosue terrę promissionis ingressus est, & decima quarta sequenti solemne Pascha immolauit.

Exod. 12.

Iosue 4.  
& 5.

Ad literam quod attinet, valde notandū quod Matthæus duas prophetias coniungit, quod non aduertens Calvinus, aliud ineptum quid somniauit. Nam prima illa verba, *Dicite filiæ Sion*, apud Esa. cap. 62. leguntur hoc modo: *Dicite filiæ Sion: ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, et opus eius coram illo.* Quę prophetia vt Iudęis notissima & gratissima adiungitur alteri prophetię ex Zacharia dicente: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & c.* quę tanquam ignobilis & despicibilis, minus erat Iudęis grata. Eodem modo Marc. 1. duę prophetiæ simul iunguntur similem ob causam. Nā post illa verba, *Ecce ego mitto Angelū meum ante faciē meam, & c.* Mal. 3. quę celeberrima erat apud Iudęos prophetia, adiūgit Marcus, *Fox clamantis in deserto, & c.* Isai. 40. vt videlicet intelligerent Angelū illum, de quo loquitur Malachias, esse hanc vocem clamantis in deserto de qua loquitur Esaias. Sic vt hoc loco intelligerent Iudęi, Regem venientem super asinam pauperem ac mansuetam, eundem

esse de quo Esaias dixit, *Eccc venit Saluator tuus*, &c. alterius prophetiæ principium atrexit Matthæus. Quod autem Prophetæ dicit, *Sedens super asinam & pullum filium subiugalis*, aliqui interpretes, quos Calvinus sequitur, existimant per Synecdochen dictum, vt duorum nomine vnum intelligatur, & vt ait in hunc locum Beza, equitat cum tribus equis qui non nisi super vnum equitat, quia plures sequuntur. Hoc illis probabilius videtur, quia cæteri Euangelistæ non nisi super pullum Dominum equitasse narrant, & improbable videatur, quod in tam paruo itinere diuersis animalibus infederit. Nam allegoriâ quod asina subiugalis Iudæos iugo legis assuetos, pullus verò gentilem populum indomitum significet, vt Christus vtriusque Saluator vtrique animali infederit, tanquam ridiculam subsannat Calvinus. Sed vtrique animali Dominum infedissee, verba Matthæi & Prophetæ manifestè docent, qui de vtroque manifestè loquuntur, & Matthæus imprimis qui ait. *Adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & desuper eum sedere fecerunt.* Quum itaque vtrumque animal stratum esset, vtrique infedissee dubitandum non est. Quare hunc sensum sequitur Chrysolomus, hom. 65. in Ioan. Theophyl. in hunc locum, & alij multi. Quod autem aliqui Zachariæ verba sic exponunt, vt non asinam sed asinum legant, quia vox hebræa *אֲשֵׁר* masculini generis est, & sensus sit, super asinum & pullum, id est, natura asinum, ætate pullum, falluntur haud dubie. Nam 2. Reg. 19. eadem vox in feminino reperitur: & apud hebræos nominibus animalium commune hoc est, vt & maribus & foeminis dentur, sicut vox græca *ἄσιν* vtrique sexui communis est. Sed omnè dubitationem tollit quod Matth. disertissimè de duobus

bus loquitur, *Inuenitis asinam alligatam, & pullum cum ea.* & iterum, *Adduxerunt asinam & pullum.* Cùm ergo duo essent, foeminam non marem fuisse ex eo patet, quod pullus asinæ non patrem sed matrem sequatur. Quod cæteri tres Euangelistæ non nisi pulli mentionem fecerint, id eò factum videtur, quia propter gentiles illi sua Euangelia scripserunt, sicut propter hebræos Matthæus; vel quia potissimum & diutius pullo infederit, etque infidens Hierosolymam ingressus fuerit. Narrationi autem Matthæi, quæ vera quoque esse debet, hoc nihil repugnat, quum frequens hoc Euangelistæ sit, vt de eodem Christi factò alius plenius alius breuius scribat. Vide August. de consensu Euangelist. lib. 2. cap. 66. Vtrique porro animali in tam breui via infedit, nõ fatigationis sed mysterij causa, de quo iam diximus. Cuius sanè mysterij in vtroque animali significati, vtcunq; id Calvinus simplici negatione rejiciat, grauissimi testes sunt Iustinus Martyr in Dialogo cū Tryphone, Origenes tract. 14. in Matth. Hieron. in hunc locum. Ambrosius lib. 9. in Lucam: August. cõtra Faustum lib. 12. cap. 42. & alij ferè veteres omnes. Notandum autem contra Iudæorum hodie vsque incredulitatem, quod hanc prophetiam Zachariæ post eam à Christo tam manifestè impletam Iudæi in suis synagogis, vbi per sabbata Scripturæ leguntur, nunquã legere voluerint: quod in plena concione coram 200. & amplius Iudæis Dom. Andreas ex Iudæo Rabbino Christianus factus, & diebus sabbatinis in vrbe Roma Iudæis ex superiore loco veteres Scripturas explicans, me audiēte, illis exprobrauit. Quorū impietati patrocinatur Calvinus, qui hæc omnia de pullo, & asina, Prophetam metaphoricè loquentem affirmat de contemptibili Christi specie.

Iudæorum  
perfidia.

In comment.  
in Zachar.  
cap. 9.

9. *Clamabant dicentes, Hosanna filio David.*

Hosanna  
quid sig-  
nificet.

QVVM huius vocis Hosanna explicatio iam dudum à D. Hieronymo iuxta veritatem hebraicam satis excussa fuerit, tum in comment. in hunc locum, tum in tractatu peculiari de voce Osanna, & post eū Cornelius Ianfenius prolixè & accuratè idem explicauerit, textusque hodie Syriacus & Hebræus idem clarissimè attestentur, nempe vocem esse apud Hebræos compositam à verbo saluandi, & interiectione obsecrandi, vt significet, *Saluum fac queso*, quo etiã sensu Psal. 117. illa eadem vox accipitur, ex quo Psalmo hanc acclamationè desumptam esse, illud quod adiungitur, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, inuicè demonstrat: non parua temeritas est noui cuiusdam & celebris Scriptoris, qui consentientem veterum interpretationem agnoscens, ab ea tamen recedere voluit propter authoritatem cuiusdam Caninij, & Ioannis Drusi, qui Rabbinos secuti scripserunt hanc vocem vnam tantū esse dictionem, & significare *ramos salicum*, vt verum sensum hunc esse ille decernat: *Osanna filio David*, id est, *Rami filio David*. Quam explicationem planè absurdam & ridiculam esse, vel id quod statim sequitur apud Matthæum, illum & alios illos hebraizantes docere debuit: *Osanna in altissimis*. An dicent hic sensum esse, *O Rami in altissimis*? Deinde docere eos debuit eadem vox in Psal. 117. quam vulgatus interpres rectissimè vertit, *O Domine, saluum me fac, bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini*. An illic sensus erit, *Rami salicum bene prosperamini*? Denique docere eos debuit Catholica Ecclesiæ sensus, quæ in sacratissimo trisagio hanc vocem

voce v'surpat, *Osanna in excelsis*. An ibi quoque dicent, *Osanna* significare ramos salicum? Sed vno argumento mouetur ille. *Vitiosa* (inquit) *hæc esset locutio, & quæ nullum congruentè refert orationis sensum. Salua queso filio David. Nisi dicere velimus esse hebraïsmum, idemque sonare, ac si diceretur, Salus nostra à filio David, vt notat Ioan. Drusus de voc. hebr. noui test. cap. 19.* Hæc ille, Sanior certè & magis sobria hæc esset Drusi expositio, tametsi apertè falsa iuxta literam hebræam: quum vocibus illis, *Filio David*, non beth, sed lamed præponatur. Sed docere hunc nouum Scriptorem potuit solus Cornelius Ianfenius, hebraïsmum quidem hic esse, sed lōgè alium propter præpositionem lamed, quæ non à, vel ab, vt beth, sed ad, vel in, significat: quæ etiam præpositio tametsi propriè est nota datiu casus, est tamen nonnunquam nota accusatiui, vt exemplis probat ex Iud. cap. 7. ver. 2. & 2. Rég. 10. ver. 11. Sensus ergo proprius & iuxta hebraïsmū literalis est, *Saluum fac queso filium David*. Precatur quippe populus Christo, quasi nouo Regi & Messia expectato, salutem & prosperitatem à Deo. Eadem quidè vox in festo tabernaculorū, quando etiam rami palmarum circumferebantur, à Iudæis v'surpata fuit, clamantibus *Osanna in excelsis*. Sed ipsos ramos suos, quos gestabant, hac voce compellasse, aut illos inclamasse, planè ridiculum est. Vox quippe illa ad singulas petitiones succinitur, vt nos in Litanijs nostris repetimus, *Misereve nobis, vel, Ora pro nobis*.

13. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

QVVM hæc Christi verba rectū & proprium templorum v'sum (quibus & Christiani carene non possunt, vbi pax Ecclesiæ tuta & acies

ordinata conspicitur) manifestè describant, loca videlicet esse vni Deo consecrata (ideo enim *Dei domum* vocat Propheta quò Iudæi conueniebant) & ad Dei cultû specialiter ordinata (*orationis quippe voce*, ait ipse hoc loco Calvinus, *totus Dei cultus à Propheta notatur*) qui & precibus & sacrificijs imprimis constat; voluit vno verbo Calvinus Christianorum templis hoc totum eripere, suumque obiter venenum inspergere. Ait enim. *Hodie quamquam ad sacros conuentus agendos templis vimur, diuersa tamen est ratio: quia ex quo exhibitus est Christus, nobis externa & vmbrae eius imago minime proponitur, sicut olim Patribus sub lege.* Hæc ille. Verum quidem est, vmbrales illas Christi imagines, vitulorû & hircorum victimas, panes propositionis, & asservatum Manna, in nostris templis non proponi: sed quia templa quoque nostra, Deo Deique cultui, precibus, sacrificijs, sacramentorum administratione, ac demum verbi prædicationi destinantur & consecrantur, planè hac ex parte eadem illorû ratio est: *Domus Dei & Domus orationis non secus sunt, quam templum Iudæorum.* Imò tanto excellentius hæc sunt, quanto magis non vmbrae aut imagines rerum, sed res ipse olim adumbratae in illis exhibentur. Quomodo autem templa Christianorum sunt verè domus Dei, & domus orationis, in vtroque Promptuario explicatum dedimus: contra Calvinum in Catholico; contra prophanos malos Christianos, in morali: in Dominica nona post Pentecosten, ad hæc eadem verba.

Templa  
nostra de-  
mus ora-  
ion una  
non secus  
quam  
olim.

21. Si

21. *Si habueritis fidem & non hesitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle & iacta te in mare, fiet.*

**P**LACVIT admodum Caluino hæc Christi doctrina, & pro speciali sua commentitia fide, & certitudine salutis imaginaria, qua ad certam suam perniciem mirificè se oblectant hodie heretici, locum accommodatissimû sese nactum ratus, sic in hæc verba scribit. *Hic locus ad vim naturamque fidei exprimendam insignis est, nempe quòd certitudo sit in Dei bonitatem recumbens, quæ dubitationem non admittit. Neque enim alios credere agnoscit Christus, nisi qui indubiè statuerunt Deum sibi esse propitium, necitant quin daturus sit id quod petunt. Vnde perspicimus quàm diabolico figmento fascinati sût Papiste, qui fidem dubitationi permiscunt, imò stultæ presumptionis nos insimulant, si de paterno Dei erga nos favore persuasioram ipso sistere nos audeamus.* Hæc ille. Nefarius impostor mera fallendi & cauilladi libidine ductus, imperitum lectorem ludificat, & veritati insidias struit. Ipsemet enim non ignorauit Calvinus **vana & mendacia** esse quæcunque hic scripsit. Ipsemet non ignorauit, vim naturamque fidei, à qua fideles dicimur, qua iustificamur, quæ ad salutem **1.** necessaria est, hoc in loco à Christo non describi, non exprimi, non attingi. Ipsemet optimè sciebat Calvinus, fidem de qua hoc loco Christus agit, particularem quandam quorundam fidem esse, quæ miraculorum fides vocatur, quam Paulus inter specialia quædam Spiritus Sancti dona ipsis iam credentibus & fidelibus **2.** impertita enumerat, dicens: *Alcui fides in eodem Spiritu.* Optimè, inquam, hoc totum ipsemet sciebat **1. Cor. 12**

Certitudo  
salutis  
Caluina-  
na reuel-  
litur.

Mendacia  
Calui-  
niana.

bat, vt nunc ex ipsius verbis ostendemus. Quum enim certo certius planèque indubitatum sit, Christum hoc loco de illa & eadem fide agere, de qua suprâ Marth. cap. 17. eisdem penè quibus hîc verbis vsus, dixerat, *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, et transibit, & nihil impossibile erit vobis:* Calvinus qui illo loco non de fide propria fidelium omnium virtute, sed de fide signorum Christum agere difertè proficitur, de eadem fide signorum Christum hoc loco agere ignorare non potuit. Illo quippe in loco sic scribit Calvinus. *Propriè de speciali fide agit nunc Christus, quæ, prout res nata ferebat, arcanos habebat instinctus. Atqui hæc fides est cuius Paulus meminit prioris ad Corinth. cap. 12. ver. 9. vbi dicit. Alteri fides in eodem Spiritu.* Sciebat ergo ipse Calvinus, vim & naturam fidei, vnde fideles dicimur, & quæ omnibus generalis est, à Christo hoc loco non exprimi.

3. Sciebat purum esse mendacium, quòd non alios credere Christus hoc loco agnoscit, nisi qui indubiè statuant
4. Deum sibi esse propitium. Sciebat de certitudine gratiæ in Dei bonitatem recumbente, omnino Christum hoc loco non agere. Impostorem tamen nefarium agere libuit.

Fides igitur de qua Christus hîc loquitur, fides illa quæ donum significat edendi miracula ad Dei gloriam & aliorum ædificationem, nullam hæsitationè admittit. Nihil enim aliud est, quàm eximius fidei gradus cum fiducia coniunctus impetrandi aut faciendi miracula quum opus est, quum Dei gloria & proximi ædificatio id postulat. Porro fides etiam generalis omnium credentium, omni quoque dubitatione caret, omnem hæsitationem excludit: sed circa proprium suum obiectum, non circa omnia, quæcunque vesano

Fides miraculorū  
quæ &  
qualis.

aut

aut temerario cuius fide apprehendere libeat. Proprium autem fidei obiectum est, veritas omnis in Dei verbo reuelata, seu scripto, seu per Ecclesiam explicato & tradito. *Certitudo in Dei bonitatem recumbens, qua indubiè quisque statuit Deum sibi esse propitium*, vt Calvinus hîc de fide loquitur, siue vt alibi fidem definit, *certa notitia & persuasio beneuolentiæ Dei erga nos*, specialiter & in vnoquoque particulari accepta (vt Calvinus cum suis accipit) nec in Scripturis reuelatur, nec ab Ecclesia docetur, ideòque fidei obiectum non est. Nam vt cætera argumenta taceam, quæ alibi latius tractauimus, quicquid de fide est, ab omnibus credi oportet, omni dubitatione remota. Huic autem in particulari, puta Ioanni Caluino, Deum indubiè propitium esse, omnes indubiè & absque dubitatione credere oportere, nec ipse opinor si videret Calvinus dicere vellet. *Diabolico ergo figmento fascinati sunt*, non Papiæ, vt Calvinus dicit, quasi dubitationi fidem permisceant, quum eam ab omni dubitatione longillimè remoueât, sed Calvinistæ, qui præsumptioni impiæ ac diabolicæ fidem admiscunt. Nec stultæ tantum sed & sceleratæ præsumptionis Calvinum & Calvinistas meritò insinulamus, qui de paterno Dei erga se fauore ex certa fide persuasi, audent se coram illo sistere hac sola fide, falsa & sterili, imaginaria & mortua, commentitia & inani, armati atque muniti: *carentes veste nuptiali*, quæ charitas est, bonorum operum fecunda mater. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea que sunt placita coram eo facimus.* Hac armati non fide sola, & persuasione diuinæ bonitatis, sed mandatorum pia & sedula

Fides  
quomodo  
sine dubi-  
tatione.

Instit. lib.

Fides Cal-  
uiniana  
ingula-  
tur.

Matth. 22.

1. Ioan. 3.



sedula obseruatione, fiduciam habemus apud Deū, & de paterno eius erga nos fauore persuasi sumus.

Quod Calvinus hic ex Paulo subiungit, præsumptionem Calvinianam nihil adiuvat. *Atqui* (inquit) *hoc præcipue Christi beneficium Paulus commendat, quod ex fide illius audaciā habemus accedendi ad Deum cum fiducia*, ad Ephes. 3. ver. 12. Ostendit quippe Paulus vnam fiducialis accessus ad Deū causam fidem esse, sed non solā. Docet D. Ioannes aliam esse huius rei causam, *Si cor nostrum nos non reprehendat, si mandata eius custodimus, si quæ corā eo placita sunt, facimus*. Hoc totum præsumptionē Calvinianam, sola fide & persuasionē inani innixam, penitus subuertit.

23. *In qua potestate hæc facis, & quis tibi dedit hæc potestatem?*

**H**ORVM temporum hæretici Catholicorum voces qui Pastorū authoritatem & successorem legitimam contra subitroeuantes lupos vrgent, Phariseorum has esse voces volunt contra Christum: vt quia impiè Pharisæi Christi doctrinā exagitabant, de potestate docendi inquirentes, impiè quoque & nos de hereticorum authoritate inquireamus. V. Volfgangus Musculus hæc verba in medium proferens, *Quasi dicerent* (inquit) *Templi huius potestas ac ius docendi penes nos est. Quæ facis, non facis potestate legitima. Non de ipso facto Christi quæstionem mouebant, quod culpæ non poterant, sed de potestate calumniam struebant. Consimili modo Papistæ hodie, quoniā nec manifestos errores & abusus authoritate verbi Dei tueri, nec doctrinam veritatis de mendacio redarguere possunt, confugiunt ad*

In locis  
conu-  
cap. de  
ministis  
Ecclesie.

*potestatem & authoritatem Episcopalem, perinde ac si hæc inculpatam ac legitimam possideant. Hæc ille. Cui male sano homini breui dilemmate responderi poterit. De potestate legitima eorum qui docent ac pascunt in Ecclesia Dei, aut nunquam est inquirendum, & hæc Phariseorum præsumptio in vniuersum damnanda est; aut aliquando inquiri potest, & hæc Phariseorum quæstio erit aliquando legitima adeoque necessaria. Si prius, falsum erit quod Christus docet, *fures quosdam & latrones esse qui non intrant per ostium, sed aliunde: falsum erit quod Paulus scribit, Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* & rursum, *Nemo sumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquā Aaron: ipsi currebant, & ego nō mittebā eos. Sed Musculū correxithoc loco Calvinus ipse his verbis: Nō autem mātur hic proterui homines, qui sine vllō mādato sed privata audacia publicū sibi munus usurpant. Est igitur aliquando de doctrinæ potestate ac legitima missione inquirendum, tametsi Pharisæi impiè & proteruè de Christi potestate flagitarent. Horum temporum noui magistri si Christi loco esse volunt, vt de eorū potestate nobis inquirere non liceat, faciāt in conspectu nostro quod Christus in conspectu Pharisæorū toties fecit. Opera Christi faciāt, quia opera eius testimoniū perhibebant de illo. Dent vifum cæcis, claudis gressū, surdis auditū, mutis loquelā, mortuis deniq; ac sepultis aurā rediuuā. Proferant aliquem Ioannem, præcursorē aliquem de celo missum, cuius testimonio & admirabili sanctitate commendentur, sicuti Christus hoc loco Phariseorum quæstioni Iohannis de se testimonium tacitè opponit. Si enim id respondissent, quod verè respondendum erat, *Ioannis Baptistam*, hoc est, totum ministerium & prædicationem**

Potestas  
docendi  
inquirenda, an legitima sit.

Ioan. 10.

Rom. 10.

Heb. 5.

1 Cor. 33.

Ioan. 5.

tionem esse de celo, Ioannis quoque de Christo testimonium necessario accepissent, deque eius legitima & summa potestate nunquam verbū mouissent. Est ergo quæstio de potestate docendi legitima; sed contra eos proponenda, de quorum potestate dubitare licet; & ab ijs mouenda, qui tantam rem iudicandi & discernendi facultatem habent. Vtrumque hodie hæretici confundunt, rebellium in morem, qui de legitima potestate aut nullam quæstionem fieri volunt (quia ea se carent vident) aut ipsi de ea iudicium ferre contendunt, ut ea quæ legitima est, hac arte conuulsa, seipfos intrudant; & deiectis magistratibus, Reip. gubernacula teneant.

32. *Venit ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei.*

**A**RGVIT hoc loco Christus Phariseos quod Ioanni Baptistæ, vitam apud eos irreprehensibilem agentem, qui in summa victus ac vestitus asperitate, & , ut alibi dixit, *neque manducans neque bibens*, id est, à communi hominum cibo ac potu abstinens, maximum iustitiæ, id est, pietatis & sanctitatis exemplū præbuisset, docenti tamen & facienti non crediderint, nec pœnitentiã egerint. Sic enim intelligit Christus Ioannem in *via iustitiæ venisse*, sicuti alibi eandem semper prædicat non solum à doctrina, sed etiam à singulari vitæ sanctitate: *ut non esse hominem molliibus vestitum, non arundinem vento agitatum, non esse eo maiorem inter natos mulierum; denique fuisse lucernam ardentem & lucentem*: ardentem in feruore & zelo prædicationis, lucentem admirabilis vitæ exemplo. De hac *via iustitiæ* quam Iohannes tenuit, dicit D. Bernardus,

Matth. 3.

Ioan. 5.

nardus, quod ab ortu vitæ suæ usque ad occasum, forma vitæ & informatio morum fuerit; *virginitatis speculum*. In Serm. de excell. *Martyrum lumen, anachoretarum principium, orbis exemplum, iustitiæ principatus*. Ioã. Bapt. De eadem Cyrillus Hierosolymitanus scripsit, Ioannem *exercitationis typum* Catech. 3. *in seipso monstrasse*. Gregorius quoque Nyssenus, eandem iustitiæ viam expendens, ait de Ioanne. *Nulla in re diuina minus præstitit, quam ceteri qui in exercitio virtutis ante illum exiire.* ad illuminatos. Orat. in laudem Basilij.

Sed totum hunc ac perspicuum Christi verborum sensum inuertit egregie Calvinus, totius iustitiæ ac sanctitatis iuratus hostis. *Mihi* (inquit) *nihil aliud sonat Iustitiæ nomen hoc loco, quam Ioannis doctrinam puram & rectam fuisse; ac si dixisset, nihil fuisse cause cur eam reijceret Pharisæi*. Deinde arrogantissimi hæreticus Christi locutionem corrigit. *Plenior* (inquit) *fuisse locutio: Venit Deus iustitiæ viam Ioannis ore demonstrans*. Hæc est execranda superbissimi & audacissimi heretici proteruitia. Quia viam iustitiæ quam tenuit Ioannes, in plano & germano verborum sensu tenere non vult, sed quod de vitæ sanctitate dictum est, ad doctrinæ puritatem transferre; nec Christi verba, ut in textu Evangelico iacent, hunc sensum vllomodo admittant; audet homo nefarius, quasi pedagogus discipulum, Calvinus Christum quid & quomodo loqui debeat, docere. *Plenior* (inquit) *fuisse locutio*. Ergo Christum Dominum plenius loqui homo impie docebis? Ergo sermo Seruatoris nostri tibi mancus ac mutilus videretur? Sed non est hæc tua sola impietas. Non plenius Christum loqui, sed planè aliud ac diuersum loqui (ô blasphemiam!) iubes. Hic enim sermo, hæc locutio, *Venit Deus iustitiæ viam Ioannis ore demonstrans*, longè aliud ac diuersum dicit, ab eo quod sacer Euangelista habet: *Venit ad vos Ioannes*

Caluini corruptela prodigiosa.

Calvinus Christum ut pedagogus discipulum corrigit.

*in via iustitiæ.* Agit Christus de via iustitiæ quam Ioannes tenuit, nō de ea quam Deus per os eius docuit. Agit de via qua Ioannes ad Iudæos venit (*Venit ad vos*) non de via qua Deus ad Ioannem venit. *Deus iustitiæ viam Ioannis ore demonstrans*, ad Ioannem venit, ad cor & linguam eius suę gratię luce accessit, non ad Iudæos qui Ioannē non Deū audierunt. Missus est enim Ioannes à Deo *ut testimonium perhiberet de lumine, & ut omnes crederent per illum*: id est, per os & prædicationē eius. Venit quoque Ioannes ad Iudæos per prædicationē quidem, sed cum admirabili vitæ sanctitate coniunctam, quam vitæ sanctitatem, ad maiorem Phariseorum condemnationem, *viam iustitiæ*, Christus hīc vocat. Rursum in omnibus Ecclesię Doctōribus ac Magistris improbis, ac malis mercenarijs, avaris, *qui non ex charitate, sed per occasionem Christum annuntiant, venit Deus ad homines iustitię viam annuncians, & per ora eorum Christus prædicatur*, ut Paulus affirmat; sed ipsi tales Magistri ac Doctores non veniunt ad eos quos docent per viam iustitię, verūm per viam avaritię, aut ambitionis, aut contentionis, aut invidiæ, aut alterius cuiusquam infamis notæ. Aliud ergo longēque diuersum loqui Christum, ab eo quod verē loquutus est, proterius impostor Calvinus cogit. Quare verō istud? Quia iustitię viam, sanctitatis studiū, ferre Calvinus non potest. Sic Lutherus *Ioannem ut Doctorem considerare, vitam verō eius minus curare iubet.* Deum ait *non ad eō magni facere quomodo viuant homines, sed potius eorum spectare doctrinam.* Ex hac foetidissima cloaca suum nouum sensum ludit Calvinus.

Ioan. 1.

Philp. 1.

In ferm.  
de nat.  
Ioan.  
Bapt.

42. *Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in Caput anguli.*

QVVM hæc propheta, eiusque per Christū applicatio, liquidō & perspicuē doceant, Architectos ipsos Synagogæ Iudaicæ Principes sacerdotum, Scribas ac Phariseos, Synagogæ magistrōs, Messiam aduenientem reprobaturos; arripit hoc exemplum auidē Calvinus, & suæ scismatis Caluianiani patrociniū hoc esse posse confidit. *Prodigij* (inquit) *simile est reiici salutis auctorem, non ab extraneis, sed a domesticis, neque à stulta plebe, sed ab ipsis Principibus qui gubernacula Ecclesiæ tenent.* Et paulo pōst. *Hinc colligitur utilis admonitio, non obstare legitimam vocationem, quo minus impij sint ac scelerati Christi hostes, qui ministri esse debuerant. Certē legale sacerdotium diuinitus erat ordinatum, & Levitis permixta erat à Domino potestas regendæ Ecclesiæ. An ideo fideliter suo munere functi sunt? An illis obedire pios decuit ad Christum negandum? Eat nunc Papa cum suis cornutis Episcopis, & sibi fidem in omnibus habendam esse iactent, quia pastorum locum occupant.* Hæc ille. Hæc utilis Caluini admonitio, est futilis & insulsa collectio, est impia & insana disputatio. Phariseis Synagogæ magistris nihil profuit legitima vocatio, quo minus Christū negarent: Ergo Catholicę Ecclesię Episcopis & Pastoribus fides habenda non est, quia Pastōrū locū occupant. Age valeat interim consequentia, & in simili concludatur: Ergo Ministris & Pastoribus Geneuenibus, Bernatibus, Tigurinīs, VVittenbergenibus, alijsque in Germania, in Scotia, in Anglia pseudoepiscopis, fides habenda non est, quia isti omnes Pastōrū quoque loca occupant, &

Schisma-  
tis Calui-  
niani pa-  
trociniū  
futile &  
inane.Conse-  
quentiæ  
Caluina-  
næ tur-  
pitudō.

permittitur illis regendæ Ecclesiæ potestas. Rursum: Seniores populi & tota quoque popularis Iudæorum turba & stulta plebs (quod stultè hic negat Calvinus) Christum clamoribus pertinacibus reiecerunt, ac ad necem postularunt: Ergo nihil vel magistratum vel totius populi Christiani consensus in causa religionis valere debeat. Non videt infusus Calvinus eodem argumento aduersus seipsum totumq; corpus fidelium concludi posse, quo aduersus Papam & Episcopos ac Pastores Ecclesiæ Catholicæ ille concludit.

Synagoga  
Iudaicæ  
& Eccle-  
siæ Chri-  
stianæ  
iniqua  
& compa-  
ratio.

Deinde quàm impia hæc disputatio est! Principes veteris Synagogæ Christum prædicantem repulerunt: ergo tota Catholica Ecclesia, tam Pastores quàm populus Christianus vniversus, totis his 1500 annis Christum ignorauit, deseruit, reiecit. Meminisse Calvinus debuit firmiores Ecclesiæ quàm Synagogæ promissiones esse: Synagogæ debuisse succedere Ecclesiam Christi, transferri legem, transferri sacerdotium, interire Synagogam, *vt plenitudo Gentium intraret*, oportuisse, Ecclesiæ Christianæ nihil aliud succedit quàm mundi consummatio, dicente Christo Ecclesiæ

Matth. 28 *sux. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Non erit translatio Euangelij,

Matth. 25 *sed per totum orbem dilatatio, donec impleantur tempora gentium.* Non interibit Ecclesia Christi, sed sic

Matth. 16. *permanebit vt portæ inferi non poterint prævalere aduersus eam.* Eat nunc Calvinus cum suis barbatis & galeatis Ministris, & Ecclesiam Christi interijisse blasphemet, quia Synagoga cecidit. Affirmet

Ephes. 4. *mentiri Paulum, qui ait Pastores & Doctores datos esse à Christo, in opus ministerij, ad edificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in agnitionem filij Dei, quia Synagoga architecti Christum respuerunt. Hæc est*

est infani hominis disputatio infana. Cum enim, *Papam cum suis Episcopis dicit, vniuersam Ecclesiam Catholicam dicit, vniuersis Episcopis adhaerentem, & vni supremo in terris Capiti cõiunctam.*

Reliqua nunc dementissimi hominis verba proferemus, vt eorum quoque appareat turpitud. *Vt domus (inquit) vite ad Ecclesie regimen vocatos, frustra tamen plus sibi arrogans quàm se titulares esse Ecclesie praesides.* Purida & mera calumnia est, impudenter asserta, nullo argumento munita. Sequitur: *Atqui ne vocationis quidem titulus illis suppetit.* Cur ergo dedisti ad Ecclesiæ regimen esse rite vocatos? modò ais, modò negas; homo instabilis nescit vbi pedem figat. Ferire vult, sed quò idem destinet, incertum habet. Hoc tamen posterius probare nititur. *Nam (inquit) vt se in hanc tyrannidem attolleret, euertere necesse fuit totum Ecclesie ordinem.* Homo intusus probare se existimat, quando strenuè bacchari, & fortiter conuitiari potest. Quæ enim hæc tyrannis sit, aut quomodo euerfus Ecclesiæ totus ordo fuit, nec vno verbo demonstrat, dixisse & maledixisse contentus. Pergit adhuc. *Verum vt iurisdictionem ordinariam sibi merito usurpent, si tamen evertunt sacram Dei domum, non nisi nomine tenus archiepi censendi sunt.* Hoc quidem verum est. Sed quòd Catholicæ Ecclesiæ toto orbe Episcopi ac Pastores sacram domum Dei evertent, id Caluino strenuè probandum, non impiè supponendum fuit. Nihil ergo aliud hæc tota Caluini declamatio, quàm fanaticum hominis ingenium & spiritum vertiginosum prodir, maledicendi auidum, firmis & bonis argumentis destitutum.

Calvinus  
iurgijs  
non argu-  
mentis  
pugnans.

Caluini  
ingenium  
fanaticum.

42. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Caluini  
astutia.

**D**E CLAMITAT hinc rursus Calvinus, & illustrem hanc prophetiam de gloria Messie quem Synagoga reiecit, ad hodiernæ apostasiæ nouitatem & incrementum homo impius transfert: verbis quidem non ita perspicuis & claris, vt de seipso suisque Geneuensibus loqui velle videatur (sic enim omnes Lutheranorum sectas, quæ validæ tunc erant, & totum reliquum sodalitiū in se vnum concitasset) sed sic vt à suis facillè intelligatur. Quæ Caluini frequens astutia est, quam euidenter prodit in comment. ad 1. Cor. 11. vbi quū Christi corpus & sanguinem in sacra Cœna realiter exhiberi & sumi dixisset, *Verbis* (inquit) *vulgaribus vtor, sed me mei intelligunt*. Nempe quòd nihil minus cogitaret, sed realis exhibitionis nomine Catholicos & Lutheranos ludificare vellet, quum realè ipse non aliam quàm spiritualem, & quæ fide fit, (si tamè illam) intellexerit. Non dissimiliter in genere hinc declamat Calvinus *de admirabili & stupendo noui Euangelij exortu, restitutione, ac statu*. De quo Euangelio nouiter ex oriente ac restituto loquatur, non explicat, ne reliquas sectas ab ipso seiunctas, quæ sibi singulè hunc nouum exortum & restitutionem Euangelij venditant, grauiter offenderet, sed à suis intelligitur de sola Geneuensi Ecclesia alijsq; ab ea progressis eiq; adhærētibus loqui. Sic enim in hunc locū scribit. *Meminerimus quoties de Ecclesiæ ortu, restitutione, statu, totaq; salute agitur, nō esse cōsulēdos sensus nostros, sed tribuēdū virtuti Dei honorē, vt absconditum eius opus miremur. Reuocamur enim hic à stulta hominū reuerētia, quæ sepe Dei gloriā obscurat. Ac si dixisset Prophe-*

84,

*ta, quālibet splendidis titulis polleant homines, peruersè tamē fieri, si quis illos Deo opponat. Quo refellitur diabolica Papiſtariū impietas, qui larua: & suæ Ecclesiæ determinationem Dei verbo præferre non dubitant. Hæc ille, torquendi, deprauandi, & adulterandi verbi Dei, mirus artifex. Vide enim vt præsentem prophetiam miserè torquet & impiè deprauet. De casu Synagogæ, & veterum Sacerdotum perfidia, Christianique & Euangelij eas exaltatione dictum est: *Lapis quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*: Ergo quādo cunq; aliqua noua secta exurgit contra Pastores & Doctores, quos Christus dedit Ecclesiæ suæ, & quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, nulla est habenda Pastorum reuerentia, nec curandum quàm splendidis titulis polleant, siue Apostoli, siue Prophetæ, siue Euangelistæ, siue Pastores, & Doctores, siue Episcopi, & Præpositi Ecclesiarum, siue Presbyteri & Seniores vocentur. Valer enim scelerata Caluini collectio & prophetiæ huius deprauatio non solum contra præsentem Catholicæ Ecclesiæ Episcopos & Pastores, sed etiam contra Apostolos, Prophetas, Euangelistas, & alios quoscunq; splendidos in Ecclesiæ regimine titulos. Nec minus iuxta Caluini collectionem licuisset Iudæizantibus illis Christianis, Apostolos & Seniores in Concilio Hierosolymitano collectos, & omnia ferè legalia abolentes ex alto despicere, quātumuis splendidis titulis polleant, dicereque se verbo Dei per Moyſen scripto inhærere, illos verò licet architectos Ecclesiæ verbū Dei reprobantes, minimè mirum facere, quia à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, vt illi non secus errent quā Pharisei & Scribæ in Christo reijcien-*

Caluini  
artificium  
in adulte-  
rando  
verbo  
Dei.

Ephes. 4.

Act. 20.

Caluini-  
næ conse-  
quentiæ  
absurditas  
& blas-  
phemia.

Q4

do

do errauerunt. Non minus, inquam, hoc illis si-  
cuisset dicere ac facere, quam hinc licet Caluino  
suam ab Ecclesia apostasiam eodem furo tegere.

Calvinus  
suo re-  
lo  
iugulatur.

Lutherani quoque, Anabaptista, Seruetiani,  
aut alia quaelibet hodie secta non secus contra  
Caluinum, omnesque Ecclesiae Geneuensis Mi-  
nistros, Pastores, Seniores, vbi de aliqua Scriptu-  
rae interpretatione, aut censura Ecclesiastica ori-  
tur quaestio (quales inter eos sunt innumeræ) hoc  
eodem modo excipiet, quo Calvinus contra om-  
nes Ecclesiarum Praepositos excipiendum dicit.  
Splendidi quidem titulis polletis, Ministri veri-  
bi, Pastores populi, Seniores consistorij vocami-  
ni. Vestrum in Scripturis exponendis iudicium  
interponitis, (perpetuum enim Caluino ac Bezae  
est, reiectis Patrum sententijs dicere, *Ego sic iudico,*  
*Ego sic sentio, Ego hunc esse sensum non dubito,* &c) Penes  
vos censuram esse dicitis. Vos pro architectis &  
Praesidibus Ecclesiae venditatis. Sed peruersè faci-  
tis quod Deo vos opponitis. Verbum Dei nos  
aliud docet. Titulos vestros non curamus. A Do-  
mino factum est istud, & est mirabile in oculis no-  
stris. Manifestè hinc refellitur vestra diabolica im-  
pietas, qui laruatæ Ecclesiae vestrae determina-  
tionem verbo Dei præferre non dubitatis. Quam  
enim Calvinus Catholicis impietatem impin-  
git, eandem quaelibet alia secta Caluino & suis me-  
rito impingere potest. Quaelibet enim alia secta  
Geneuensem Ecclesiam pro laruatæ non vera ha-  
bet. Quaelibet alia secta verbum Dei pro suis do-  
gmatibus facere affirmat & credit.

Cur solos  
Catho-  
licos per-  
stringit  
Calui-  
nus,

Sed qui sit quod ceteris omnibus sectis præ-  
termisissis, solam veram & Catholicam Ecclesiam  
hinc perstringit Calvinus? Cur solos Catholicos  
(quos Papistas vocat) diabolicæ impietatis ar-  
guit,

guit, quod suæ Ecclesiae determinationem verbo  
Dei prætulerint? Subiungit aliquid, quo id pro-  
bare contendit, quod dissimulandum non est.  
*Vnde enim* (inquit) *secundum eos pendet verbi Dei au-*  
*thoritas nisi ab hominum placito? ut Deo nihil plus sit iu-*  
*ris vesiduum quam quod ab Ecclesia peccariò accipit. Longè*  
*aliter hoc loco nos instituit Spiritus S. Nempe simul ac in*  
*medium prodit maiestas Dei, silendum esse toti mundo. Hæc*  
*ille. Multum haud dubiè laborauit Calvinus, vt*  
*post tam atrocem accusationem, quod Catholici*  
*sua Ecclesiae determinationem verbo Dei præferre non du-*  
*bitauerunt, certam aliquam tantæ accusationis no-*  
*tam, certum & illustre aliquod argumentum sub-*  
*ijceret, ac dogma aliquod proferrer à Catholica*  
*Ecclesia determinatum, cui verbum Dei mani-*  
*festè repugnaret. Hoc enim esset propriè ac verè*  
*suam determinationem verbo Dei præferre. Nunc*  
*autem nihil tale profert, sed huiusmodi aliquid,*  
*quod si verum crimen esset, conficeret tamen, non*  
*aliquam Ecclesiae determinationem, sed ipsam*  
*Ecclesiam determinantem verbo Dei præferri.*  
*Ait enim, secundum Catholicos verbi Dei autho-*  
*ritatem non nisi ab hominis placito pendere, & eam totam ab*  
*Ecclesia peccariò Deum accipere. Nempe quia quid sit*  
*pro verbo Dei & Scriptura Canonica habendum,*  
*Ecclesia suo iudicio determinat. Hoc enim intel-*  
*ligit, hoc vult dicere Calvinus, licet obscure lo-*  
*quatur, vt à rudiori lectori Catholico vix intel-*  
*ligatur. Satis ei erat quod à suis suorumque scri-*  
*ptorum lectoribus intelligeretur. Sic quippe ali-*  
*bi scribit. Pendet (inquiunt Papistæ) ab Ecclesia deter-*  
*minatione, & quæ Scripturae reuerentia debeatur, & qui*  
*libri in eius catalogo censendi sunt. Moxque paucis in-*  
*teriectis infert. Quibus impiorum famis subijcitur fi-*  
*des nostra, si credatur hominum beneficio non secus ac peccæ-*  
*riam*

Instit.  
lib. 1. c. 7.  
num. 1.

Lib. 9.  
cap. 3.  
Lib. 3.  
cap. 12.

Defens.  
contra  
V. Whitak.  
Lib. 1.  
cap. 2. ad  
sect. 6.

Caluini  
laruata  
blasphemia.

*nam habere auctoritatem?* Huic obsoletæ & rancidæ calumniæ quam hîc Calvinus vt cramben sæpe recoctam regerit, iam olim respondimus, tum in Opere nostro de Principijs fidei, tum vberius multo in defensione nostra contra V. Whitakerum, qui Caluini vanitatem maior vanitate & ineptia tueri frustra conatus est. Summa est, mentiri Caluinum quando ait sententiã Catholicorum esse, quòd ab Ecclesiæ determinatione pendet, quæ Scripturæ reuerentia debeat. Hoc enim Ecclesia non determinat, sed vt rem per se notissimam penitus inderminatam relinquit. Determinat quidem qui libri pro Scriptura Canonica habendi sint, sed non determinat quanta fides & auctoritas ipsi Scripturæ Canonice adhibenda sit. Quæ duo quàm longè latèque inter se discrepent, in vtroq; Opere prænominato, sed magis in posteriori, latè & copiosè explicuimus. Vana ergo & friuola, scelerata & impia est, rota hoc loco Caluini declamatio. Quæ tamen impietas maxima in postremis eius verbis clarius conspicitur, vbi ait *Spiritu S. hic docere, simul ac in medium prodit maiestas Dei, silendū esse toti mundo: id est, vbi aliqua noua secta exoritur, silendū esse toti Ecclesiæ.* Suam enim sectã, sui noui Euãgelij exortum, & restitutionè, pro quo hoc loco pugnat, homo blasphemus designat, quum *Dei maiestatem in medium prodire* fingit; sicuti Ecclesiæ Pastores ac Præpositos negligendos designat, *quum toti mundo silendum* affirmat. Hæc est Caluini hoc loco laruata blasphemia, quam detracta larua omnium oculis in propria forma conspiciendã subijcere operæ precium duxi.

IN

## IN MATTHÆI CAP. 22.

12. *Amice, quomodo hic intraisti non habens vestem nuptialem?*

**Q**VVM hæc terribilis Dei increpatio, & horrenda quæ consequitur pœna, non ad Iudæos, sed ad Gentiles, de quorum vocatione posterior parabole pars loquitur, manifestè pertineat; nec ad quosuis Gentiles, sed ad vocatos, & Ecclesiæ domum ingressos, atque in conuiuio nuptiali discumbentes, id est, fide iam & sacramentorum participatione fidelium societati admixtos, in huiusmodi autem sub persona vnus (siue vt vnus exemplo cæteri caueant, siue vt ne ille vnus sit quilibet apud se accuratius pendat) desiderata vestis nuptialis, necessariò significare debeat, non infidelitatem, sed cum fidei professione coniunctam vitæ turpitudinem, vt propterea hic locus vitæ puritatem & bonorum operum studiū ad salutem esse necessariam euidenter conuincat; Calvinus hunc locum exponens, in omnem se partem versat, variâque perterritat, ne illam bonorū operū necessitatē ingenue & apertè profiteatur, aut solius iustificantis fidei naufragium ante oculos positum videre & agnoscere cogatur. Totã eius explicationē subijciam. *De veste (inquit) nuptiali frustra certatur sine fides, an sancta & pia vita: quia neque fides à bonis operibus separari potest, & bona opera nō nisi ex fide procedūt.* Hæc est prima tergiuersatio, & superbi heretici inanis lucta. Demus enim fidē à bonis operibus separari nō posse, (quod tamē falsitatis ac dementiæ plenū esse plurimè Scripturæ docēt, vt suis in

Bonorum  
operum  
necessitas  
defenditur.

Prima  
Caluini  
tergiuersatio.

Pau.

Paulū locis docebimus) verū sit (quia verū est) bona opera, quę verē bona sunt, non nisi ex fide procedere. An propterea frustra queritur de veste nuptiali hoc loco, sit ne fides an facta & pia vita? Ad posterius quod attinet, expeditū & clarū est, tamen ex fide bona opera procedunt, sicut ex radice fructus, tamen sicuti radix frequentissimē caret fructu, sic fides carere potest operibus bonis, ideoque data fide non sequi bona opera. Vnde meritō hoc loco queritur, an hęc vestis nuptialis fuerit radix an fructus, fuerit fides an vitę puritas. Sed ad prius quod attinet, eo quidem concessio à nobis (quod concedere opus non est, nec nisi vberioris disputationis causa, & vt maior reluctantis hęretici absurditas elucescat concedimus) probabilior videri potest Caluini assertio; sed falsa nihilominus & absurda est. Tamen enim fides à bona vita separari non potest, tamen quum negari nequeat, quin res sint inter se distinctę, credere & operari, sicut radix à fructibus distincta est, etsi talis radix esset quę semper germinaret, meritō queri potest an vestis nuptialis hoc loco fidem ipsam significet an vitę puritatem, radicem an fructū. Tamen, inquam, inseparabilia concedimus, tamen diuersa & distincta esse nec ipse Calvinus negabit. Hominem & risibile esse, inseparabilia sunt, & ex principijs speciei humanę profluit, quod homo solus risibilis sit, sicut ex fide promanant opera verē & coram Deo bona. Distincta nihilominus sunt homo & risibile. Illud enim naturam, hoc accidens designat. Vnde non quicquid tribuitur homini, hoc etiam risibili quatenus tali tribuendum. Quum ergo distincta & diuersa sint fides & vitę puritas, esto inseparabilia sint, tamen non quicquid

quid tribuitur vni, idem tribuitur alteri, nec defectus vnius est defectus alterius. Pone, inquam, vno deficiente alterum deficere, & vbi primum cessat fides, cessare opus bonum, & cōtrā. Alia tamen & distincta peccata sunt, suāsque habent distinctas pœnas in Dei iudicio, non credere promissionibus Dei (vt in sensu Caluini de fide loquamur) & non diligere proximum, vel alio quocunque modo contra secundam tabulam delinquere. Sicut ergo distincta virtus est fides à vitę puritate, & distinctum peccatum est, non credere promissionibus Dei, & nō facere quę Deus iubet, sic increpante nos Deo quod vestem nuptialem non habemus, meritō queri potest, an hęc increpacio defectum fidei vel defectum charitatis notet; & an ipsa vestis nuptialis sit ipsa fides, an charitas fidei adiuncta.

Præterea eo magis hęc necessaria quæstio est, quia tamen hęretici velint fidē à bonis operibus separari non posse, & vtrumque in eo qui saluatur adesse affirmant, tamen salutem aiunt ex vna fide pendere, non ex bonis operibus, quę nihil aliud quàm notę & testimonia sint præsentis fidei, sicut fructus notę & argumenta sunt viuentis arboris. Hoc enim ita constituto, tamen demus fidem & bona opera non separari, tamen quum in hac Scriptura increpatur & damnatur à Deo Iudice qui veste nuptiali caruit, meritissimē queritur vtrum hęc vestis nuptialis fidem significet, an bona opera: vt ita videl. intelligamus vtri damnatio inflicta fuerit, an fidei defectui, & quia non credidit; an potius bonorū operū defectui, & quia nullis bonis operibus vestitus fuit. Frustra ergo Calvinus hanc quæstionē fugit, in qua se causa casurū faciliē preuidebat. Vestis quippe



pe nuptialis nomine ipsam charitatē & bonorū operum studium ac vitæ puritatem necessariò intelligi, tum parabole ipsius tota connexio, tum aliæ Scripturæ, tum veterum Patrum consentientes sententiæ luculenter probant, sicuti in Promptuario Catholico olim explicatum dedimus.

Dom. 19.  
post Pent.

Caluini  
asturia ex-  
penditur.

Quod autem frustra & inaniter, etsi callidè & veteratoriè, hanc quæstionem fugit Calvinus, familiari exemplo docebo. Pone me aliquem interrogare, Quomodo huc intraſti nihil videns? Quamuis enim certum sit vt homo videat varia requiri, oculi bonitatem, medium dispositum, ac lumen, & hæc non separari in eo qui videt, meritò tamen quæri potest, quo sensu interrogauerim, cur nihil videns ingressus sit, an quia cæcus omnino erat, aut oculis læsus, an quia lumine caruit, an etiã quia nec cæcus nec læsus nec lumine carens, casu tamen aut vi aliqua iniecta videre non potuerit. Sed idcirco Calvinus quærere noluit, ne quærendo aut apertam veritatem negare, & iustissimæ reprehensionis patere, aut ipsam veritatem suæque solius fidei apertum ante oculos naufragium conspiceret & deplorare cogeretur. Omnes igitur veteres interpretes quærunt, & quærendo concludunt, vestis nuptialis nomine ipsam bonorum operum vestem, qua indutus & ornatus esse debet qui in Christum credit, significari; qua qui caret, & quia illa caret, projicitur in tenebras exteriores.

Calvinus  
ex suis  
principijs  
refutatur.

Præterea si fides à bonis operibus separari non potest, ideò que frustra quæritur, sitne hæc vestis nuptialis fides, an pia sanctaque vita, de vtroque igitur loquetur Christus, & vtrunque significabit vestis nuptialis. Si vtrunque significat, ergo vtrunque ad salutem necessarium est. Hac enim veste

veste nuptiali qui caret, id est, illo vtroque, qui caret, qui, inquam, fide & bonis operibus caret (separari enim ista non possunt) ille ligatis manibus ac pedibus projicitur in tenebras exteriores. Præclare igitur Calvinus suam solam saluificã fidem tutatus est. Præclare bonorū operū necessitatem, quã ex hac veste nuptiali tã necessaria colligunt inuictè Catholici, remouit. Dum enim de neutra queri vult, vtrâque posuit, vtramque stabiliiuit. Sic iterum concesso eo quod falsissimè ponit, nihil contra orthodoxam sententiam, sed totum contra insanas suas hæreses conclusit. Videamus quæ in eo sequuntur.

Subiungit quid Christus hac interrogatione dicere voluerit. *Christus* (inquit) *hoc tantum voluit, hac lege nos à Domino vocari, vt spiritu renouemur in eius imaginè, ideoque vt perpetuò domi eius maneamus, veterem hominè cū suis inquinamentis exuendū esse, ac meditando nouam vitam, vt vestitus tam honorifice vocationi respondeat.* Hæc ille. Notanda fraudulenta doctrina. Ait quidem exigi hic verbis à Christo totius vitæ puritatem & sanctitatem (hoc est enim spiritu renouari in imaginem Christi, & exuere veterem hominem cum inquinamentis suis) sed ideo exigi *vt vestitus talis tã honorifice vocationi respondeat*: id est, non quia talis vestitus sit ad salutem necessarius, sed quia congruum est filios Dei per adoptionem gratuitam factos, piam ac sanctam vitam ducere filijs Dei dignam, & que tam honorifice vocationi respondeat. Hoc enim totum est quod hæretici hodie vitæ puritati ac sanctitati tribuere volunt, vt bona opera sint quidem Christianis hominibus digna, sint notæ & signa fidei ac vocationis nostræ, sint opera quædam eucharistica, vt ostendamus nos non ingratos esse gratiæ iustificationi nostræ

Fraudu-  
lenta Cal-  
uini do-  
ctrina.

per

Bonorum  
operum  
necessitas  
concludi-  
tur.

per Christū: sed nullo modo esse ad salutē & iu-  
stitiā necessaria, aut quē nos coram Deo iustos &  
gratos faciāt, vel deniq; vt ex eis iustificemur aut  
saluemur. Atqui totū hoc pestilētissimū eorū cō-  
mentū hic vnus locus subuertit, qui *vestem nuptia-  
lem*, quam ipse iam Calvinus ponit in totius vitæ  
puritate, videlicet in *renouatione spiritali, & in vete-  
ris hominis depositione*: non solum vt *vestitum honorifica  
nostre vocationi respondentem*, quod solum Calvinus  
hoc loco dicit, hunc fucum lēctōri faciēns vt vi-  
rē sanctitati aliquid magnū tribuere videretur;  
sed præterea vt vestitum penitus ad salutem ne-  
cessarium: quando qui eo caruit, hoc ipso nomi-  
ne, *proicitur in tenebras exteriores*.

Vidit hanc huius loci consequentiam & hanc  
difficultatem Calvinus. Vidit priorem fucū non  
penitus satisfacere nasuto & cordato lēctōri. Sibi  
igitur hanc difficultatem mouet, subiungens. *Sed  
quæritur qui conueniat mendicū atroci pœna multari,  
quia nuptialem vestem non attulerit; quasi verò noium sit,  
miseros qui victum in compitis quærant, laceros ac defor-  
mes conspici*. Proponit vāser hæreticus quæstionem,  
quasi de mendico & corporali amictu ageretur,  
non autē de vocato ex Gentibus ad fidem, adeo-  
que iam in conuiuio nuptiali discumbente, id est,  
credente & in sacramentis participante, ideoque  
nō fide tantū sed & bonis operibus (separari enim  
istā non possunt iuxta Calvinum) aut induto, aut  
certē induendo. De isto enim certē quæritur cur  
tā atroci pœna multetur, si bonorū operū vestis  
ad salutē necessaria nō est. *Respondeo* (ait Calvinus)  
*hic non tractari vnde vestis petenda sit*. Neque id hoc  
loco quæritur vnde vestis hæc petenda sit, sed  
quare hæc vestis tam rigidē exigitur, vt ea qui  
caret, *proiciatur in tenebras exteriores*. Declinat im-  
probis

Rursus  
fugit præ-  
sentem  
quæstio-  
nem.

probis hæreticus, & fugit verum statum quæstio-  
nis. Pergamus tamen, & totā eius responcionem  
audiamus. *Quam Dominus* (inquit) *quoscunque inuitat,  
simul etiam vsit: ac in omnibus nobis impletur, quod dicit  
Ezechiel. 16. 7. (vbi videlicet indumenta bonorum  
operum & dona gratiæ Dei præclare explican-  
tur) quem nihil Deus inuocant in nobis præter miseram  
nuditatem & fœtidās sordes, ornare nos splendido vestitu.  
Scimus etiam non aliter reformari nos in imagine Dei, nisi  
dum Christum induimus*. Hæc omnia vera sunt, quia  
vestis nuptialis quæ hic desideratur, tamen si nostra  
sit, nosque ea indui oportet, non tamen ex nobis  
est, sed ex multiformi gratiā Dei. Sed hoc totum  
huic quæstioni adhuc *παρεργον* est: & nihil ad rem  
præsentē pertinet. Concludit tamen statim Cal-  
uinus. *Non ergo pronunciat Christus, electum iri miseros  
homines qui peccatam vestem ex arca sua depromptam non  
attulerint: sed qui reperi fuerint in suis sordibus, vbi  
Deus ad examen de conuiuio suis habendum adueniet*. Duo  
dicit Calvinus in hac conclusione, quorum prius  
nihil ad præsentem causam facit, poiterius testi-  
timidē ac parçē prolaturum, ad causam tamen ob-  
tinendam contra Calvinū sufficit. Verū quidem  
est non id Christū hoc loco pronuciare, vt om-  
nes damnentur, qui ex proprijs naturæ suæ viri-  
bus fidem & bona opera non habent, neque ea  
de re vlla hic vertitur quæstio. Cæterum id agit  
Christus, quod tandem agrē agnoscit Calvinus,  
*quando Deus ad examē de suis conuiuio habendū adueniet,*  
siue id in iudicio cuiusque particulari & morris  
articulo fiat, siue (quod probabilius est) in iudi-  
cio omnium generali, illos *electum iri in tenebras ex-  
teriores qui in suis sordibus reperi fuerint*, id est, qui in  
peccatis suis (a quibus semel purgati per baptis-  
mum, Christum in eo induti fuerint) adhuc repe-  
riantur,

Caluini  
conclusio  
contra  
ipsum  
concludit.

R riantur,

riantur, abiecta stola prima in baptismo accepta, nec per poenitentiam recepta, vt ille filius prodigus mediante poenitentia à Patre misericordiarum recepit, dicente Patre, *Cutò proferte illi stolam primam*, &c. id est, quam prius in baptismo acceperat, vt præclare docet S. Basilius in homilia de Poenitentia. Summa ergo disputationis Caluianæ est, quòd ad tantam lucem verborum Christi attonitus, primum de veste nuptiali quæri non vult, fidem ne an bona opera significet : deinde

1. bona opera pro honore vocationis nostræ requiri non inficiatur ; sed ne ad salutem necessaria videantur (quòd hæc *vestis nuptialis* tam vehementer necessaria inuictè conuincit) nouam quæstionem proponit, non ideo damnari homines, quòd hanc vestem ex sua arca non depromant ; ægrè
2. tandem vno minimo verbo agnoscit, *homines in suis sordibus repletos damari*. Sed de veste nuptiali,
3. qualis illa sit, quàm ad salutem necessaria, perfidus interpret nihil apertè dicit, sed implicata illa & varia disputatione tenebras & caliginem veritatis offundere studuit. Exemplo esse potest hæc vna Caluini tergiuersario, quàm perfida & cauteriata conscientia Scripturas tractent nostrorum temporum hæretici, sed omnium maximè Caluinus ipse.

Luc. 15.

Summa  
lactæ  
Calui-  
niana.

1.

2.

3.

4.

5.

16. *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.*Herodia-  
ni vnde  
sic dicit.

**F**INGIT hoc loco Caluinus aulicâ quandam apud Iudæos religionem ab Herode maiore, illo qui Christum natum persequeretur inuectam, vt Herodiani dicantur qui illi assentantes, homini semiindæo, & adulterino legis

gis professori, integram & puram legis obseruationem negligebant. Totum hoc fictitium & vanum est. Herodiani enim hoc loco dicuntur, qui census seu tributum à Romanis Imperatoribus Iudæis indicti collectores erant; quibus omnibus præfuit Herodes Agrippa, vel tunc à Tiberio constitutus, vel quia eo Consule cum Augusto census iste primum indictus fuit, vt scribit Dio. Herodianorum quidem secta apud Iudæos fuit, qui Herodi adulates, ipsum esse Christum & Messiam affirmarent, vt videre est apud Iosephum in Antiquitatibus Iudaicis. Sed ad illos quæstio de censu Cæsari soluendo, nihil pertinebat : nec Herodiani sed Galilæi erant, alia quædam seditiosa secta, qui censum Romanis soluendum negabant, de quibus Iosephus lib. citato, cap. 1. Sed istis aperte seditiosis hominibus adiungere se Pharisei, vt Christum tentarent, nec audebant, nec ad rem præsentem faciebat. Isti enim Herodiani censum exigebant : Pharisei non esse dandum musitabant. Vtrique Christum aggrediuntur, vt vel illos offenderet si solutionem negaret, vel populum, qui non libenter soluebat, si solutionem approbaret, quasi rem populo Dei indignam. Sed vtrique satisfecit Christus, Cæsari quod suum, Deo quod Dei erat, reddendum respondens.

Histor.  
Rom. lib.  
48.Lib. 18.  
cap 19.  
& 20.21. *Reddite quæ sunt Dei Deo.*

**E**X his Christi verbis mirabile corollarium infert Caluinus, vt dexteri sunt hæretici (si Scripturas tractandi potestas illis darur, à quo imprimis arceri debebant tanquâ hospites

R 2 &amp; adue.

& aduenæ, imò tanquã hostes & aduersarij fidei, iuxta antiquissimi Tertulliani saluberrimas Præscriptiones) ad omnem Scripturam in sensu suis placitis cõgruos detorquendam, & obtorto collo pertrahendã. Ad hæc quippe verba sic scribit Caluinus. *Hoc discrimen tenendum est, quom Dominus ad regendas animas vnicus legislator esse velit* (ecce iam Christus legislator erit, quum id Caluino commodum est, qui supra ad cap. 5. Matth. fortissimè id negauit) *non aliunde eius colendi petendam esse regulã quã ex ipsius verbo, atque in solo puroque cultu, qui illic prescribitur, manendum.* Hæc ille. Verbi Dei nomine semper Scripturam & scriptũ verbum intelligit Caluinus, licet aperte ita loqui nolit, vt absurda eius doctrina minus lectori pateat, & vt probabilius loqui videatur. At verò in his verbis, *Reddite que sunt Dei Deo*, nec de seipso Christus propriè ac distinctè loquitur, nec de verbo scripto intendit loqui, & omniũ minimè de solo verbo Dei scripto. Christus Iudæis & eorũ præpostera superstitioni respondit, qui, vt Caluinus ipse hoc loco commemorat, *violari ius Dei et lecti eius cultum existimabãt, si quoad externam politiam Romanis parerent.* Videtur igitur eorum hypocrisis perstringere, ac si dixisset: *Valde solliciti estis si tributum soluatur Romanis, ne quid ex Dei honore decedat. Atqui potius danda opera est, vt Deo cultum exhibeatis quem a vobis requirit: interea hominibus etiam reddatis quod suum est.* Hæc ipse Caluinus. Docet igitur Christus Iudæos his verbis, Deum esse purè ac sincerè colendum, eaque præstanda omnia, quæ ad Dei cultum atque obsequium spectant. Non docet hoc loco vel seipsum esse Deum, vel legislatorem esse animarum, vel ea omnia præstanda quæ ipse docet: multo minus quæ postea in Scripturas Euangelicas vel Apostolicas redigenda

Caluini  
contradi-  
ctio.

Solius  
Scripturæ  
perf. ctio  
an po-  
nenda.

da erant. Hæc quidem omnia vera sunt: sed hæc isto loco non docentur. Non esse autem aliunde petendam colendi Dei regulam quã ex solo Dei verbo eoque scripto, nec hæc dicitur, nec ex Christi dictis villo modo consequitur. Quæ enim ista tandem consequentia est: *Date Deo que Dei sunt.* Ergo iuxta solas Scripturas diuinas Deus colendus est, non iuxta aliquam doctrinam non scriptam. Planè qualis ista est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua:* Ergo solus Deus diligendus est, non proximus, non parentes, non quos tibi præfecit Deus. Sicut enim mandatum de diligendo Deo non probat solum Deum esse diligendum, nec excludit dilectionem proximi, quia diligendo proximum vt oportet, Deum quoq; diligimus; & simile est hoc mandatum alteri, sic mandatum de colendo Deo, etiam si intelligatur secundum Scripturas diuinas, non probat secundum solas Scripturas colendum esse Deum, nec excludit traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas non scriptas, quia seruando illas, & colendo Deum iuxta illas, secundum Scripturas Deum colimus, quæ traditiones non scriptas retinendas esse docent ipsæmet; & similis est ratio traditionum Apostolicarum & Ecclesiasticarum, atque Scripturarum, quia in vtrisque Deus loquitur, & vtræque à Deo sunt. Ita frustra, fraudulenter, & ineptè corollarium hoc & appendicem Christi hoc loco doctineque subternere Caluinus voluit.

Calui-  
nianæ cõ-  
sequentiæ  
futilitas.

(..)

23. *In illo die accesserunt ad eum Sadducei.*

**N**O TAT hoc loco Calvinus, contra Catholicos, quasi præuentione vsus, quod contra se & suos optimo iure notandum esse aduertit. *Hic* (inquit) *videmus vt Satan impios omnes, quibus alioqui pessime inter se cõuenit, ad oppugnandam Dei veritatem simul colligat. Nam quum duabus istis sectis hostilis esset dissensio (Phariseis & Sadduceis) tamen aduersus Christum conspirant. Ita hodie videmus omnes Satanae copias, quamuis alioqui alie alijs contrariae sunt, & in omnibus hodie hæreticis ac sectarijs, qui omnes vnanimiter contra Catholicam doctrinam scriptitant, prædicant, verbo & calomniant, verissimum esse conspicitur: quod & nos alio loco latius ostendimus. Sed Calvinus scabiæ ac turpitudinem suam ac suorum alijs affricare vult. Ait enim. *Et tam infesto odio flagrant Papiæ contra Euangelium, vt Epicureos, Libertinos, & alia huiusmodi portenta libenter fouant, modò ad illud labefactandum vtantur bis adiutoribus. Mutato nomine, de re, deque reus, Caluine, fabula narratur, Epicurei & Libertini quos nominat Calvinus, quales homines sint, aut quos illa nomina perstringant, diuinandum lectori relinquit. Quomodo Ecclesia Catholica huiusmodi portenta foueat, aut quomodo illis adiutoribus contra Caluinisimum, quem Euangelium hic vocat Calvinus, Catholici vtantur, nihil explicat, nihil dicit, Sicuti dolosi versantur semper in generalibus; & quum certa criminis species deficit, in genere debacchantur improba meretriculæ: sic Calvinus hoc loco nec à maledicendo temperare sibi potuit, quia improbus est; & non nisi**

In Prõpr. Morali, Dom 22. post Pen. rec. tex. 2. Calvinus suam scabiem alijs affricat.

nisi in genere maledicere voluit, quia dolosus est. Clarum autem est, totique mundo notissimum, contra vnã Catholicam Ecclesiam, eiusque fidem sacrosanc̃tam, antiquam, Apostolicam, omnes hodie quascunque sectas; Calvinistas, Lutheranos, Anabaptistas, & quosuis alios operosissimè scribere. In Anglia contra solos Catholicos tam Caluino-Papistæ, vt à Puritanis vocantur, quam Puritani, Superilluminati, & aliæ sectæ, persecutionem acerbissimam mouent, fouent, & accendunt. Cogimur in scriptis nostris pro fide orthodoxa, modò Lutheranorum, modò Calvinistarũ, modò Caluini, Bezae, Musculi, modò Chemnitij, Melanchthonis, Magdeburgensium argumenta soluere, maledictis respondere, mendacia deregere. Nunc bonus Calvinus ne hanc suam & suorum turpitudinem in hac Phariseorũ, Sadduceorũ, & Herodianorum contram vnũ Christum pugna quisquam aspiceret, auertit lectoris oculos ad vmbas quasdam à se confictas Epicureorum & Libertinorũ, qui vnã cum Catholicis Principibus, Pastoribus, ac Scriptoribus, Caluini cacægelion infesto odio persequuntur.

24. *Magister, Moyses dixit, Si quis mortuus fuerit non habens filium, &c.*

**O**BSE RVARE hoc loco licet, omnes veritatis hostes contra ipsam veritatem testimonia veritatis obtendere. Putauit sibi hoc obseruandum Calvinus, vt, dum alios accusat, se se ab eodem crimine immunem esse persuadeat. Ait enim. *Sic impij omnes ac hæretici calumnijs fabricant, quibus deformant veram pietatis doctrinam, ac ped. faciunt seruos Christi.* Nec generali hac veraque obseruatione contentus, addit. *Imò Papiæ*

Caluinus suum crimen alijs impingit.

*Ne nulla verocordia tenentur, quo minus aperte Deo verba que eius illudant, dum nos circumuenire tentant.* Suam iterum fixidam scabiem alijs affricat; & præocupatione vsus, crimen horrendum, quo ille vnus maximè tenetur, alijs impingit. Vnum quippe Caluinum Deo, verbóque eius Euangelico, turpissimè & audacissimè illudere, vt simplicem lectorem circumueniat, per tot iam Euangelij loca ostendimus; quot contra corruptelas eius iam pertractauimus: per tot rursus loca ostēdemus, quot deinceps, fauente Deo, tam in hoc quàm in alijs Euangelistis tractaturi sumus. Et ne longè abeamus, in hoc ipso S. Scripturæ textu, quem citant Sadducæi, illudit præsentī Scripturæ Caluinus siue per ignorantiam, siue per superbiam, vt aliquid præ ceteris sapere videretur. Legem enim illam, quòd frater defuncti fratris vxorem ducat, ad semen suscitandum fratri suo, negat Caluinus *de fratribus germanis intelligendum esse. sed de consobrinis tantum & similibus.* Quod aperte falsum etie veteris populi praxis in Scripturis deposita ostendit. Quum enim eadem lex apud Patriarchas quoque veteris populi maneret, propter eandem tunc huius legis causam, ne familiæ earundem tribuum interirent, Iudas duobus filijs suis fratribus germanis Her & Onan Thamar vxorem dedit, & culpam suam postea agnouit, quòd tertio filio suo Sela eandem nō dedisset, reliquis duobus fratribus cita morte à Deo percussis.

29. *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

**I**NSIGNIS hic locus est, ad totius erroris, quo veritatis hostes hæretici laborant, fontem atque originem duplicem demonstrandam. Duas

ob

ob causas errare Sadducæos dicit Christus: tum quia Scripturas ignorabant, tum quia Dei virtutem ac potentiam admirabilem non credebant. Vtrumq; agnoscit hoc loco Calvinus. De priori dicit. *Hæc Christi obinugatio generaliter in omnes falsorum dogmatum inuectores competit. Nam quum nobis in Scripturis clarè Deus affulgeat, errorum omnium fons & causa est eorū ignorantia.* De posteriori (licet obscurius) dicit, *ritè & prudenter eos demum sentire & loqui de regni celestis mysterijs, qui Dei potentia cū Scripturis coniungunt.* Quæ quidem posteriora verba duplicem habere sensum possunt: vel vt tum Scripturas tum Dei potentiam circa regni celestis mytheria considerare debeamus, qui huic loco consentaneus est: vel vt Dei potentia cum Scripturis ita coniungatur, vt de Dei potentia nihil credendum sit, nisi quod in Scripturis reuelatum est; qui sensus ab hoc loco alienissimus est, nec perinde verus. Et quia in hoc sensu alibi de Dei potentia disputat Calvinus, merito quo sensu hic dicat Dei potentia cum Scripturis coniungendā, dubitare possumus. Ad rem autem ipsam parum interest. Christum enim duas erroris causas notare perficuum est. Nam primū ignorasse Sadducæos Scripturas probat Christus, quia Scriptura aperte vocat Deum, *Deum Abraham, Isaac, & Iacob: Deus autem non est Deus mortuorum, sed viventium.* Vtunt ergo quoad animas (nam & hoc Sadducæi negabant, nō credentes animarum immortalitatem, vt de illis scribit Iosephus Antiq. lib. 18. cap. 2.) & victuri sunt quoad corpora; quia vnum ex altero consequitur, propter perpetuam illam inclinationem animæ ad corpus, quæ frustra esse non potest. Postea virtutem ac potentiam Dei eos ignorasse probat, quia post resurrectionem

Ignorantia & incredulitas.  
Hæresum origo duplex.

R 5

corporum

Calvinus  
Scripturarum  
corruptor  
maximus.

Gen. 38.

corporum non viuent vita mortalium communi, quasi cibo & potu indigentes, quod illi crasse existimabant, quasi Deus aliter eos in vita corporali sustentare non posset; sed viuent sicuti Angeli vita spiritali, tamen in corpore, quod etiam resurget spiritali, id est, cum dote subtilitatis.

Ignorantia & incredulitas in hereticis modis.

Notandum autem hoc loco diligenter, quomodo vterque hic erroris fons in nostros hodie hereticos & Calvinū imprimis ad amussim quadret. Dicit Christus errare Sadduceos, quia nesciebant Scripturas. Non quia prorsus illas ignorabant, aut non legebant, (solas quippe Scripturas isti Sadducei, quamquam non omnes, sed solū Pentateuchum recipiebant, omnibus reiectis traditionibus, teste Iosepho Antiq. lib. 13. cap. 18. nostris hereticis hac in parte simillimi) sed quia quas solas legebant, eas ipsas non intelligebant. Idcirco enim Christus ex solo Pentateucho & libro Geneseos contra eos testimonium profert, ut eos conuincat etiam Pentateuchum, quod solum tenebant, non intelligere. Sic omnino errant hodie heretici, & in errorem mittunt, quia nesciunt Scripturas, id est, quia nō intelligunt illas; sed vel ignoranter illis abutuntur, vel maleuole & impiè illas deprauant; ut omnium maximè Calvinus, sicuti hæc nostra locorum Euangelicorum explicatio ad oculum docuit ac docebit. Deinde Sadduceis istis simillimus est Calvinus, quia sicut illi Dei virtutem & potentiam ignorabant, sic & Calvinus Christi corpus in venerabili Eucharistia verè & realiter adesse, idcirco pertinacissimè negat, quia illud corpus Christi verè & realiter in cælo est, nec in duobus locis vnum corpus simul consistere potest. Asserentibus Catholicis

Calvinus Dei potentiam negat.

licis Deo hoc impossibile non esse, idque ex argumentis certissimis, quum locus corpori quatenus corpori vt substantiam non quantitatem designat, nihil sit intrinsecum, præfatur quidem seu preludit potius Calvinus *improbam calumniam esse* Infitur, quod Dei potentiam ab eo negari dicimus, moxque varia lib. 4. cap. 17. nu. 24. mirabilia circa suum commentitium canalem, quem Christi corpori substituit, enumerat; & ait multa ibi subesse miracula, quasi hoc eū excusare debeat, quod quædam in Deo agnoscat miracula, qualia ipse commentus est; & alia neget, quæ ex disertissimis Christi verbis necessario sequuntur. Deinde respondet non hinc queri quid Deus potuerit, sed quid voluerit, quasi velle Christum id fieri quod factum esse dixit, dubitare quis debeat; aut quasi nō satis expressè de eo, quod in manibus tenebat, dixerit, Hoc est corpus meum: quum interea idem corpus in alia quantitate & specie mensæ accubuerit. Ad aliam Christi voluntatem, quæ nihil ad præsens Sacramentū pertinet, cōuertit se Calvinus; quod verus homo esse voluerit, similis fratribus per omnia absque peccato, ideoque vera carne indutus qualis nostra est. Quod quidem vt verum est, ita nihil ad rem præsentem facit; tum quia ipsi carni nostræ & cuius corpori non repugnat per absolutam Dei potentiam pluribus in locis esse, vt theologi demonstrat, tum quia Christi caro ita vera ac naturalis erat, vt naturæ tamen legibus non subijceretur. Vnde quum adhuc mortalis esset, clauso matris utero exiuit, super aquas ambulauit, per medium densæ multitudinis, quæ præcipitare eum volebat, transiit, denique in fulgidissimam speciem transfigurata erat. His itaque frustra allegatis, quum vigeret, cur Deus non faciat vt eadem caro diuersa loca occupet, primum respondet *insanum esse*

Math.

esse à Dei potentia postulare, ut carnem faciat simul esse car-  
nem & non esse carnem. Quasi caro esse desinat, quā  
aliquid illi supra naturæ suæ conditionem ex di-  
vina potentia accidit: quod in tam multis Chri-  
sti carni adhuc mortali accidisse superius accipi-  
mus. Non minus, imò magis intrinsecum est igni  
vrere, quàm corpori vno certo loco contineri.  
Ignis tamen & verus ignis erat, quem in rubo  
Moyse videt ardentem, & qui rubum non com-  
bureret. Ignis & verus ignis erat, qui in fornace  
tres pueros iniectos non laedebat, ad ostium au-  
tem fornacis stantes voracibus flammis absorp-  
sit. Hæc igitur Caluini responsio eius adhuc  
blasphemiam non excusat. Tandem concludit, &  
totum effundit venenum. *Carnem igitur* (inquit)  
*carnem esse oportet, spiritum spiritum, vnumquodque qua à*  
*Deo lege & conditione creatum est.* Hic omnipotentiam  
Dei clarissimis verbis homo impius negat. Astrin-  
git enim Deum ad legem & conditionem rerum  
creatarum. *Vnumquodque* (inquit) *qua lege & condi-*  
*tionem à Deo creatum est, ea oportet esse.* Ignis nonne à  
Deo hac lege & conditione creatus est, ut adure-  
ret, sol ut suum in cælo cursum teneret, luna ut  
solis corpori, nisi quum in combusto est, non sub-  
deretur, corpus ut densum ac ponderosum sic esset  
ut nec aliud corpus penetrare, nec nisi à solido  
corpore sustineri posset, deniq; ut non scilicet nisi  
humanam speciem & hominum oculis facile aspe-  
ctabilem retineret? Nonne, inquam, hæc singula  
hac à Deo lege & conditione creata sunt, non se-  
cus quàm *carnis conditio est, & vno loco, ut sua dimensio-*  
*ne, ut sua forma conficit,* quod hic Caluinus de carne  
vrgit. Et tamen, nisi multis alijs Scripturis con-  
tradicere vult Caluinus, fateri cogitur ignem ali-  
quando ex Dei potentia non comburere; solem

Exod. 3.

Dan. 3.

Omnipotentia  
Dei clarè  
negat  
Caluinus

Dan. 3.

ex

ex Dei potentia ad preces Iosue cursum suum in  
cælo suspendisse; lunam, quum iam plena & ex  
opposito solis staret, vnico momento medium  
cæli spatium decurrisse, ut corpori solis subdere-  
tur, nisi fortè, (quod non secus naturæ leges supe-  
rat,) solem offuscare stans in opposito potuit.  
Christi carnem natura densam vterum matris  
clausum, posteaq; sepulchrum, & clausas ianuas  
penetrasse, eandem quoque carnem fluidis aquis  
inambulasse, ac demum in speciem mutatam esse  
quæ solis splendorem æquaret, quam humani ocu-  
li ferre nequirent. Negat igitur disertissimè Dei  
potentiam impius Calvinus, ideòque erat tur-  
pissimè in tota doctrina venerab. Eucharistiæ,  
*nesciens Dei virtutem.* Sadducæi nescientes Dei vir-  
tutem, negabant resurrectionem corporum, qua-  
lis futura est, spiritualem & gloriosam, quasi rem  
Deo impossibilem. Calvinus nesciens Dei virtu-  
tem, negat Christi corpus verè & realiter à nobis  
manducari, cuius tamen manducatio resurrectio-  
nem illam corporum nostrorum spiritualem &  
gloriosam operatur, dicente Christo, *Qui mandu-*  
*cat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam*  
*æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die,* id est,  
*Hæc corpus quod comeditis, resuscitabit vos,* ait D. Cyril-  
lus: negat hoc, inquam, quia Dei virtutem nescit.  
Atque ita sicut resurrectionem ipsam Sadducæi,  
sic vnam resurrectionis causam Calvinus idcirco  
negat, quia Dei virtutem ac potentiam vtrique  
nesciebant. Imò iuxta Caluini regulam nec om-  
nino à mortuis caro resurget, quum & carni in-  
trinsecum sit, ut semel corrupta eodem numero  
nequeat amplius existere, quia naturæ axiomata  
est, à priuatione ad habitum nullum esse regres-  
sum. Adeò hic locus & duo isti errorum fontes,

Iosue 10.  
Matth. 27.Matth. 14  
& 17.Saddu-  
ceorum  
& Calu-  
ni com-  
paratio.

Ioan. 6.

In com-  
ment.  
ibidem.

ad



ad hæreticos hodie & ipsum imprimis Calvinum ad amussim quadrant. Et alij quidem exemplis demonstrari hoc posset: sed aliqua instructio ad Calvinum merito execrandum, hoc vnum esse potest.

32. *Non est Deus mortuorum, sed viventium.*

Sancti in  
caelo non  
sunt vocandi  
mortui.

**D**O CET hæc Christi responsio impiè ac profanè horum temporum loqui hæreticos, & ad Sadduceorum impietatem quam proximè accedere, qui quoties contra cultum & inuocationem Sanctorum in caelo cum Christo regnantium loquuntur, toties eos *homines mortuos* vocant, nosque *mortuos colere* & inuocare affirmant. Probat Christus resurrectionem mortuorum in genere, (nam de illa querebant Sadducæi, & generaliter Christus dicit, *Quod autem mortui resurgent, Moyses dicit, &c. Luc. 20*) quia *Deus non est mortuorum Deus, sed viventium. j. Omnes autè illi viuunt, vt Lucas addit, ergo omnes resurgent. Omnes autem Deo viuunt, etiam impij, nec nisi dormiunt, euigilaturi tandem, quia fixum est decretum apud Deum est quòd omnes resurrecturi sunt, vt hunc locum exponit Irenæus, & propter pollicitationem resurrectionis, ait in hunc locum Chrysostomus, quem cæteri Græci sequuntur. Quoad animas viuunt mortui, etiam omnibus hominibus, qui sciunt animas esse immortales. Sed omnes Deo viuunt, & non nisi dormiunt, quia ex Dei decreto & certa scientia omnes resurgent, sicut in Evangelio de filia archisynagogi resuscitanda dixit Christus, *Non est mortua puella, sed dormit, quia certò decreuerat Christus eam resuscitare. Specialiter tamè Sanctorum Deus dicitur, quia specialiter illi viuunt:**

Lib. 4.  
cap. 9.

Luc. 8.

tum

tum quoad animas in gloria, tum quoad corpora in spe resurrectionis. Vtrumque negant hæretici, quum de Sanctis tanquam de mortuis disputant, & Christi hoc loco responsionem dupliciter enervant. Exponit Calvinus hoc loco *omnes Deo viuere, quia fideles, postquam mundo interierint, agunt caelestem vitam cum Deo: quum certum & euident sit, non omnes hoc sensu Deo viuere, ideòque hunc sensum illa verba, quæ generaliter loquuntur, habere non posse. Clarius alibi hæc contra seipsum liquidam veritatem professus est. Sic enim ad Act. cap. 7. hæc eadem Dei verba tractans scribit. *Ex hoc loco Christus non absque optima ratione colligit, pios post mortem esse superstites. Nam si totus homo in morte intereat, inepta esset locutio: Ego sum Deus Abraham. Ergo Abraham, Isaac, & Iacob, quamuis carne perierint, spiritu tamen apud Deum viuunt. Hæc ibi Calvinus. Suam igitur impietatem hac duplici expositione satis superque ipsemet refutauit, qui Sanctos omnes non secus quam Abraham, Isaac, & Iacob apud Deum viuentes, Mortuos passim vocat.**

27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

**P**R O P T E R hoc præceptum & illud alterum huic simile, *Non concupisces, legem obseruatu impossibile esse, dicere hoc tempore heretici ausi sunt: & ad hæc verba hoc in loco Calvinus ita scribit. *Ex hoc cõpendio apparet Deum in legis præceptis non respicere quid possint homines, sed quid debeant. Nam in hac carnis infirmitate fieri non potest vt perfectus Dei amor regnum obtimeat. Scimus enim quam propèst sunt ad vanitatem omnes sensus nostri. Perniciosa & pestilens hæc doctrina est, tam crudè & indi-**

Manda-  
tum dile-  
ctionis  
Dei non  
est impos-  
sibile in  
hac vita.

di.

distincte posita. Deus quippe in præceptis legis non quidem respicit quid possint homines ex se, & ex nature sue viribus, sed quid possint atque ideo debeant ex adiutorio suæ gratiæ perficere. *Idcirco nobis præceptum est* (ait S. Augustinus) *ut Deum tota anima diligamus, (quod non fit dum caro concupiscit adterrus animam) ut adnoneremur quid fide expiscere, quò spem præmittere, & obliuiscendo quæ retrò sunt in quæ anteriora nos extendere debeamus.* Hæc ille. Est igitur hoc præceptum perfectionis, cui obstat concupiscentia, quæ quia in renatis culpabilis non est, absque culpa hac perfectione caremus. Perfectionem dico omnimodam qualem sonat præceptum. Vnde alibi August. *Quamdiu est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus.* Ait non omnimodo ex tota anima diligi Deum. Nempe quia *minuitur ista dilectio & delectatio spiritalis sanctorum mentium dum ad alteram concupiscentiam debellandam occupatur bellantis animus: ut contra Iulianum docet lib. 4. cap. 2.* Et hæc est illa carnis infirmitas & propensio ad malum de qua hîc Caluinus loquitur. Sed ea non obstante, *exercet gloriosa certamina miles Christi* (ait eodem loco August.) & verè diligit Deum ex toto corde, *quia licet totam non assequatur eharitatem, nullam tamen sequitur cupiditatem,* ait August. de Spiritu & lit. cap. ultimo: vel ut expressius S. Thom. docet, licet totum cor actualiter in Deum non feratur semper, tamè habitualiter fertur, quamdiu nihil contra dilectionem Dei cor admittit. 2. 2. q. 44. arr. 4. ad 2. Et hoc sensu in præceptis legis respicit Deus quid facere debeamus: nempe ut legem, quam tulit, impleamus, sed tanquam viatores, non tanquam possessores & hæredes vitæ æternæ: id est, in carne adhuc viuentes, sed

De Spir.  
& lit. cap.  
vlt.

In lib. de  
perfeet.  
iustitiæ.

Præcepta  
legis quo-  
modo faci-  
enda.

sed non secundum carnem viuentes. Christus quippe *in carne sua de peccato damnavit peccatum, id est, per carnem suam, ut hostiam pro peccato oblatam, multavit peccatum, & sustulit dominium eius in omnibus filiis adoptionis, in quorum cordibus diffusa est charitas per Spiritum S. qui datus est illis, ut iustificatio legis impletur in illis, seu ab illis, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.* Sicut ergo præceptum Dei est quod servare & debemus & possumus, non ambulare secundum carnem (quia si secundum carnem vixeritis, moriemini, ait Paulus) sic præceptum est quod servare & debemus & possumus, diligere Dominum ex toto corde: id est, non ambulare secundum carnem, nullam sequi cupiditatem. Vnde August. *Prudentia carnis per Christum ablata & extincta, in expugnatione legis impletur, quum non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulamus.* Hæc prudentia carnis est sapere secundum carnem, & sequi cupiditates eius. Hoc per Christi gratiam tollitur; & ideo per Christi gratiam omnes cupiditates pravae superare & debemus & possumus; *ut non regnet peccatum in mortali corpore nostro ut obediamus concupiscentiis eius, etsi maneat peccatum seu peccati propensio quam hîc Caluinus vrget, sed regnet gratia per iustitiam,* ut Paulus loquitur, id est, regnet amor Dei perfectus: quod fieri posse impiè hîc negat Caluinus, perfectus, inquam, iuxta viæ perfectionem in qua adhuc sumus, quæ est, nullam sequi cupiditatem; *non obedire concupiscentiis carnis, tamen ipsa maneat in carne concupiscentia, denique condelectari legi Dei secundum interiorem hominem, quod est, mente servare legi Dei, mente & animo Deum diligere, licet caro serviat legi peccati, id est, licet caro & carnalis infirmitas concupiscere non desinat.*

Rom. 5.

Rom. 8.

In expo-  
sit. qua-  
runt  
proposit.  
in epist.  
ad Rom.

Rom. 6.

Rom. 5.

Rom. 6.

Rom. 7.

38. *Diligens proximum tuum sicut teipsum.*

Charitatis  
ordo de-  
fenditur.

**H**oc quoque præceptum suo sermone corrumpit Calvinus. Negat enim ordinem charitatis, quem perspicue præceptum ponit, videlicet vt dilectio respectu proximi incipiat à seipso. Sic enim scribit. *Quum proximos sicuti nos ipsos diligere iussit Moyses, noluit amorem nostrum priore loco statuere, vt quisque seipsum prius amet, deinde proximos, quemadmodum Sorbonici sophistæ cavillantur, regulatum inferius esse sua regula; sed quum simus nobis nimium dediti, Moyses vitium hoc corrigens, proximos nostros æquali gradu statuit; ac si vetaret vnumquemque alijs neglectis habere sui curam, quia charitas in vnum corpus omnes coniungit. Et charitatem corrigens, quæ alios ab alijs separat, singulos ad communem societatem, & quasi mutuum complexum reducit.* Hæc ille. Homo reprehendendi audus, reprehendit quod nescit. Nescit enim à scholasticis, quos hic Sorbonicos sophistas vocat maledicendi cupidus, communem illam societatem & mutuum complexum omnium proximorum difertè in hoc præcepto doceri; sed quia in ipsa societate communi, casus frequenter accidunt vt omnibus ex æquo subueniri nequeat, diligenter ab illis quæri, quis sit præcepti huius sensus in casibus huiusmodi. An te & proximo æqualiter periclitante, quum vtrique subuenire nequeas, prius ne tibi prospicere debeas an proximo. An etiam meliore te periclitante, teipso neglecto illū iuare tenearis. *Proximus diligitur* (ait S. Thom.) *secundum rationem societatis in bono.* id est, dilectio proximi docet socialem & communem esse debere dilectionem nostram, nō priuatam, in eo bono quod ipsi restè & ordinatè diligimus, videlicet in Deo.

In Summa 2, 2, q. 26, art. 4.

Conse

*Consociatio autem ista est ratio dilectionis secundum quamdam unionem in ordine ad Deum. Vnde sicut vnitas potior est quàm vnio (nam ab vnitate vnio incipit, & principium semper in suo genere cæterorum caput est) ita quod homo ipse participet bonū diuinū (in quæ participatione potissimum proximus diligendus est) potior ratio diligendi, quàm quod aliis associetur sibi in hac participatione. Hæc explicatio non tollit mutuum complexum in hoc præcepto positum, sed in hoc complexu quis ordo sit tenendus; præterea docet: vt frustra propter vnum aliud conuellere Calvinus conetur.*

## IN MATTHÆI CAP. 23.

2. *Sedebant super cathedram Moysi Scribæ & Pharisei. Quæcunque ergo dicunt, facite & seruate.*

**T**ORSIT hic locus Calvinum, omnique hæreticos torquet, qui *cathedram contra cathedram, & altare contra altare erigunt, vt veteres piè & grauiter loquuntur.* Docet quippe disertissimè Christus audiendos esse qui cathedrâ tenent, id est, qui potestatem docendi legitimam habent, vt cunque aliter ipsi viuant quàm docet: quod illis quidem summū dedecus ac vituperium est; ouibus autem & subditis nullum impedimentum esse debet, quo minus rectæ & sanæ eorum doctrinæ acquiescant. Verfat itaque se hic in omnem partem Calvinus. Nec apertam veritatem diffiteri potuit, nec à loci tamen corruptela abstinerere voluit. *Sedet* (inquit) *in cathedra Moysi, qui*

Episcopalis & pastoralis authoritas defenditur.

non ex seipſo vel proprio ſenſu, ſed ex Dei authoritate & verbo præcipit. Rectè hoc quidem. Sed quia quilibet magiſter mendax, qui non niſi ex ſeipſo loquitur, vendicare id ſibi poteſt, & ſolet, quod ex Dei authoritate & verbo præcipiat, egrè quidem adiecit, ſed neceſſariò adhuc adijciendum vidit, de legitima docentis vocatione, quæ propriè ad cathedram Moſis vel Chriſti pertinet. Addit igitur. *Simul tamen legitima vocatio hîc notatur: quia ideo audiri Scribas iubet Chriſtus, quòd publici eſſent Eccleſiæ doctores.* Rectè illi me. Cur igitur, Caluine, publicos Eccleſiæ doctores deſpexiſti? Cur abſq; legitima vocatione eiectò prius Epifcopo qui Cathedram illic tenebat, Genevæ poſt Farelum, qui primus erat, docendi munus tibi arrogaiſti? Cur denique eorù communionem deſeruiſti, quos per orbem terrarum ſucceſſionis ordinem cuſtodientes, ſedere in ſedibus Epifcopalibus vel vididiſti vel laudiſti, & Donatiſtarù impietate hac in parte imitari voluiſti? Pupugit hic ſcrupus Caluinum, & ſibi ipſi malè conſcius, tantum facinus à ſeſe amoliri ſtudioſè contendit. Subiungit igitur. *Papiſtis ſatis eſt titulo præditos eſſe, ac locum occupare, qui leges imponunt. Huc enim torquent verba Chriſti, quaſi necèſſe ſit obedienter recipere quicquid mandant ordinarij Eccleſiæ Præſides. Ecce agnoſcit Catholicos eorum locum occupare qui leges imponunt, & eſſe ordinarios Eccleſiæ Præſides: non tamen recipiendum eſſe quicquid mandant. Nonne igitur & Chriſto & ſibi ipſi contradicit? Chriſto, qui de huiuſmodi dixit, *Quæcumque dicunt, ſervate & facite: ſibi ipſi, qui dixit, *Audiri iubet Scribas Chriſtus, quòd publici eſſent Eccleſiæ doctores?* Aut ergo malè iubet hoc Chriſtus, aut Chriſto contradicit Caluinus. Iubet audiri Chriſtus. Nō eſt necèſſe audire, ait Caluinus. *Obedienter quippe***

Calvinus  
& Chriſto  
& ſibi  
contra-  
dicit.

recie

recipere quod mandant, audire eſt in ſenſu Chriſti; videlicet ſervare & facere ea quæ dicunt. In quas ſe hîc anguſtias compegit Calvinus, qui vt ſchiſmatis ſui fixiditatem quoquo modo obtegeret, eodem penè halitu pugnantia protulit!

Sed placuit illi magis poſterioraſſertio; quam vt aſtruat, Chriſtum quoque ſibi contradicere bonus interpretès monſtrare vult. Addit enim. *Atqui ſatis ſuperque hæc calumnia refellitur altero Chriſti edicto, ubi à fermento Phariſæorum cauere iubet.* Calumniam vocat ipſam Chriſti doctrinam de audien- Matth. 16.  
Chriſti  
doctrina  
Caluino  
calumnia  
eſt, dis Scribis & Phariſæis ſuper Cathedram Moſis ſedentibus. Hanc ab ipſo Chriſto per alterù eius edictum ſatis ſuperque refelli ait. Nonne bellus interpretès Calvinus, qui Scripturas inter ſeſe committit: qui Chriſti doctrinam calumniam vocat: qui Chriſti hoc loco doctrinam ipſo Chriſti edicto refellit? Sed quomodo tandem refellit? Sequitur. *Si reſpicere authore Chriſto non tantum fas eſt, ſed etiam oportet, quicquid pure legis doctrine de ſuo Scribæ admifcent, certè non ſine delectu & iudicio amplecti conuenit, quicquid ipſis mandare libuerit.* Hæc ille. Cæterù quo ſenſu à fermento Phariſæorum Chriſtus cauere iuſſerit, & quòd illud Chriſti edictum huic eius mandato nihil repugnet, ad illa ipſa verba (ſuprà cap. 16.) contra Caluinù demonſtrauimus. Summa eſt, quando ex cathedra loquantur qui cathedram legitime tenent, id eſt, quando iuxta doctrinà à maioribus ſuis continua ſucceſſione acceptam docent, audiendos illos eſſe vt Chriſtus hîc mandat; quando verò non à maioribus acceptam, ſed ſuam aliquam nouam & propriam doctrinam adferunt, quaſi fermentum peſſimum reiſciendam eſſe. Atque hoc modo, quatenus ſuper cathedram ſedent, ſervare & facere oportet quæ

dicunt, obedienter recipere necesse est quicquid mandant: quatenus sua fermenta admiscant, cauendi sunt. Hoc hæreticorū schisma nihil iuuat. Hoc legitimæ Præpositorum Ecclesiæ auctoritati nihil derogat.

Pergit tamen Calvinus ut Ecclesiæ magistris obtemperandum non esse doceat. Deinde (inquit) si hominum præceptis suorum conscientias hic Christus obstringeret, falsò alibi pronuntiaret frustra Deum coli hominum mandatis. Ecce rursus probare vult non esse audiendos Ecclesiæ doctores, quos Christum audiri iubere dixerat. Rursus & sibi & Christo cōtradicit. Hæc hæreticorum nefaria impietas est, apertissima Scripturæ verba, ex alijs eius verbis iniquissimè detortis, peruertere & corrumpere. Quo sensu Christus dixerit, *Frustra me colunt docentes doctrinas & mandata hominū*, supra cap. 15. prolixè explicuimus; & illa verba huic Christi mandato nihil aduersari, contra Calvinum demonstraui-mus. Concludit Calvinus. *Hinc apparet Christum cauteus populum hortari ut Scribis parcat, quantisper in pura & simplici legis interpretatione manent.* Christus non hortatur tantum sed & iubet populum (*Seruate & facite*) Scribis parere, non quidem quatenus legis interpretationem puram tradunt, de qua populus iudicare non potest pura ne & simplex an impura & adultera sit; sed quatenus *in cathedra Moysis sedent*, id est, quatenus traditam sibi & acceptam à maioribus doctrinam administrant: de quo populus iudicare, & noua ne an vetus doctrina sit quam adferunt discernere, facile potest populus iam orthodoxus ac fidelis: qualem hic Christus alloquebarur.

Sed pulchrum est quòd ex Sancto Augustino quædam profert Calvinus, quasi stimulo veritatis

eis adactus, quæ & hunc locum appositè elucidant, & luctam hanc & recalcitrationem Caluini inanem atque impiam fuisse demonstrant. Scitè enim Augustinus (ait Calvinus) & appositè ad Christi mentem Scribas super cathedram Moysis sedendo legem Dei docuisse exponit, idèoque oues debuisse vocem pastoris per ipsos audire tanquam per mercenarios. Quibus verbis continuo post subiicit, Deus ergo per illos docet. Sua verò si docere velint, nolite audire, nolite facere. Tract. in Ioan. 46. Cui sententiæ respondet quod idem tradit lib. 4. de doctrina Christiana. Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, idèò vtiliter audiuntur qui etiam vtiliter non agunt. Cathedra ergo non Scribarū, sed Moysis, cogebat eos bona docere etiam non bona facientes. Sua enim agebant in vita sua; docere autem sua, cathedra eos non sinebat aliena. Hic præter solitum circa Scripturæ Euangelicæ sensum Augustinum proferre Calvinus voluit; sed contra caput suum tantū Doctorem protulit. Vterque locus de fermento doctrinæ malæ vitæ in doctore veritatis, non de fermento doctrinæ propriæ in falso magistro loquitur; & quidem, ut fatetur Calvinus, *apostolus ad mentem Christi hoc loco.* Neque enim hic Christus aliud docet, quàm doctores veritatis secundum veritatem non ambulantes, in eo quod docent audiendos, in eo quod malè ambulant non sequendos esse. Quæ doctrina contra aliam Caluini & Caluinitarum hæresim plurimum valet, qua propter peccata Pontificum & cleri Catholici (quæ quàm possunt studiosissimè exaggerant) nec Pontificibus nec clero Catholico obediendum esse vociferantur. Sed Caluini sensum schismaticum, quòd sedentibus in cathedra obedire non sit necesse, Augustini verba nulla ex parte insinuant.

Malis  
Præpositis  
obediendum.

Augustinus à Caluino contra seipsum citatus.

De Doct.  
Christ.  
lib. 4.  
cap. 27.

Caluini  
dokus  
malus.

Cathedra  
sanæ do-  
ctrinæ.

Imò si posterioris loci verba integrè posuisset Calvinus, illum apertè refutassent. Sic enim habent integrè Augustini verba, à Caluino artificiose mutilata. *Quoniam boni fideles non quælibet hominum sed ipsum Deum obedienter audiunt, qui ait, Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt: idè audiuntur vtiliter qui etiam vtiliter non agunt. Sua enim querere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus, priusquam de talibus quod commemoravi diceret, præmisit, Super Cathedram Moysi sederunt. Illa ergo Cathedra non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua, Cathedra non permittebat aliena. Hæc Augustinus, ex cuius verbis callide refecit Calvinus: *Sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit.* Hæc quippe verba ipsam causam attingunt, cur qui cathedram Christi tenent, sua docere non audent, idèoque necessariò ab omnibus audiendi sunt. Nèpe quia *de loco loquuntur Sedis ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit.* Non quia qui illum locum tenet, docere falsa non possit; sed quia qui falsa docet, illum locum tenere nequeat. Illum enim locum *sana doctrina constituit*: quam qui non docet, ab illo loco depellitur, vt Nestorius, Eunomius, Eudoxius, alijq; plurimi Ecclesiasticæ sedis loca tenentes à suis locis depulsi sunt, quia sanam doctrinam deseruerunt. *Cathedram Ecclesiasticam, ait Augustinus, sana doctrina constituit*: id est, cura & prouidentia Dei de Ecclesia sua factum semper est, fit, & fiet, vt quum contra eius Ecclesiam portæ inferi præualere nequeant, & sine legitimè vocatis pastoribus portæ inferi præualerent, legitimè succedentes Pastores*

stores nunquam desint. Vnde alibi S. Augustinus. *Epi. 166. Cælestis magister de malis Præpositis securam suam plebemi fecit, ne propter illos doctrina salutaris Cathedræ desireretur: in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in Cathedra vnitatis posuit doctrinam veritatis.* Hæc ille: Vide eundem in libro de Pastoribus cap. 10. & contra Pétilianum libro 2. cap. 61.

II. *Qui maior est vestrum, minister vester erit.*

**Q**VVM doceat hic locus, eumque semper Ecclesia sic intellexerit Catholica, summam in Ecclesia dignitatem non imperium esse tyrannicum aut profanum, vbi stat pro ratione voluntas, sed ministerium ad vtilitatem populi Dei, idèque summus in Ecclesia Dei minister aptissimo titulo à multis iam seculis professus fuerit, vocaus se *seruum seruorum Dei*; profanus Calvinus, cui omnia Catholice Ecclesie displicent, hunc ipsum titulum, hoc maxime Christi verbo fundatum, orerabido arrodit. *Quid (inquit) prodest quòd Papa tyrannicis legibus oppressurus miseris animas, se seruum seruorum Dei præfatatur, nisi vt palam insultet Deo, & hominibus probrosè illudat?* Hæc ille. Quid verò prodest quòd superbus & malefanus hæreticus Calvinus, tam innumeris Scripturæ Evangelicæ corruptelis oppressurus miseris animas, se ministrum verbi venditat, & supremo in Ecclesia Christi Sacerdoti impuro ore maledicit, nisi vt palam insultet Christo, qui Petro dixit, *Pasce oues meas, & in vna Petri Cathedra vnam Ecclesiam suam monstrauit, & omnibus hætenus Christianis probrosè & impiè illudat, qui à tot iam seculis huius Sedis Apostolicæ primatum cõstan-*

Ioan. 21.  
Cyprian.  
in lib de  
vnitate  
Eccles.

ter & vnanimiter agnouerunt. Quomodo autem intelligenda sunt illa Christi verba, *Qui maior est vestrum, minister vester erit*, supra ad Matth. cap. 20. explicatum à nobis est, vbi eadem doctrina à Christo latius tradita, à Caluino quoque corrumpitur & impugnatur.

15. *Circuitis mare & aridum vt faciatis vnum profelytum; & cum factus fuerit, faciatis eum filium gehenne duplo quam vos.*

Maledictus  
Caluini  
calamus.

Protestan-  
tium im-  
puritas  
teste Lu-  
thero.  
In firm.  
Dom. 1.  
Aduentus  
in Postilla  
dome-  
stica.  
Musculi  
de eodem  
testimo-  
nium.  
In lib. de  
Propheta  
Christi.

**T**ORQUET hunc locum Caluinus contra Monachos, quos ait *sedulo vniique profelytos corraderet, sed quos ex lasciuis & impure vite hominibus reddant profus diabolo*. Maledictum hoc est è triuio arreptum, & panico hæretici hominis furore dignum. Cæterum res ipsa omnium oculis exposita loquatur, an non multo verius in nostri temporis hæreticos hæc verba quædrent. Audiamus hac de re proprias ipsorum confessiones, ne simulatis aut alienis eos criminationibus grauarè videamus. Lutherus ad nouum suum Euangelium corrasit quos potuit. Quales illi accepta Lutheri doctrina euaserint, ipse loquatur Lutherus. *Mundus* (inquit) *indies fit deterior. Sunt enim homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti, & imdisciplinati, multoque deteriores quam fuerunt in Papatu*. Hæc ille. Accedat alius & primarius Lutheranae sectæ Magister, Musculus. *Ita nunc sunt* (inquit) *res Lutherianorum, vt si quem magnum numerum rebulonum, prædorum, vltorum, inpostorum, feneratorum, atque id genus veteratorum videre inuēt, is in ciuitatem, in qua Euangelium docetur, introcat: plurimos nimirum illo in loco inuenit. Et paulo post. Verum est certè, siue inter ethnicos,*

siue

siue Iudeos, siue Turcas, aliosq; infideles nullos inueniri magis effrenes, & apud quos minori in pretio sit honestum, atque virtutes, quibus adeo omnia culpa vacant aut nihil propendendum vitio datur, quam apud Euangelicos, apud quos omnia vincula Dæmon excussit. Hæc ille. Adijciamus nunc recentiores Euangelicos, qui nos ipsi edoceant, quales eorum profelyti sub noui Euangelij professione euaserint. Prodierunt anno 1574. Iacobi Tubingæ excusæ Conciones de Planetis auctore Iacobo Andrea, siue de vitijs & capitalibus peccatis, tunc in Germania apud ipsos Euangelicos regnantibus. In eo libro post alia multa ita legimus. *Alia Germanorum pars permittit quidem vt prædicetur verbum Dei, verum nulla subsequitur emendatio, sed dissoluta, epicurea, & belluina vita, in comestationibus, symposijs, auaritia, superbia, nominis diuini blasphemia. Atque hic non minus quam Papistæ in sua idololatria redargui non sustinent. Gravis & Christiana modestia ac disciplina quæ Deus verbo suo tam grauius præcepit, & à Christianis requirit, tam illis dura videtur, vt ad eam opere complendâ nouus sit Papatus nouusque monachismus oporteat. Didicimus* (inquiunt illi) *nos per solam fidem in Iesum Christum saluos fieri, qui morte sua omnia nostra peccata expiauit, nec poterimus nostro ieiunio, elemosyna, oratione, alijsue operibus pro eisdem satisfacere. Missam igitur faciat operu horum inculcatione: facile siquidem possumus per Christum salui fieri, omnemq; fiduciam in sola Dei gratia & Christi merito collocamus. Atque vt vniuersus orbis videat eos à Papatu alienos, nec in operibus spem ponere, idcirco nihil bonorū operum faciunt, locoque ieiunij comessantur & inebriantur totos dies ac noctes: pro elemosynis pauperes expilant & deglubunt, pro oratione execrantur & blasphemant nomē Domini vsq; adeo profanè, vt ne Turcæ quidē & Saraceni tantā in Christum impietatem designent. Pro humilitate regnat superbia, fastus, ferocia, luxus vestimentorū, &c.*

Iacobi  
Andrea  
testimo-  
nium de  
eodem.

Sola fides  
quid Pro-  
testantes  
docuerit.

Hæc

*Hæc omnia Evangelij prætextu defenduntur, & nihilominus persuadent sibi homines infelicissimi sinceram se habere fidem erga Deum in cordibus suis, se Deū habere propitium, se meliores idololatriæ & apyftaticis Papistis. Hæc illæ conciones, multoque plura. Nihil nouum loquuntur quod non omnium oculis incurrat, qui cum Evangelicis seu Lutheranis seu Caluinistis conuersantur. Sed satius duxi, ex tabulis potius congnatis cum illis agere, quàm (vt Caluinus hic facit) publici acculatoris personam gerere. Quod autem ipsi de seipfis Lutherani conquesti sunt, hoc tam Lutheranis quàm Caluinistis acerbè obijcit Anabaptistarum Doct̃or non incelebris Menno Simonius his verbis. *Hæc dissoluta doctrina* (nempe, solam fidè sine bonis operibus saluare) *effrenem & rudem populum, maiores & minores, ciues & plebem aliquam ad tam dissolutam & belluinam viuendi rationem induxerunt, iisque frenum ita laxarunt, vt tam impiam & abominabilem vitam inter Turcas & Tartaros inueniri non putem, qualem inter istos videre licet.* Hæc ille de Lutheranis solis. Alio in libro tam Sacramentarios quàm Lutheranos ita depingit. Scio verè (inquit) *quòd sunt extra Christi Spiritum, missionem, & verbum, & quòd in doctrina sua, & actionibus, hominum fauorem, honorem, superbiam, redditus, splendidas domos, et iucundam ac voluptatibus affluentem vitam non minus quarunt quàm Papistæ.* Et paulo pòst vtramque sectam alloquens: *Vos ipsi, inquit, iij estis qui dissolutam carnalemque vitam ducitis, qui Christū crucifigitis iterum, qui blasphematis Spiritum eius, & gratiam eius contemptui habetis.* Hæc ille. Tandem de ipsis Sacramentariis & Lutheranorum concionatoribus ita scribit. *Cum ad concionatores eos peruenitur, qui se gloriantur habere Dei verbum, quosdam manifestè ac aperè mendaces, quosdam ebriosos, quosdam vsurarios & maledicos conu**

In lib. de vera Christiana fide, tit. de fide Lutheran.

In lib. Fundamentum, dist. de doctrina concionatorum. Sacramentarium pietas.

In lib. de Christiana fide, tit. de fide Cananæ mulieris.

*tiatores, quosdam persecutores & proditores innocentium esse deprehendes. Quomodo etiam illorum quidam se gerant, & qua ratione vxores suas consecuti sunt, quales etiam vxores habeant, id ego Domino atque ipsis etiam committo. Vitam quietam, otiosam, desidem, & iucundam ducunt. Seductionibus & adulatoribus sese alunt de rapinis Antichristi, & tantum concionantur quantum terrenus & carnalis magistratus ferre atque audire vult. Hæc ille & alia adhuc infinita de vtriusque huius sectæ hominibus. Non sunt hæc è triujs arrepta cõuitia, sed ex ipsis nouis huius Evangelij magisteris (Euangelium quippe hoc nouum quælibet sibi secta vendit) literis ac monumentis consignata testimonia. Plura hac de re alibi dicendi locus dabitur, vbi similè hanc scabiem tangendi occasionem Caluinus dabit.*

19. *Stulti & cæci. Quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum?*

**H**ANC Pharisaicam superstitionem & impietatem, qua ex auaritia & rapacitatis studio res oblatas, quarum participes fiebant, ipsi templo & altari præponebant, tanquam superstitionum in populo causam, quæ ab ipso Deo ei usq; cultu homines auocarèt, à Christo hoc loco reprehendi; & in hac reprehensione Christi intentū præcipuè consistere; atq; in eisdè superstitiones Catholicæ hodie Ecclesiam sædè prolapsam esse; declamitat hoc loco Caluinus. Sed tam in ipso præsentis disputationis scopo aberrat, quàm impiè Christi sponsam exagitat. Hoc delirium (ait Caluinus) *quòd plus reuerentiæ auro templi & sacris oblationibus quàm templo & altari Iudæi deferrent, à Scribis & Sacerdotibus profectum fuisse creditibile est. Fuit autem nō minus perniciosus quàm stultus error, eò quòd*



ed quod populum ad crassa signenta abduceret. Nihil præclius est quam homines a puro Dei cultu delabi. Huius ergo veli obicenti, Satanae promptum fuit procul à Dei intuitu abstrahere, qui iam plus æquo ad stultas imaginationes tendebant. Hæc ratio est cur eum errorem tam duriter Christus castiget. Hæc ille. Sed toto cælo à vero Christi intento aberrat. Christus enim hoc loco non turbas aut populū, sed Scribas & Phariseos (sacerdotes vocat Calvinus, à quo verbo Christus abstinit propter honorem sacerdotij, tamen si Scribae isti & Pharisei plerique sacerdotes essent) reprehendit, nec superstitionem in populo, sed cæcitatem & ignorantiam Scribarum in doctrina manifestè arguit. *Stulti* (inquit) & *cæci Scribae & Pharisei*. Illorum cæcitas & stultitia erat, plus reuerentiæ tribuere auro & oblationibus quam templo & altari, quatenus videlicet iuramenta per aurum & oblationes facta iurantes obligare, per templum & altare facta non obligare docebant. Hanc ineptam & præposteram eorum doctrinam ex avaritia fortasse natam, sed in altero eorum errore præcipuè fundatam, quod per creaturas iurare licitum esse existimabāt, in hoc quarto *Væ* propriè & ad litteram Christus reprehendit. Hanc enim ob causam docet Christus per Deum eos iurare, qui per templum aut per cælum iurant. Nullam hinc superstitionem aut populū aut Scribarum Christus perstringit, sed in proximo sequenti *Væ* illud crimen arguit. Ita Calvinus torquet hunc locum, & obtorto collo trahit ad sui cerebri idolum, quod passim ille sacris in Scriptis magna cū reuerentiā & pompa quasi in theatro venerandum proponit: nempe ex superstitionis cultibus nasci Dei contemptum. Dei quidē cultum superstitionis fœdè contaminat & eneruat, sed à

Populi  
superstitionem  
fine causa  
exagitat  
Calvinus.

Phariseo-  
rum pro-  
prius error  
his verbis  
taxatus,

Dei

Dei intuitu non magis abstrahit, quā avaritia ab affectu pecuniæ. Verū istud huius loci nō est, nec de hoc vitio in hac sententia Christus disputat.

Nunc ut Ecclesiam Catholicā hoc loco taxat Calvinus, eius odio suos lectores perpetuò imbuens, videndum est. Primū in genere garrit. *Sic* (inquit) *videmus in Papatu innumervis artibus auctas fuisse superstitiones, quum sacrifici prædæ inhiarent: qui adhuc quotidie multa excogitant, quibus stultum vulgus magis demoneat*. Hæc accusatio generalis absque vlla facti specie iniecta, non nisi ex dolo malo proficiscitur. Dolosus quippe (ut dici solet) verborum in generalibus, & nihil est facilius quā muliercularū more generaliter in quēuis obuitum aut transeuntem debacchari, aut canū more molestissimè allatrare. Tandē quibusdā interiectis, ut aliquid accusatione dignum dixisse videatur, ait. *Et tamen Papistas non puduit sacrum Dei nomen ad turpius ludibrium prostituere. Nam apud illos plures est frustum putridi cadaueris tangere, quā sanctum vtriusque testamenti volumen, vel etiam leuare in cælum manus*. Patet facta nunc & in certam facti speciem adducta accusatione, quis eius pudendam turpitudinem non videt? Primum Sanctorum corporum reliquias *putridi cadaueris frustum* vocat. Cui plusquam Vigilatio & procacius insanienti respondebit S. Hieronymus contra Vigilantiū scribens. Dixerat in Ecclesia sua Vigilantius. *Prope ritum gentiliū videmus sub pretextu religionis introductum in Ecclesijs, quū puluisculū nescio quod in modico vesculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant*. Cui respondet in hūc modū Sanctus Hieron. *Quid est illud, nescio quid, scire desidero. Expone manifestius, ut tota libertate blasphemias* (Hoc iā fecit Calvinus, nō puluisculū nescio quod, sed *putridi cadaueris frustū* dicens) *Doles martyriū reliquias pretioso*

Superstitionem non parit Dei contemptum.

Superstitionum falso arguitur Ecclesia.

Reliquiarum venerationis antiquissima pretiosæ velamine aperiri, & non vel pannis vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinum. Ergo sacrilegi sumus quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andrea, Lucae & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas demones rugiunt, etc. Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudea transtulit in Thyciam? Omnes etiam Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos (aut, vt Calvinus loquitur, putridi cadaveris frustum) in sericeo & vase aureo portauerunt? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia, quasi presentem viuicentemque Prophetam cernerent, susceperunt? vt de Palastina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonabant? Hæc Hieronymus. Hanc ergo à mille ducentis annis Ecclesiam Christi antiquissimam accuset Calvinus, non Papistas præsentis, si reliquias corporum sanctorum venerantur. Sed quod Calvinus vt putridi cadaveris frustum tanta cum nausea fastidit, quomodo alij etiam non minus antiqui & celebres Patrum singulari in honore habendum censuerint, iam olim ostendimus ex Augustino, Basilio, Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, alijsque Patribus in Prompt. Catholico.

Dom. 23.  
post Pentec.

Sed (inquit Calvinus) pluris hoc faciunt Papistæ quàm sanctum vtriusque testamenti volumen, ve' etiam leuare in celum manus. Quid ergo? vult Calvinus libros ipsos Sacre Scripturæ eadem veneratione à nobis coli, qua Sanctorum coluntur reliquias; & non iam cadaveris humani frustra, sed vel pecorum mortuorum pelles, vel putridos panniculos in Ecclesijs reuerenter proponi, & à nobis in honore haberi? Dolet quippe pluris à nobis Sanctorum reliquias fieri quàm volumen Biblicum.

Eodem

Eodem igitur & pari honore affici desiderat. Cæterum vnde factum est vt ad Sanctorum reliquias Dæmones rugierint, torti & eieci fuerint, multaque fidelibus beneficia impertita, ad Bibliorum contactum vel præsentiam nihil huiusmodi contigerit? An non manifestè docuit Dei Spiritus in Sanctorum reliquijs ipsos Sanctos, & in Sanctis Deum ritè ac debite coli: in libro verò Biblico seu chartaceo seu in membranis pretiosissimis descripto, Deum coli nolle, sed in Scripturis illis sanctis, quatenus ore magistrorum exponuntur, vel cumpia ac sancta meditatione leguntur, sanctam suam voluntatem nobis patefacere voluisse: ad doctrinam quidem & executionem eorum quæ in illis libris docentur, non ad ipsorum librorum venerationem aliquam? Nullam igitur iniuriam sacræ voluminibus facimus, quod folia & chartas non veneramus. Pluris autem nos Sanctorum reliquias facere quàm in celum leuare manus, id est, quæ puras & pias ad Deum orationes fundere, proterua Calvinus calumnia est. Quum enim ipsas illas reliquias sic veneramus, vt earum inspectio & contactus ad inuocandum Deum per Sanctos suos, id est, ad leuandas manus nostras in celum directè nos moueant & excitet, insanus est qui mediū fini nos antepone re garrit. Catholici semper ita Sanctorum reliquias venerari didicerunt, vt puras ad Deum orationes facere pietatis studium multo excellentius esse semper intelligerent.

23. Decimatis mentham, & anythum, & cuminum, & reliquijs quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.

HANC quoque criminationem Phariseis à Christo iustissimè intentatâ, Ecclesiæ Catholice.

tholicæ similiter intentandam pro suo sibi sumit imperio Calvinus. Sic (inquit) videmus hodie Papistas, quum transgrediuntur summa Dei præcepta, valde ardentur in frigidis ceremonijs satagere. Maledico conuictori breuiter respondeo. Videmus hodie Calvinistas quum nulla Dei præcepta seu magna seu parua obseruari à quoquam posse, nec eorum obseruationem ad salutem quicquam facere dogmatizent, valde ardentur in solius fidei commendatione satagere, de operibus aurem legis præstandis, de iudicio, misericordia, & fide, vel, vt Lucas loquitur, de ipsa charitate Dei & proximi, adeò nihil sollicitos esse, vt omnibus sese flagitijs ac sceleribus doctrinæ suæ conformiter, contaminauerint, quod etiã supra ex illustribus suorū hominū testimonijs confirmatū dedimus. Suaues homines iustitiã legis à Catholicis fastuosè exigūt: sibi ac suis nullam legis iustitiam imponi sinunt.

29. *Aedificatis sepulchra Prophetarū, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissimus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarū. Itaque testimonio estis vobismetipsis quia filij estis eorū qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensurā Patrum vestrorum.*

**H**ic verò Calvinus amplam sibi datam materiam ratus, in cultū ac religionem Catholicorum latius ac plenius excurrit. Iudæorum, quos Christus arguit, hypocritis, & impietas hæc erat, vt sepulchra quidem veterum Prophetarum magnificè extruerent atque ornarent, & eorū persecutores grauiter reprehenderēt, ipsimet tamen eadē impietate & Dei Prophetas persequendi libidine laborarēt: quod in Ioan-

nc

ne primū (nam ex Phariseorum consilio eum in carcerem Herodes coniecit) postea in Christo iam perpetrauerant, & in Christi Apostolis ac discipulis vberius postmodum patraturi erant, vt illis hoc loco Christus prædicat. Hæc illorum insignis hypocrisis erat, Prophetarum monumenta ornare, ipsosque Dei Prophetas identidē millos ad necem querere. Iam hanc totam & similem impietatem Catholicis horū temporum, maximèq; Ecclesiarum Præpositis impingit Calvinus. Audiamus Diaboli voces & calumniatoris mendacia. *Huius (inquit) rei nimis illustre in Papatu cernitur documentum. Nam Apostolorum & Martyrū legitima veneratione non contenti, diuinos illis cultus affingūt; & quoscunque congerant honores, non putant se modum excedere.* Mentitur hinc Satan, & fratrum nostrorum accusator pessimus. Nullos Apostolis aut Martyribus diuinos cultus affingimus. Aliquos in specie huiusmodi cultus nominare Calvinus debuit. Nunc generaliter nebulo loquitur, quia hoc illi facilius fuit. Dolosus enim & invidax versatur in generalibus; & qui malè agit, odit lucem; nec venit ad lucem, in particulari & expressè non loquitur, ne arguantur mendacia eius. Huiusmodi crassimendacijs crassi Calvinistæ à Caluino sese deludi & irideri sunt passi. Cætera hominis videamus; & quomodo in Cathedræ Christianæ magistris exagitandis Christi partes agere contēdat, dispiciamus. *Interea (inquit) sentiendo contra fideles, ostendunt qualis futura sit sua pietas erga Apostolos, & Martyres, si hodie superstites idem quod olim munus obirent. Cur enim tanta in nos rabie exardent, nisi quia eam doctrinam recipi ac vigere cupimus, quam suo sanguine obfignarunt Apostoli & Martyres? Porro quum sanctis Dei seruis pretiosior ea fuerit quàm propria vita, an huic*

Sanctorum veneratione defenditur.

Ioan. 2.

T 2

par

parcerent qui eam tam furiosè persequuntur? Scilicet Lutherus ac Calvinus sunt Ioannes Baptista & Christus, quos hodie Pharisæi persequuntur. Harum sectarum Magistri Apostoli sunt horum temporum & Martyres. Tota eorum doctrina ipsissima est quam Apostoli tradiderunt. Hoc nisi totum Caluino concedas, tota eius fabula in risum vertitur. Sed si Apostoli aut Apostolicæ doctrinæ restauratores Calvinistæ sunt, quid Lutherani, quid Anabaptistæ, quid tot aliæ sectæ sunt, quas vna Catholica meritò persequitur Ecclesia? Deinde an non Catholicorum quoque illa vox est imprimis & vera & solida? *Eam doctrinam recipi ac vigere cupimus, quam suo sanguine obsignarunt Apostoli & Martyres?* Nec Apostoli, nec torreatum Martyres aliam doctrinam suo sanguine obsignarunt, quam quæ ab Apostolorum tempore per tot ætates ac secula ad nos deriuata est. Nec Caluiniana, nec Lutherana, nec Anabaptistica dogmata ante hanc ætatem exorta sunt; suis & authoribus distincta, & prophanis cuiusque sectæ vocibus separata. Iterum ergo non nisi generalem instituit hætenus accusationem criminator Calvinus, eo fundamento nixam, quod non ab aduersarijs modò quos accusat, sed & à qualibet secta venditatur.

Reliqua adhuc dispiciamus. *Suffitu ergo* (inquit) *candelis, floribus, omnique pomparum genere Sanctorum imagines ornent ut libuerit. Si nunc viueret Petrus, eum discernerent, lapidibus obruerent Paulum. Si Christus ipse adhuc ageret in mundo, eum lento igni ustularent.* An huius hominis aut ineptiæ aut impietati aliquid addi potest? Quid ineptius quam ex suffitu, candelis, floribus, similique pomparum genere ad Sanctorum imagines exhibitò, quòd diuini honores eisdem

Candelarum & florum pompa circa SS. reliquias.

eisdem affingantur, declamare? Tenuiter ille de Deo sentit, qui has ceremonias ad honores diuinis pertinere existimat. Sola sacrificia siue externa siue interna ad cultum propriè diuinum pertinere, qui de Deo rebusque diuinis hætenus disputarunt, semper indicauerunt. An diuinis honores arca testamenti aut vetus tabernaculum habuit, quæ suffitu, candelis, floribus, variòque alio pomparum genere, partim ex Dei præscripto, partim ex piorum Patrum religiosa veneratione ornata fuerunt? Hæc ab honore & cultu soli Deo debito omnes Dei cultores lato semper discrimine distinxerunt. *Quicumque accendunt cercos ad memorias Martyrum* (ait D. Hieronymus) *secundum fidem suam habent mercedem. Illud fiebat olim idolis, & idcirco detestandum: hoc fit nunc martyribus, & ideo recipiendum est.* Laudat idem Nepotianum presbyterum quòd *Basilicas Ecclesie, & Martyrum memorias, diuersis floribus & arborum comis vitiumque pampinis adumbravit, ut quicquid placebat in Ecclesia tam dispositione quam visu, presbyteri studium ac laborem testaretur.* Commemorat S. Augustinus ad reliquias Sancti Stephani, quum publicè ab Episcopo per plateas deferrentur, *mulierem cæcam, vbi flores quos ferebat, pignoribus sacris impositos, oculis postea admonisset, visum recepisse.* Ad memoriam quoque Sancti Stephani flores super altare poni ac relinqui solitos, ex alterius occasione miraculi, idem narrat ibidem celeberrimus Doctor. An hæc antiquissima Ecclesia diuinis propterea honores Martyribus detulit? aut hi celeberrimi Doctores vel idololatræ fuerunt, vel idololatriam in alijs commendarunt?

Sed hac omnia putida Caluini calumnia, vide hominis impietatem. Petrus, Paulus, Christus

In epist. ad Riparium.

In Epitaphio ad Heliodontum.

De Ciuit. Dei lib. 22 cap. 8.

Calvinus  
quouis  
Turca  
procacior.

ipse ita Catholicis odio & execrationi sunt, ut si denuo superessent, indignissima illos necē conficerent. Quis vel Turca vel Iudæus hanc de Catholicis Christianis opinionem vel semel in animum demitteret? Sed quouis aut Turca aut Paganus sceleratior Calvinus, non animo tantum tam atrocem criminationem concipere, aut leuiter apud paucos effutire, sed & publicis monumentis consignare, adeoque in diuini verbi explicatione, quasi veritatem certam ac sacram, Sacræ Scripturæ lectoribus totique posteritati commendatam ac testatam facere ausus est. Palpandam se prebet nefarij hominis maleuolentia, quæ nullis modestiæ finibus contineri potuit. Nihil quàm suam ipse immedicabilem animi ægritudinem prodidit: & quàm impias animo cogitationes foueret, hac virulenta oratione omnibus contestatum voluit.

47. *Quoties volui congregare filios vestros sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & nolulistis?*

QUIA hæc Christi verba contra duo sua paradoxam manifestè facere Calvinus aduertit, eorum sensum studiosè peruertit. Vidit ex hoc loco arbitrij libertatem stabiliri, quæ vocanti & volenti Deo repugnet, quia eo volente congregare, homines congregari nolunt. Vidit ex hoc loco non omnem hominis circa salutis opus voluntatem ex Dei electione pendere, sicut ille singulariter docet, affirmans omnes qui credunt & conuertuntur, ex prædestinante Dei gratia conuerti, neminem iustificari nisi electum, & nunquam perire qui semel iustificatus est: ut sic apud eum nulla sit sufficiens aut adiuuans Dei gratia,

gratia, sed sola operans & efficax. Quæ omnia docet Instir. lib. 3. cap. 24. *Quid* (inquit) *hic locus ad probandum liberum arbitrium, & arcanam Dei prædestinationem abolendam, à sophistis arripitur, facilis est solutio. Respondeo voluntatem Dei, cuius hic fit mentio, ab effectu esse considerandam. Quia videlicet verbo prædicationis omnes ad se promiscuè vocat, merito dicitur omnes ad se colligere.* Et paulo post. *Miror quosdam ita præfatto esse cerebro, ut à dispositione Dei, quæ passim in Scripturis occurrens nihil eos offendit, tantum hac in parte non admittant.* Mox alibi dicit se hoc argumentum copiose tractasse. Id verò fecit loco præallegato num. 17. Sed ad hunc locum nihil aliud responderet, quàm sicut in alijs Scripturis Deus dicitur irasci, irasci & manus extendere, quia quod humanum est, ad Deum transferatur, sic & in hoc loco se rem habere. Censet ergo Calvinus voluntatem Dei hoc loco non propriè & formaliter sed metaphoricè accipi, ut illud dicatur velle quod ab effectu aliquo vocationis externæ videtur velle, sicut dicitur irasci ab effectu vindictæ quam homines cum insigunt irasci solent, quam Dei voluntatem aliqui voluntatem signi vocant. Caterum contra Calvinum certò tenendum est, voluntatem Dei hoc loco propriè & formaliter accipiendam esse, non metaphoricè. Nam & ipsa voluntas signi in Deo, quæ præcipit, prohibet, permittit, consulit, & operatur, à melioribus theologis, non metaphoricè & ab effectu, sed propriè & formaliter dici intelligitur. Propriè enim & formaliter Deus vult ea quæ præcipit & consulit fieri, volens quoque permittit ipsa mala; volens operatur præueniendo multa bona quæ suum effectum non sortiuntur. Vide Molinā q. 19. art. 6. disp. 1. Hoc autem loco ipsa Dei voluntas quæ

Voluntas  
Dei vo-  
cantis re-  
fractarios  
qualis.

benepliciti vocatur, respectu sanè auxiliorū gratiæ Dei intelligitur; respectu autem operū ipsorum voluntas non absoluta & efficax seu consequens, quæ semper impletur, & cui non resistitur, sed antecedens & conditionata. Deus quippe vero voluntatis suæ affectu, vera bonitate & misericordia sua, voluit & frequenter voluit, Iudaeum populū ad idola & alias impietates distincentem, ad sese reuocare, & in sinum gratiæ suæ superditatis auxilijs tam externis quā internis recolligere; sicut gallina vero & tenero affectu vagantes suos pullos vult ad se recolligere, ne à miluo vagantes rapiantur. Hunc sensum ipsa Christi allata similitudo à nobis extorquet: & sine tali sensu falsa erit similitudo proposita. Non enim metaphorice sed propriè vult suos ad se pullos gallina colligere. Nec sequitur tamen quòd Deus efficaciter & absolute ipsam conuersionem velit, quia gallina vult absolute suos ad se pullos colligere, eò quòd Deus sic misericorditer vult cōgregare dispersos, vt cum iudicio & iustitia id faciat, non impetu & impulsu aliquo naturali. Dei autem iudicium hoc habet, vt rationalem creaturam pro modo conditionis eius ad se colligat, volentem scilicet, & diuinæ voluntati ac vocationi liberè acquiescentem. Quare causa hoc loco cur hæc Dei voluntas respectu conuersionis ipsius impleta non fuerit, adijcitur, *Et noluisitis*. Hanc quoque voluntatis humanæ repugnantiam liberam fuisse, & ab ipsa profectam, pœna subsequens demonstrat: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Porro & sic liberam fuisse ad malum vt potuerint quoque sese conuertere ad bonum, eadem verba demonstrant, Non enim pro eo quod facere non poterant, tanta pœna plecterentur. Fuit ergo in hac

hac Dei voluntate gratia sufficiens, tamen non efficax: sufficiens, in quā, vt possent congregari, sed non efficax vt vellent, quæ vt deesset, ipsi in causa fuerint; quod illa Augustini sententia docet. *Gratia Dei adiuuat hominum voluntates* (nimirum quantum in se est, & antecedenter,) *quæ vt non adiuuentur* (scilicet efficaciter & cum effectu) *in ipsis iidem causa est, non in Deo*: id est, quia ipsi nolunt hoc fit, non quia Deus non vult; qui, vt alibi Augustinus docet, *sic omnem hominem illuminat vententem in hunc mundum, vt omnes homines possint, si velint, ad Dei præcepta seruanda sese conuertere*. De Genesi contra Manichæos lib. 1. cap. 3. Vnde & rursum dicitur *Verum omnino est, omnes homines ad Dei præcepta complenda sese conuertere posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis vt possint*. Hanc Dei erga Iudæos præcipuè gratiam adiuuantem, ac sufficienter præparantem, sed eorum sola culpa inefficacem, Christus hoc loco ad futuræ in eos vindictæ iusticiam demonstrandam commemorat. Idem facit alius Propheta. *Inimicitia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis*. Et ne hæc Dei voluntas velleitas tantum quedam & metaphorice dicta putetur, addit Propheta. *Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem*. Docet Deum multam illis & copiosam gratiam dedisse vt à peccatis suis mundarentur, illos tamen mundari noluisse. Non igitur à Dei sola electione, vt vult Calvinus, & absoluta eius voluntate, sed à Dei bonitate & libera hominum cooperatione pendet hominis voluntas bona vt ad Deum conuertatur, quod & perspicuè Augustinus docet, *Retract. lib. 1. cap. 22. vbi cōcludit contra Manichæos, in potestate hominis esse mutare in melius voluntatē*,

De pecc.  
mer. & remiss.  
lib. 2.  
cap. 17.

Retract.  
lib. 1.  
cap. 10.

Ezech. 24.

sed addit contra Pelagianos, *hanc potestatem nullam esse nisi à Deo detur*, id est, nisi Deus velit nos congregare, voluntatem præparare, adiuuare, &c. Calvinus, vt Pelagianismum excutiat, in Manicheorum dementia incurrat.

Denique sic hunc locum explicat Calvinus, vt quum Christus hic dicat voluisse se congregare, &c. ille dicat Christum hoc non voluisse, sed signum aliquod voluntatis suæ dedisse quasi hoc voluerit, sicut Deus quum punit, signum dat iræ quæ in eum non cadit. Sed quum ex hac expositione sequatur aut Euangelium hic mentiri, aut Deum rem eandem velle ac non velle, hunc nodum Calvinus his verbis abrumpit: *Solutio alibi à nobis adducta sufficit, quamuis multiplex sit Dei voluntas quoad sensum nostrum, non tamen eum hoc & illud in se velle, sed pro sapientia sua variè multiplici attonitos reddere sensus nostros, donec cognoscere nobis dabitur mirabiliter eum velle quod nunc videtur esse voluntati eius aduersum.* Hæc ille. Concludit hoc loco sic Christum voluisse congregare quod reuera non voluit, sicut alibi docet Deum mirabiliter velle peccata impiorum,

*que nunc propter præcepta eius in contrariū, voluntati eius aduersa videntur.* Et hanc blasphemiam

docens, iubet nos stare attonitos, & Dei sapientiam mirari, sui cerebri spectrum Dei sapientiæ nomine pallians.

(. . . . .)  
(. .)

IN

## IN MATTHÆI CAP. 24.

15. *Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele Propheta, &c.*

**H**IC locus multis ex causis obscurus est, vt parum attendentibus valde dubium sit, quæ tandem sit ista abominatio desolationis, de qua Christus loquitur. Primum *abominatio desolationis*, vox in Scripturis rara est, nec nisi apud Danielem & hoc loco reperitur, nec significat abominandam desolationem iuxta consuetam hebræorum phrasim, sed abominationem quæ desolationis causa aut principium erat. Ipsa quoque abominatio non designat aliquam rem propriam, sed ab effectu, id est, quæ execranda & abominanda est. Desolatio verò græco quidem vocabulo *τῆς ἐπιουρίας* responderet, sed in hebræo *stupendam* vel admirabilem potius significat. Ita verba generalissima & dubia magnam difficultatem pariunt. Deinde Danielis locus valde incertus est. Ter enim cap. 9. 11. & 12. de hac abominatione desolationis loquitur. Et cap. quidem 9. atque 11. satis clarè de illa loqui videtur quæ facta est in vastatione Hierusalem, per Romanos. Quod enim cap. 9. dicitur; *In dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio;* non nisi de cessantibus legalibus redemptione per Christum facta, & statim (ad maiorem eius rei euentiam) templi vastatione consequente, intelligi potest. Similiter quod cap. 11. dicitur, *Venient super eum trieres & Romani, &c.*

mox.

Calvinus  
Christo  
contradi-  
cit.

Instit. lib.  
3. cap. 24.  
num. 17.

Instit. lib.  
1. cap. 18.  
num. 3.

Difficul-  
tatis huius  
loci causæ.

moxque paulo post, *Auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem*, non nisi de vastatione Hierosolymæ per Romanos facta intelligi potest. Attamen cum in fine cap. 12. sic legimus: *At tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies 1290. Beatus qui expectat & pervenit usque ad dies 1335. non nisi de fine seculi, & de sublato per Antichristum Christianorum sacrificio, eiusq; breui regno intelligi posse videntur. Christus ergo hoc loco de eadem loqui videbitur. Et pro hoc sensu faciunt Christi verba proxime præcedentia. *Predicabitur hoc Evangelium regni uniusq; orbi, & tunc veniet consummatio.* Hæc enim verba non nisi de fine seculi loqui videtur. Quare de illo tempore hæc verba exponit Irenæus lib. 5.*

Abominatio desolationis quid hoc loco significet.

Attamen non nisi de vastatione Hierosolymitana Christum hic loqui, duo inuicem demonstrant. Vnū quod subiungit: *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c.* alterum quod Lucas adiecit: *Cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquat desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, &c.* ut hic in Matthæo. Quod multis verbis explicat August. epist. 80. ad Hesychium. Quare nimis impudens Calvinus est, qui ut singulariter sapiat, falli eos ait quibus videtur hoc loco notari Hierosolymitæ obfidio; nec Lucæ verba illis suffragari, quia non idē quod dixit Matthæus, sed aliud quid ei dicere propositum fuit.

Difficultas in contrarium soluitur.

Quid autem illud aliud sit, non exponit. Daniel igitur cap. 12. de iuge sacrificio & de abominatione desolationis quem loquitur, non illa intelligit de quibus cap. 9. & 11. loquutus fuerat, sed illa quorum priora typus & figura fuerant. Iuge enim sacrificium Iudæorum typus erat sacrificij Christi

Christi tam in cruce quam in cæna: & abominatio desolationis quæ accidit Iudæis, typus erat futuræ desolationis abominandæ in Ecclesia Christiana per Antichristum in fine seculi venturum. Prædicatum autem fuit Evangelium toto orbe ab Apostolis ipsis, & quos illi mittebant, ut ad Rom. 10. Paulus testatur.

Nunc autem alia difficultas est intelligendo Christum loqui de illa vastatione quam Daniel cap. 9. & 11. prædixit, Iudæis propria; quæ tamen definitè & in particulari fuerit hæc abominatio desolationis quæ stetit in templo Iudaico. Hoc enim alij volunt esse ipsam templi vastationem per Romanos factam, ut Petrus apud Clementem Const. Apost. lib. 1. Sed quia tunc fugiendi tempus non erat, illa Petri verba de fine & consummatione huius abominationis, non de ipsa in se exponi debent. Alij de idolo Antiochi dictum putant, de quo 1. Machab. cap. 1. ver. 28. legitur, & de quo vaticinatur Daniel cap. 8. Sed hoc prorsus falsum esse manifestum sit, quia Christus de eo quod futurum est loquitur. Alij statuum Cæsaris à Pilato in templum inuectam, de quo Iosephus Antiq. lib. 18. c. 5. aut de equestri statua Adriani ibidem posita intelligi posse conijciunt, ut Hieron. in hunc locum. Alij statuum Titi Imperatoris, qui urbem expugnauit, exponunt, ut Chrysoſtomus in hunc locum in pleno commentario. Alij ipsum exercitum Rom. intelligunt, qui cum imaginibus Cæsaris quas in vexillis ferebant, Ierolimam obsidebant sub Cestio Floro; maxime propter verba Lucæ, *Cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalē.* Et hunc sensum late exponit Cæsar Baronius in Annalibus tanquam valde probabile, quia ante illud tempus imagines Cæsaris Romani



in Iudeā non inferebatur. Sed quia hæc abominatio in ipso tēplo futura describitur, alius sensus querēdus est. Abominatio igitur desolationis *stans in loco sancto*, id est, in tēplo, vt Daniel loquitur c. 9. est illa barbara templi prophanatio quam in templo quod occupauerant, seditiosi quidam Iudæi Zelatæ dicti exercuerunt, multos in templo trucidando, & in eo quasi in castro contra ciues suos & contra Romanos bellum gerendo, in prima illa obsidione per Florum facta, quæ postea soluta est. Illa enim abominatio, quam paulo post sequuta est extrema totius populi desolatio, ponitur hic à Christo in signum futuræ destructionis vrbs Hierusalem, & in signū fugiendi pijs atque electis, vt visa illa abominatione in templo, *fugiant ex Iudæa ad montes*, id est, ad loca tuta. Iuxta quam Christi hoc loco admonitionem, soluta illa prima obsidione Flori, & antequā ad secundam obsidionem veniret Titus, Christiani omnes relicta Iudæa recipiebant se trans Iordanem in opidum quoddam Regis Agrippæ, Pellam dictum, vt narrat Euseb. libro 3. capite 5. hist. Eccles.

22. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.*

**C**HRISTVS adhuc de proprijs Iudæorum calamitatibus disserens, ait illas tanas fore, vt nisi pauciores forent illarum calamitatum dies quā Iudæorum peccata mererentur, nullus Iudæus aut mortem aut diram captiuitatem euaderet: sed propter eos qui ex Iudæis crediturierant, vel certè ab illis quantumuis incredulis nascituri vt credentes fiant, pauciores fore illius vastationis dies, & victorem exercitum iræ ac vindictæ suæ modum impositurum. Moxque

que de suo aduentu & consummatione seculi disputatione orditur Christus. *Tunc si quis vobis dixerit, Hic est Christus, &c.* id est, Post excidium Hierosolymitanum, & post finitam atque abbreviatam Iudaici populi vastationem, audite signa aduentus mei ad Iudiciū. Quantūlibet enim hic, aduentus ab illa vastatione longissimè distet, de eo tamen quasi proximè imminete differit, vel vt eum tanquam semper propinquum expectemus, vel quia totum interiaccens tempus hora nouissima est, nec alia expectanda rerum immutatio, quoad religionis vsum, aut nouū aliquē Dei aduentum.

Cæterum quia hæretici hodie, deserta penitus Ecclesia Christi Catholica per totum orbem dispersa, occultas quasdam & latentes Ecclesiæ reliquias scrutari & venditare coguntur, putauit Latitans  
Caluini  
Ecclesia  
proffigatur. Caluinus inter alias scripturas eò detortas, hunc quoque locum ad hanc rem accommodatum esse. Primum igitur conuenire ait hunc locum cum illo, Esa. 9. *Nisi Dominus reliquisset nobis semē, fuissetis sicut Sodoma & Gomorrha.* Quod quidem quoad seruatas Iudæorū reliquias, quæ prædicantibus Apostolis in Christum crediderunt, verum est; sed ab eo quod fingit Caluinus, alienissimum est. Mox enim ex illis credentium Iudæorū reliquijs in vastissima illa aliorum Iudæorum incredulitate, infert & concludit homo impius similem in Ecclesia Christi per omnes gentes diffusa fore vastitatem, & ait. *Est hoc insigne diuini iudicij documentum, vbi visibilem Ecclesiam sic affligit, vt funditus videatur perditæ: & tamen ad seruandum aliquod semē, suos electos, & quidem paucos numero, mirabiliter ab interitu eripit, vt præter spem è gurgite mortis emergant. Sic enim terrentur hypocrite ne Ecclesiæ titulo & specie freti, vanam spem impunitatis sibi fingant, quia modum inueniet Dominus quo Ecclesiā suam* liber

liberet, ipsi in exitium traditis. Hæc ille. Homo impius ex casu Synagogæ, quæ tota typica, pædagogica, & localis erat, visibilis Ecclesiæ Christi, quæ ipsa veritas est, status perfectus, & toto orbe diffusus, casum & interitum deducit. Non est hoc divinitudicij documentum, quo pereat visibilis Christi Ecclesia servatis paucis Calvinistis, sed est divinæ scripturæ manifesta corruptio, quæ divinas promissiones mendacij arguit, quæ veritati figuram, Evangelio legem, generalitati partem, perpetuitati temporaneum, perfectioni imperfectum, Christo Moysen adæquat: quæ deniq; omnibus novis & occultis hereticis fenestram defensionis aperit. Christi enim Ecclesia visibilis vt nō vnus gētis sed omnīū erat, (*Prædicabitur hoc Evangelium regi in vniuerso orbe*) vt non vmbra amplius sed res ipsa pertractat, (*Vmbra quippe habuit lex futurorum honorum, non ipsam imaginem rerum*) vt nō pædagogum agit, sed ad virum perfectum in Christo ædificat, vt denique non Moysen sed Christum legislatores ac magistrum habet; ita non definiti cuiusdā temporis est, sicut Synagoga, cuius diminutio diuitiæ gentium, & amissio reconciliatio mundi erat, sed perpetuæ stabilitatis est, contra quam portæ inferi non prævalent, quam Spiritus S. docet omnem veritatem in æternum, & cum qua Christus est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Visibilis, inquam, Ecclesia quoad suos Pastores ac Præpositos, maximè quoad summum eius Pastorem talis est. Nam de Ecclesia super summum Pastorem ædificanda Christus loquebatur dicens, *Portæ inferi non prævalent aduersus eam*. Apostolis suis & baptizaturis ac prædicaturis Evangelium, Christus promisit *Spiritum veritatis in æternum*, suamque præsentiam vsque ad consummationem seculi. Nō sunt igitur nouæ expectandæ

IN MATTHÆI CAP. 24. 305  
dæ reliquæ pereunte visibili Christi Ecclesia, sed est in ea firmiter permanendū qui saluus esse vult. Neque enim ad Christum pertinere potest, qui in Christi corpore non est.

## 24. Dabunt signa magna &amp; prodigia.

QUIA hic seductorum prodigia taxantur, Miracula  
existimauit Calvinus ad suum institutū hoc Catholicæ  
imprimis facere, vt propter falsa seductorum si- Ecclesiæ  
gna, Ecclesiæ Catholicæ vera miracula traduce- defendun-  
ret, idque eō magis quod se suosque sectarios tam tur.  
falsis prodigijs quàm veris miraculis carere cerneret. Sed ipsius disputatio talis est, vt ipsa semetipsam perspicuè euertat. Sic enim scribit. *Quum antichristos & mendaces Prophetas Dominus miraculis armatos fore pronuntiet, non est cur tantopere superbiant. Paspistæ hoc obtentu, vel ipsorum iactantia territemur. Miraculis suas superstitiones confirmant: nempe quibus prædixit filius Dei labi factandam esse multorum fidem. Quare tantum apud prudentes momentum habere non debent, vt per se sufficiant ad probandū hoc vel illud doctrinæ genus. Hæc quidem ille. Sed quum hactenus nihil nisi nugari se aut blasphemare potius animaduerteret, quum contra vera miracula tam Christi quàm Christianorum omnium hæc disputatio faciat, quibus Christus dixit, *Maiora horum facietis*, & iterum, *Signa autem eos qui crediderunt hæc sequentur, ægris manus imponent, & bene habebunt; serpentes tollent, &c.* idque in testimonium & approbationem veritatis, de quo dixerat, *Spiritus testimonium perhibebit de me*; quū, inquam, hanc expeditam contra se obiectionem præuideret, eam conatur soluere. *Si excipiant (inquit) hoc modo everti ac in nihilum redigi miracula, quibus tam legis quàm Evangelij sancta fuit auctoritas, respondeo certam**

Ioan. 15.  
Marc. 14.

Ioan. 15.

Calvinus  
suos le-  
ctores lu-  
ditur ac.

certam Spiritus notam illis insculptam fuisse, quæ dubitationem & errandi metum scilicet eximeret. Neque enim quoties ad suos confirmandos virtutem suam exercuit Deus, ita confuse operatus est, quin vera extaret nullique fallacia obnoxia distinctio. Hæc quidem ille; sed quæ sit hæc Spiritus nota, & quæ distinctio, dolosus hæreticus nihil dicit, sed generalem calumniam suam excusatione generali probabilem facere contendit, quod eorum est qui fallere lectores suos volunt, non docere. Hæc igitur adhuc responsio ac satisfactio nulla est. Pergit igitur, magisque lectorem ludificat. Adde quod doctrinam sic obsignant miracula, ut illa quoque vicissim preluceat, & discutiat omnes nebulas quibus simplices mentes obscuras Satan. Denique si ab imposturis cauere placet, sit apud nos individua signorum & doctrinæ coniunctio. Hæc ille. Sed non aduertit impostor, aut certe id simplicem lectorem aduertere non posse præsumit, tum de ipsa doctrina, quantumcunque luculenta & pura, dubitari posse non secus quam de miraculo; tum miracula ad doctrinæ confirmationem, & ad eius sanctiendam auctoritatem, sicut ipse sibi Calvinus obiecit, adferri solere. Christi doctrina maximè haud dubiè præluxit, & cum miraculis quæ fecit coniuncta erat; tamen doctrinam ipsam suam miraculis confirmari voluit. *Si mihi (inquit) non creditis, operibus credite.* Non ergo sufficit præluce doctrinam nouâ & inauditam, & ex se incredibilem, nisi miraculis confirmetur. Calvinus igitur impotens & insulsus hæreticus, Catholicorum miracula impotenter conuellit, vera miracula à falsis distinguere insulsus nō potest. Quanto melius in schola Catholica didicimus seductorum signa & prodigia à veris miraculis distinguere, vel à personis seductorum, quia non legitimè vocati se ingerunt;

Ioan. 8.  
& 14.

gerunt, vel à fine quem obrendunt, ut post se discipulos abducant, vel ab ipsis in se miraculis aut fallacibus & metis præstigijs, quæ nisi deceptionem oculorum habent, aut si veris, vel huiusmodi quæ ex causis naturalibus poterant provenire, tamen occultis, ut docet Augustinus de Trinitate lib. 3. capite octauo; vel profus inutilibus, & ad operationem factis, nō beneficiis, qualia omnia sunt veri nominis miracula. *Cum talia faciunt magi qualia nunquam faciunt sancti* (ait S. August.) *diuerso fine & diuerso iure fiunt.* Et paulo post. *Aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani. Magi per priuatos contractus, boni Christiani per publicam iustitiam, mali per signa publicæ iustitiæ.* Denique alibi scribit, *piorum miracula vel maiora, certiora, clariora esse vel ratione finis, quo discernuntur, incomparabiliter excellere.* Sunt igitur falsa prodigia à veris miraculis distinguenda vel ex personis facientium, ut quo iure fiant, attendamus; vel à fine ad quem collimant, vel à modo & cursu quem tenent, ex quibus falsum à vero non ita difficulter discernere illi possunt, ad quos ista discernere ac diiudicare propriè pertinet.

Lib. 83.  
99. 9. 79.

De Ciuit.  
Dei lib.  
10. cap. 16

28. *Vbiunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.*

**T**A M E T S I ad literam nihil aliud Christus hinc dicat, quâ futurū ut eo veniente ad Iudicium, omnes sancti veluti aquilæ ad cadauer, quod longissimè prospiciunt, velocissimè congregabuntur, ut in hac sententia celerissimam iustorū ad se collectionem doceat, sicuti in præcedenti sententia celerissimū suū aduentū docuit, quomodo exponunt hunc locum Hieron. in com. in Hilarius, & Origenes tract. in Matth. tamen satis aptè & accommodatè ad eam iustorū cū Christo

In com. in  
hunc locum.

Schisma-  
ris patro-  
cinium.

vnionem, quæ in huius vita militia per fidem & charitatem fit, hic locus applicari potest. Quam applicationem secutus Caluinus, pessimum inde corollarium in schismaticorum omnium fauorem ac patrocinium deducit. Sensus, inquit, est: *Quisquis unquam artificis conetur Satan huc & illuc dissiabere filios Dei, in ipso tamen Christo sacrum esse unitatis vinculum, quo deuinctos teneri conueniat. Unde enim dissipatio, nisi quia multi à Christo diffluunt, in quo solo sita est nostra firmitas? Ergo hic modus prescribitur fouende sanctæ conuentionis, ne errorum distractiones corpus Eccl. sic lace-rent: nempe si in Christo defixi manemus.* Hæc ille. Sensus iste, uti diximus, non displicet, quia pius ac verus est, tametsi non literalis. Sed quid inde impostor colligat, sequentia eius verba docebunt. *Quod diligenter notandum est. Neque enim vel ad Romanæ Sedis primatum, vel ad alias nugas nos adstringit Christus: sed hoc vnico modo Eccl. suam colligat, se ad ipsum vnicum Caput omnes vndique respiciant: vnde sequitur, Quicumque ei pura fide cohererent, extra schismatis esse periculum. Eant nunc Romanenses, & schismaticos esse clament, qui se à Christo alienari non solum, ut latroni fidem suam mancipent. Totus hic inanis verborum strepitus vno penè verbo solide compefcitur. Christo capiti ille solus vnitur, qui Christi corpori, quod est Ecclesia, vnitur. Nemo Christo pura fide coheret, qui ab eius corpore, quod est Ecclesia, diuellitur. Ad vnicum caput, quod Christus est, vnicum scilicet vitale, respicere non potest, qui capita populi ab ipso constituta, Pastores & Doctores, quos dedit in consummationem fidelium, & in ædificationem corporis sui, non respiciit. Illos enim posuit regere Ecclesiam sanguine suo acquisitam. Illos ita omnes vndique respicere iubet, ut qui eos audit, Christum audiat; qui eos spernit, Christum spernat.* Denique adstringit

nos

Vnitas  
Eccl. esse  
tenenda.

Ephes. 4.

Act. 20.

Luc. 10.

nos Christus non solum ad se vnum, *tanquam vitæ auctor: m, quo solo verè pascimur, ut postea Caluinus dicit, sed ad eum quoque nos adstringit, cui dixit, Pascere oues meas, & sic ad Romanæ Sedis primatum diserrè nos adstringit; quia in illa sola Sede ille vsque hodie sedet, qui Petri locum tenet, cui pascendus oues suas per vniuersum mundum concredidit.* Eat nunc Caluinus, & extra schismatis periculum se esse clamet, quia Christo se adherere dicit (quod omnes semper hæretici dixerunt, & nisi Christi nomine palliati, Christianos fallere nunquam potuerunt) & illi adherere recusat, imò illum hoc loco *latronem* cauillator insulsum vocat, à quo, si ouis Christi esse vult, pasci & regi necessario debet. In his enim verbis, *Pascere oues meas, vni Petro primatū gubernationemque per vniuersum mundum à Christo concredidit esse,* scribit S. Chrysoctomus Episcopus Græcus, adeoq; Patriarcha Constantinopolitanus: nec Petro tantum, sed & Petri successoribus oues suas pascendas Christum commississe, idem scribit Chrysoctomus. In eandem sententiam alij scribunt antiquissimi Patres, Origenes, Arnobius, Gregorius M. Augustinus, Theophylactus, & alij, quorū verba alibi recitauimus. Schismaticos illos esse, & non in Ecclesia, definit, latèque probat S. Augustinus, *tam qui de ipso Capite Christo Scripturis sanctis consentiunt, & de Christo credunt quæcunque credenda sunt, sed unitati Ecclesie non communicant, & in vna parte separata inueniuntur,* (sicuti Caluinus cum suis) *quam qui in Ecclesie communionem inuentus, ea tamen de Christo sentit ac sapit, quæ secundum sanam fidem sapere & sentire non debet; quia videlicet totus Christus Caput & Corpus est.*

Iam verò quia ad vnionem fidelium cum Ecclesia, sicut aquilæ ad cadauer cōgregantur, aliquos

Ioan. 21.

Chrysoct.

Homil. 87  
in Ioan.  
homil. 1.  
de poenitent.  
Lib. 2. de  
Sacerdotio.

De Princip. fid.  
lib. 6. cap.  
9. & 15.  
In lib. de  
vnitate  
Eccl. cap. 4.

Catholicos hunc locum applicasse Calvinus vel aduertit vel fingit, eos sibi carpandos iudicauit. Ait enim. *Quod Papistæ ipsi pro eorum societate accipiunt, qui vnâ fidem profitentur, & aquilas allegoricè exponunt pro acutis & oculatis, nimis insulsum est. At quare tandem? Quum (inquit) aliud non fuisse Christi consilium palam sit, quàm ad se vocare & in se retinere Dei filios vbicunque sunt dispersi.* Præclara sanè refutatio. Nimis insulsus Calvinus est, qui, quos Christus ad se vocat & in se retinet, eos Ecclesiæ Christi vniri & corpori eius adiungi debere docet. Atqui non insulsus modò sed & impius Calvinus est, qui ita Christo vniri vult, vt corpus Christi contemnat, ab eius Ecclesia se diuellat, eius vnionem & coniunctionem negligat. Qui corpus hoc loco pro Ecclesia, & aquilas pro acutis & oculatis acceperunt, Christum imprimis tanquam huius corporis & Ecclesiæ Caput spectauerunt, vt propterea nihil illi insulsum dixerint, sed nimis insulsus Calvinus fuerit qui hoc non aduerterit, vel certè nimis impius, qui quod bene aduertit, altè dissimulauit, vt reprehensionis locus esset.

Calvinus  
insulsus  
& im-  
pius.

Pergit adhuc, & alios interpretes mordet Calvinus, veluti rabidus quidam canis omnes sibi obuios insiliens. *Neque etiam satis solida est aliorum argutia, qui odoriferâ esse Christi mortem dicunt vt electos Dei alliceret.* Atqui hunc sensum sequuti sunt doctissimi in Ecclesia Patres, Origenes tract. 30. in Matthæum, Hieronymus & Hilarius in hunc locum. Horum iudicium contènit & argutiæ taxat Calvinus. Sed quamobrem, aut quo argumento ductus? *Nam (inquit) meo iudicio ratiocinari voluit Christus à minori ad maius. Si tanta est in auiibus sagacitas vt ex remotis locis ad cadauer vnum multæ conuinciant, turpe esse fidelibus non aggregari ad vitæ aut borem, à quo*  
solo

*solo verè pascuntur.* Primum homo arrogans, vt Patrum expositionem reiiciat, *suum iudicium* quasi regulâ veritatis interponit: quod illi frequens ac solène est. Deinde hæc ratiocinatio à minori ad maius non minus quadrat expositioni Patrû de passione Christi, quâ expositioni Calvinianæ de persona Christi. Imò quia vox *corpus* hoc loco propriè cadauer significat, quod ex Hieronymo & alijs Patribus acceptum notauit hoc loco Calvinus, ipsa in Christi inortem ac passionem cadaueris nomine annotari probabilius Patres citati existimarunt. Aquilæ quoque hoc loco ad acutos & oculatos significandos accommodatè sumuntur. *Imò (ait Calvinus) aquilis nihil tribuit Christus, quàm quod apud nos coruis aut vulturibus congrueret, pro regione, quam incolimus, patria.* Vbi dupliciter errat Calvinus. Nam coruos ac vultures non minus in Palestina versari quàm apud nos, sola lex Moysæ docere Calvinum potuit, quæ hæc volatilia tanquam immûda vetat comedi, ridiculè hoc veritura si in illa regione non inuenirentur: vt nò propterea coruos aut vultures tacuerit, aquilas autem posuerit, quia in illa regione corui ac vultures non essent, aquila essent. Deinde valde probabile est, Christû hoc loco ad propriâ aquilarum naturam respexisse, & ad illa verba Iob allusisse, vbi earum natura describitur. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, & in præruptis siliçibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius præspiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem, & vbicunque cadauer fuerit, statim adest.* Ad hæc postrema verba Iob Christum allusisse valde probabile est, & docere voluisse, electos ac sanctos per acutissimos fidei suæ oculos, vel  
Christi

Calvini  
arrogan-  
tia.

Leuit.  
11. 14.

Iob 39.

Christi passionem ac mortem longè prospicere, credere, contemplari, vt citati Patres exponunt, vel Christum ad Iudicium venientem (de quo Iudicio hoc loco disputatur) celerrimè cognoscere, & ad eum resumptis vnde quaque corporibus suis admirabili promptitudine aduolare & congregari. Vt cunq; est, vt in priori sua expositione insulsus & impius, ita in hac posteriori reprehensione stultus & temerarius Caluinus fuit.

30. *Tunc parebit signum filij hominis in celo.*

Cru  
Christi  
fulgida in  
Iudicio  
extremo,

**H**oc signum filij hominis, id est, Christi, quod eo ad Iudicium veniente in celo comparebit, ipsam esse venerandam Christi Crucem quæ suo fulgore mundum illuminabit, sole tum & luna cæterisque syderibus sua luce priuatis, summo & vnanimi consensu docet Patres, Origenes tract. 30, in Matth. Chrysostr. homil. 77. in Matth. Hilarius, Hieronymus, Euthymius, Theophyl. in comment. in hunc locum, Hippol. in orat. de cõsummatione mundi, Ephrem in lib. de pœnitentia cap. 3. Damascenus de orthodoxa fide lib. 4. cap. 12. Cyrillus Hierosol. in orat. ad Constantium, & Eusebius Emisissenus in lib. allegoriarum. Quorum Patrũ fidem & apertum huius loci sensum sequuta Ecclesia in officio publico fideliter canit: *Hoc signum Crucis erit in celo, quum Dominus ad iudicandum venerit.* Quam profecto ob causam toto hoc intermedio tempore Crucis signum meritò veneramur. Nam nisi signum Crucis communiter fidelibus in Ecclesijs & domi interea temporis proponeretur, illius aspectus in die Iudicij non magis moueret quàm signum lanceæ, aut flagelli, aut spongiæ, aut alterius cuiuspiam rei quæ ad

ad Christi passionem pertineret. Vnde hæretici tollentes hodie passim ex hominum conspectu Crucis signum, & nusquam illud desigi permittentes, id imprimis agunt, vt eius aspectus in die Iudicij nihil profusus eos moueat: nisi fortè ad blasphemiam aut confusionem. Caluinus igitur hoc loco de signo Crucis alium silentium tenens, hæc Christi verba, *De signo filij hominis quod parebit in celo*, ad alium longè sensum detorquet. *Sequitur* (inquit) *signi illius explicatio, quod filium hominis videbunt super nubes venientem, qui sub habitu serui contemptibilis tunc in terris regnat.* Atqui tanquam distincta hæc & diuersa Matthæus narrat. Primum, *Tunc parebit signum filij hominis in celo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus celi.* Tria dicit Matthæus, primum de signo filij hominis apparente in celo, deinde de plantatu infidelium, qui signum illud eo vsque contempserunt (Cruce enim *Christi Iudæis scandalum, 1. Cor. 1. Gentibus stultitia erat*) tertio quod Christum videbunt venientem in nubibus. Distincta hæc sunt & diuersa, nec vnũ alterius explicatio est. Aliud est signum filij hominis, aliud ipse filius hominis in persona propria; aliud signum præcedens, aliud res signata subsequens; aliud in celo apparere & fulgere, aliud in nubibus celi venire cum virtute multa & maiestate. Ridicula igitur & insulsa Caluini euasio est, & literæ Euangelicæ repugnans. Communis tot Patrum intelligentia, cuius insano hæretico, nedum Caluino anteponenda est.

36. *De die autem illa & hora nemo scit nisi solus Pater.*

**Q**UVM ad hunc locum qui pro Arianis facere videtur, quia Christum ea ignorare ponit quæ solus Pater nouit, vnde Marc. c. 13. addit, *neq; Filius,*

Verborum  
expli. a-  
tio.

V 5 & olim

& olim apud Matthæum idem legerunt veteres, Origenes, Chryſoſtomus, Hilarius, & Auguſt. variè Patres respondeant, Ambroſius quidem lib. 5 de fide cap. 8. & Hieronymus in hunc locū quòd illa verba tum hinc tum apud Marcum ab Arianis addita fuerint, Græci autem Patres vt Athanaſ. in orat. in illud, *Omnia tradita ſunt mihi à Patre*, Greg. Nazanz lib. 2. Theolog. & Cyril. Alex. Theſaurorū lib. 7. cap. 4. Ambroſ. in cap. 17. Lucæ, idque adeo Concil. 6. Conſtant. Act. 4. quòd Chriſtus quatenus homo iſta ignorauerit, Auguſt. autem de Trinit. libro 1. cap. 13. & enarrat in Pſal. 6. & D. Baſil. lib. 2. cōtra Eunomiū, & Hilarius ac Hieronymus in hunc locum non ſimpliciter Filium ignorari exponant, ſed ideo dici ignorare, *quia per modum ignorantis ſe gerebat, eo quòd alijs indicare non veller*: in hac, in quā, varia reſponſione Patrū probabilior hæc vltima eſt, quia Chriſtus tum Apoſtolorum curioſitatem hoc verbo corrigere, tum noſtram expectatōne ſuſpenſam tenere voluit, vt ſemper illum diem timeremus. Communior tamen & magis recepta ſententia eſt, quòd Chriſtus vt homo & ſecundum facultatem humanæ naturæ iſtud ignorabat. Tameti enim in Verbo omnia videbat, tamen nō ex humanæ ſed ex diuinæ ſuæ naturæ vi ac facultate eā perſpicentiā habebat. Chriſtus autē hoc loco cōmunē ſibi cū Angelis huius rei ignorantia tribuens, ſatis docet de ſeipſo vt mortali creatura iuxta humanā naturā loqui, nō de ſe vt Verbo ac Filio Dei naturali. Verbū illud, *ſolus Pater*, quia agitur de eo quod ſecundū eſſentiā Deo conuenit (vt de ſcientia) non autē ſecundū originē, idcirco alias perſonas diuinas nō excludit, vt docet Cyril. & Athanaſ. locis citatis, & D. Auguſt. cōtra Maximinū lib. 3. c. 13.

IN

## IN MATTHÆI CAP. 25.

- I. *Simile eſt regnum calorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obviam ſponſo.*

**V**T huius inſignis parabolæ fœda per hereticos corruptio clarius poſtea diluatur, veram eius & genuinam applicationem præmittemus. Chriſtus eſt ſponſus, qui vel in vltimi iudicij die tanquam ſponſus in hunc mundum ſecundō veniet, vt Eccleſiam totā fidelium ſibi olim deſponſatam accipiat in vxorem, id eſt, in æternæ beatitudinis gaudijs eam ſibi copulet, vel in hora mortis cuiuſque ad iudicium particulare venit, vt de nuptijs aliquid ſtatuat. Decem virgines omnes ſignificant fideles, (ſicuti infideles in Scripturis vocātur adulteri, & dicuntur fornicari à Deo,) & conſequenter ipſas propriè dictas virgines: vt propterea nec incongruè in feſto SS. Virginum hoc Euangelium legatur, nec Hieronymus pueriliter (vt garrir hoc loco Caluinus) ſed prudenter ad virginitatis laudem hanc parabolam accommodauerit. Lampades ardentes fidem ſignificant aliqua bona opera operantem, & ſic lucentem coram hominibus, quatenus aliqua Dei mandata ſeruantur, & ſine ſcandalo viuunt: Oleum in vaſis ſignificat excellētia opera charitatis in Deum, & miſericordiæ in proximum, quæ per modum prouiſionis in futurū Dei Iudiciū prudentes fideles magno ſtudio præſtāt, vt miſericordiam inueniant in die Iudicij: *Charitas enim operit multitudinem peccatorum, & Iudicium ſine miſericordia ei qui non facit miſericordiam*: & quia Oneſiphorus Paulum refrigerauit, eum in carcere viſitans,

Parabolæ  
explicatio.Bonorum  
operum  
ſtadium.1. Pet. 4.  
Iac 2.  
2. Tim. 1.

tans, & liberaliter illi subministrans, orat pro illo Paulus: *Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in die illo.* Fatuæ virgines fideles sunt qui huiusmodi bona opera negligunt, sperantes se diu victuros, nec tam citò ad Iudicium vêturum Christum; aut certè existimantes non esse sibi necessariam huiusmodi prouisionem. Christo autè suum aduentum differente, dormiunt & moriuntur interea omnes. Repentinus tamen tandem erit eius aduentus quasi media nocte, & nemine expectante. Eo autem veniente, operibus misericordiæ pleni lætantes Christo occurrent. Desidiosi fideles & bonis operibus vacui vehementer dolebunt, videntes lumè suum deficere, id est, bonorū operum curam sufficientem sese non suscepisse, & aliorum quidem meritis iuuari optabunt: sed illud nimis serum tunc erit, quia & ipsi iustissimi non habebunt nisi quæ ipsis sufficiant, & desidiosi illi seipos condemnabunt quòd melius sibi nō prospexerint, vt iam de emendo oleo cogitare debeant. Reliquæ parabolæ partes ad rem parabolæ non pertinent, sed ipsi tantùm exemplo parabolæ complendæ subferuiunt, nisi quòd *clausa ianua* significat exclusos esse à vita æterna fatuos & desidiosos credentes. Hæc genuina, aperta, & simplex est huius parabolæ applicatio, conclusioni, quam Christus facit, maximè conformis, qua dicit, *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam*, id est, Prudenter & tempestiuè prospicite vobis de oleo misericordiæ, & de operibus charitatis, vt parati sitis occurrere Christo, & stare ante tribunal eius, vbi omnes accipient secundum opera sua: quia hora aduentus eius siue per mortem cuiusque, siue in generali Iudicio, incerta est.

At verò Calvinus hanc parabolam exponens seu

seu expungens verius, de bonorum operum studio nihil dicit, sed vt lectoris animum aliò auertat, ad solam in fide perseuerantiam hortari hinc Christum docet. Eodem (inquit) *tendit hæc exhortatio quo superior, propriè tamen addita est ista parabola vt fideles ad perseuerantiam confirmet.* Superiorem parabolam intelligit, in qua Christus dixit, Luc. 12. (quem locum huic parabolæ præmittit Calvinus) *Sint lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lucernas autem ardentes (ait Calvinus) *opponit Christus ignorantie tenebris: huic sententia respondet parabola, que paulo post sequitur apud Matthæum de decem virginibus.* Hæc ille. Vult igitur hoc loco Calvinus per lucernas seu lampades ardentes fidei lumen intelligi; per oleū verò quo fatuæ virgines carebant, perseuerantiam in fide. Quod ille quidem apertè non dicit, quum in tota huius parabolæ explicatione vaser hæreticus nec de fide nec de bonis operibus expressè loquatur: sed referèdo se ad priorem Christi sententiam de lucernis ardentibus, satis ostendit à suis se sic intelligi velle, quòd non nisi de perseuerantia in fide loquatur. Totà eius explicationem subijciam, vt hæc eius fraudulenta tractatio magis appareat. Verbis superius allatis statim subiungit. *Querat Dominus quàm prope sa sit ad molliciam bonorum naturarum que vt plurimum si vi non modò vt languescant longo temporis tractu, sed subito fastidio deficiant. Hinc morbum vt corrigeret, discipulos non probè munitos esse docuit, nisi tolerantia in longum tempus illis suppetat.* De mollicie malorum & de tolerantia bonorum loquitur, sed qua in re non exprimit. Sequitur, *Vbi cognitus fuerit hic parabolæ finis, non multū in minutis argutijs laborandum erit, que nihil faciunt ad Christi mentem. Mul'um se torquent quidam in vasis, in lucernis, in oleo. Atqui simplex & genuina summa est, non sufficere*

Corrupte-  
la Calui-  
niana de  
sola fide.

alacre



alacri exiguū temporis studium, nisi infatigabilis constantia simul accedat. Rursum ad vnam constantiam omnia refert, sed in quo hæc constantia consistit, nihil dicit. Addamus reliqua. Hoc autem aptissima similitudine explicat Christus. Paulo autem hortatus fuerat discipulos ut per obscura loca & caliginosa iter facturi lucernis instructi essent: (scilicet in illis verbis Luc. 12. Sint lucerne ardentes in manibus vestris, quod de fide in animo, quæ tenebras ignorantia expellit, non deluce bonorum operum in manibus, quæ peccata expellunt; exponit ibi Calvinus:) Sed quia nisi oleum suggeratur, paulatim arescit lucerna elychnium, & lumen suum amittit, iam dicit Christus assidua virtutis subministratio opus habere fideles, quæ lumen in eorum cordibus accensum foueat, alioquin fore ut in medio spatio deficiat eorum alacritas. Hæc est tota Calvinii de sensu huius parabole explicatio. Tolerantiam, constantiam, & alacritatē doceri à Christo affirmat, ne in medio spatio deficiamus. Sed qua in re, in fide an in bonis operibus? De neutro expressè loquitur vasser hæreticus. Nunc tamen aliquid in fine adiecit, quod eum non nisi de fide loqui necessariò conuincit. At prius quidem docuisse Christum, opus fuisse contra ignorantia tenebras lucerna fidei: hic autem docere Christum opus esse assidua virtutis subministratio, ut lumen in cordibus accensum foueatur. Quod est hoc lumen in cordibus accensum, nisi lumē fidei, quod omnes ignorantia tenebras dispellit? & quæ est hæc virtutis subministratio assidua ad fouendum hoc lumen, nisi diuinæ gratiæ perpetuum auxilium? An virtutis nomine hoc loco, pietatis & bonorum operum studium Calvinus intelligere potest? Atqui nec est in nobis vlla bonorum operum subministratio, sed exercitatio & executio; nec lumen fidei bonorū operum studio iuxta

Cal-

Caluinū accenditur, sed forti & firma persuasione benevolentia Dei erga nos inflammatur. Virtutis in nos cuiuslibet subministratio alia non est quam à Deo ipso, qui dat omnibus affluenter, nec impro-

Iacob 1.

perat. Ergo iuxta Calvinum sensus parabole hic est, lampades ardentes esse fidem, oleum in lampadibus esse virtutem à Deo subministratā, qua fides accendatur: Christū autem hortari ut constantes atque alacres in fide simus ex virtutis & gratia diuinæ subministratio assidua.

Quis non videt totum parabole sensum penitus corrupti, funditusque subueri? Dicuntur factæ virgines quæ oleum non acceperunt in vasis suis, vnde lampades reficerent; & hoc nomine clausa ianua excluduntur, quia veniente sponso oleo carentes lampadas ardentes non habebant. Queratur à Caluino cuius culpa erat quod oleum in vasis non habebant. Negare nō potest fatuarū hanc culpam fuisse. An verò culpa nostra est, si virtutem gratiæ suæ Deus nobis perpetuò non subministrat? Nec culpa nostra hæc est, nec Dei: quia nec Deus eam tenetur perpetuò subministrare, nec nostra culpa esse potest eo carere, quod habere in potentate nostra non est. Culpa sanè nostra est, & grauissima culpa, quod Dei gratiam in paucum accipimus, quod gratia Dei desumus, vel, ut Beza vertit, quod à gratia Dei deficiamus. Denique quod ea non recte vtamur, faciendo fructum gratiæ & Spiritus Dei. Et hæc erat fatuarum virginū culpa, quod fructus gratiæ Dei, bona charitatis opera, non habebant, quibus fidei lampadas semper reficerent. Tametsi enim per peccatum nō amittitur fides, lumen tamen fidei per peccatum extinguitur, quia per lucem bonorum operum lux fidei coram hominibus, & glorificatur in illis Deus. Nec

Corruptela Calviniana refutatur.

2. Cor. 5. He. 12.

Math. 5.

ex.

Iacob. 2.

Luc. 13.

excluduntur clausa ianua fatuæ virgines, quia lampadas non habebant, sed quia extinctas lampadas gerebant. Fidem habuerint, sed luce bonorum operum carerebant. *Non ostendebant fidem suam ex operibus bonis*, vt Iacobus loquitur. Quare Christus illis dicit, *Nescio vos*, eodem videlicet verbo vsus quo alibi apud Lucam. *Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis*. Deinde habere lampadas extinctas, nõ est defectus lampadis, sed defectus olei. Non est defectus fidei, sed defectus charitatis, vel operum charitatis & misericordiæ, per quæ lucet ac splendet egregiè fidei lampas. Nihil ergo hoc loco Christus de tolerantia aut constantia aut alacritate fidei (quam solam semper in Euangelio Calvinus commendari vult) sed de luce bonorum operum necessaria, & contra eorum defectum disputat: *Vigilare* iubet, id est prudenter & tempestiuè sibi quemque prospicere de oleo charitatis & operum misericordiæ, ne Christo ad iudiciũ veniente, huiusmodi oleo carens, ideòque lampadem extinctam gerens, fidem aut nullo bono opere, aut etiam proprijs misericordiæ ac charitatis operibus non lucentem adferens, à conuiuio nuptiali excludatur. De perseverantia aut constantia fidei nullus hinc sermo.

Obijcit hoc loco Calvinus, circa verba illa, *Ite potius ad vendentes, & emite vobis, inferre ex illis Paupistas, virtutibus nostris atque industria acquiri perseverantia donum*. Moxque concludit, *non aliam esse comparandi rationem, quam vt fide recipiamus quod nobis oblatum est*. Sed quod de Catholicis dicit, purum mendacium est. Nec de perseverantiæ dono disputare hinc Christum docent Catholici (fixit hoc sibi Calvinus priori suo figmento conformiter) nec vsquam docent perseverantiæ donum vllis meritis

tis acquiri. Coronam vitæ æternæ bonorum operum mercedem esse iuxta scripturas Catholici docent: de perseverantiæ dono idem non docent. Nec quum merita docent, suas virtutes suamque industriam prædicant, sed dona Dei & gratiæ eius, quæ virtutum omnium in iustis causa semper cooperans & principalis est. *Donum autem perseverantiæ fide comparari, recipiendo videlicet per fidem quod nobis oblatum est*, vt hic Calvinus affirmat, stultitiam & deinentiam Pelagianam superat. Donum quippe perseverantiæ quocumque tandem actu nostro comparari, Pelagianum est. Si enim donum est, & quia donum est, merè gratuitum est. Datur igitur gratuito, non comparatur fide. Deinde si recipiendo per fidem oblatum perseverantiæ donum, illud à nobis comparatur, certè actu fidei nostræ illud donum comparatur. Recipere enim per fidem, actus fidei est, & quidem actus simplicissimus, quum nisi simplicem mentis assensum denoret. Quod si dementis & blasphemus Pelagius fuit, qui virtutum & bonorum operum exercitio perseverantiam in bono promereri nos posse existimavit; quanto dementior Calvinus, qui vno simplici mentis assensu donum illud comparari posse affirmat? Ceterum perseverantiæ donum nec actibus omnium virtutum, nec vllò actu fidei comparatur, sed purum atque gratuitum Dei donum est, vt latissimè docet Augustinus, quem omnes Catholici hac in parte sequuntur. Quod vel ex Concilij Tridicini doctrina intelligere poruit Calvinus, vbi dicitur, *Perseverantiæ munus aliunde haberi non posse, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere vt perseveranter stet, & eam qui cadit restituere*. Sed hæc est perpetua Calvinii inscitia ac temeritas. Taxandi Catholicos libidine ac impetu dum præceptum fertur, non intelligit

In lib. de bono perseverantiæ & de corrept. & grat. Sess. 6. cap. 13.

git neque quæ loquitur, neq; de quibus affirmat. Hanc parabolam variè quidem exponunt Patres. Alij enim per oleum in vasis, intelligentiam gratiæ Dei in cordibus & humiliter de seipso sentire, vt Augustinus; alij verbum doctrinæ, vt Origenes; alij boni operis fructum in genere, vt Hilarius Cap. 25 alij opera charitatis & misericordiæ, vt Chrysostomus. Sed de subministratiõne gratiæ vt in fide constanter perseveretur, nemo hactenus exposuit. Soli hodie hæretici Euangelicas parabolas, quæ pietatis & bonorum operum studium docent, ad solius fidei commendationem impie vertunt.

15. *Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem.*

Pelagiana  
dementia  
Catholici  
eis falso  
obicta.

**C**ATHOLICOS hoc loco calumniatur cauillator Caluinus, & dementia planè Pelagianæ accusat, Catholicæ doctrinæ vel ignarus magister, vel conuicator maledicus. Sic enim in hunc locum scribit. *Ridiculi sunt Papistæ dū hinc colligunt singulis conferri Dei dona secundum meriti sui modum.* At hæc Catholicorū, quos ille Papistas vocat, doctrina nunquā fuit, Pelagianorum erat, qui primam gratiam secundū merita nostra dari impiè sentiebant. Quæ sit Catholicorum circa gratiam Dei iustificantem doctrina, Concilium Tridentinum expressit, in hæc verba. *Iustitiam in nobis recipimus vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Docet Deum partiri singulis suam gratiam, & dona iustitiæ partim prout vult, & ex voluntatis suæ beneplacito, partim iuxta propriam cuiusque virtutem,

Scilicet 6.  
cap. 7.

tutem, vt hoc Euangelium docet, id est, iuxta cuiusque facultatem seu dispositionem & coopérationem. Quod hic Christus dicit virtutem seu facultatem, *τὴν δύναμιν*, hoc Conciliū exponit esse quandam in nobis dispositionem seu aptitudinem ad cooperandum gratiæ diuinæ. Sed hæc virtus seu facultas seu dispositio seu aptitudo, secundū quā sua gratiarum talenta Deus distribuit, tamen sit capacitas quæ dā in vnoquoq; vt exponit D. Hilarius, differens ac diuersa, vnde vocatur hic à Christo *virtus vnicuique propria*, tamen quia non est intelligenda sine præueniente & operante Dei gratia, Concil. Trident. sapienter adiecit dispositioni *cooperationem*. Ideoque rectissimè iuxta mentem D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 3. ad primum arg. annotauit Dominicus Bannes, Concilium hoc loco non loqui de dispositione & cooperatione vt est à viribus naturæ, sed de illa dispositione & cooperatione de qua dicitur, *Deus est qui operatur velle & perficere*. In qua tamen Dei operatione falsū omnino est, hæc verba Concilij Tridentini, & consequenter huius Euangelij, intelligenda esse de illa dispositione & consensu & operatione liberi arbitrij, quæ est effectus infallibilis voluntatis Dei efficaciter preparantis liberum arbitrium ad gratiam recipendam: & quod sic necessario est intelligenda definitio Consilij, nisi velimus declinare ad reliquias Pelagianorum, & asserere quod aliquis homo magis meretur gloriæ apud Deū, cui non magis donatum est à Deo. Totum hoc omnino falsū est, & tā huic Euāgelio quā Concil. Trident. doctrinæ apertè repugnās. Huic Euāgelio repugnat, quia qui vnū talentū acceperat, nullū fructū protulit. Ergo aut ille secundū propriam dispositionem non accepit, & falsa est Scri-

Can. 27. in  
Matth.

In. 2. 2. q.  
24. art. 3.

Philip. 2.

Volunta-  
tis præpa-  
ratio effi-  
cax non  
est propria  
cuiusque  
virtus.

ptura nostra dicens, *Vnicuique secundum propriam virtutem*, aut infallibilis Dei voluntas & efficax falli potest. Nam in isto qui vnum talentum acceperat, propria eius virtus seu dispositio liberi arbitrii per operantem in eo Dei gratiam nullum effectum produxit. Concilio Tridentino repugnat, quia de eadem dispositione loquens cap. 5. dicit, *Cum Divina inspiratione hominem sic agere, ut illam abijcere possit*. Non est ergo semper infallibilis & efficax Dei voluntas quæ hanc dispositionem facit. Nec adillas Pelagianorum reliquias hic sensus Concilii Tridentini pertinet: contra quos semper de merito gratiæ, non de merito gloriæ, Catholici disputabant. Magis autem gloriæ & præmij interdum mereri cui non magis donatum à Deo est, quia videlicet magis & melius cooperatur eidem gratiæ, alia parabola de decem minis luculenter demonstrat, ubi decem serui acceperunt decem minas, singuli vnam, & tamen ex illis decem vnus superlucratus est decem, alius quinq; , alius nihil. Ex istis decem non magis donatum est vni quam alteri, & tamen vnus decuplo magis cooperatus est quam alter, & per consequens decuplo magis gloriæ promeritus. Et in nostro Evangelio duo tantum lucrati sunt quantum acceperunt, id est, iuxta mensuram gratiæ sibi datam; tertius nihil lucratus est, qui tamen adeo ita potuit sicut ceteri, ut quia non fecit quod potuit, tanquam piger, id est, propter propriam negligentiam, in tenebras exteriores proiectus fuerit. Propria igitur cuiusque virtus hoc loco secundum quam Deus sua talenta distribuit, est illa cuiusque capacitas, de qua alibi Christus dixit, *Non omnes capiunt verbum hoc*, id est, non volunt capere, ut iuxta communem Patrum sententiam ibi expositum est; est libera

Luc. 19.

Propria  
cuiusque  
virtus  
quid significat.  
Matth. 19.

bera hominis voluntas diuinæ gratiæ liberè cooperans, ut vna semper & partialis causa omnis lucri de acceptis talentis, id est, omnis boni vsus gratiæ. Et hanc causam secundariam subiungere voluit Christus, quum de primaria prius dixisset, *Tradidit illis bona sua, dedit vni decem, vni quinq; , &c.* vtraque causa boni operis diligentè tenenda est, ut tam veteres Pelagianos contra Dei gratiam, quam novos hodie hæreticos contra liberam hominis cooperationem caueamus. Rectissime docet D. Thomas charitatem non dari secundum capacitatem naturalium, sed secundum voluntatem Spiritus sui dona distribuentis. Sed nec minus rectè alibi docet, quod cum vltima dispositio ad gratiã sit liberi arbitrii, formæ autem quæ possunt recipere magis & minus, intèduntur & remittuntur secundum diuersam dispositionem subiecti, idcirco accidere, quod secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens consequatur maiorem vel minorem gratiam: modo quæ addit eandem esse rationem de virtutibus quæ ex gratiã consequuntur; id est, ut iuxta maiorem vel minorem conatum liberi arbitrii à gratiã adiuti, magis vel minus operemur secundum virtutem, seu magis vel minus lucrèmur ex talentis à Deo datis. Vnde patet illorum error qui fieri non posse existimant, ut cum æquali gratiã alius magis, alius minus operetur, eo quod necesse sit aliquid tam intense moueri quam à sua causa mouetur. Verum quippe hoc est quando de tota & vnica causa motus agitur: sed in lucro talentorum, & in bono vsu gratiæ, seu in effectu bonorum operum procedendo, quia Dei donum & gratiã nec tota nec sola causa est, tamen principalis, sed motus liberi arbitrii

2.2.q. 24.  
art. 3.3.p.q. 89.  
art. 2.Cum  
æquali  
gratiã non  
semper  
æqualiter  
operamur.

liberè cooperantis, seu propria cuiusque virtus aut dispositio alia causa huiusmodi effectus est; propterea non sequitur, quòd quum vna partialis causa intensior existat, sequatur semper effectus intensior; quia fieri potest vt altera causa remissius agat, & idèo minor sequatur effectus, vt S. Thom. loco posteriùs citato docet. Vide Molinam in Concord. gratiæ & liber. arbitrij, q. 14. art. 13. disp. 37. Calvinus interim, dū alios taxat, à sensu huius loci toto calo aberrat, qui hæc verba hunc in modum exponit. *Deus prout quemque disposuit & naturalibus ornavit donis, ita etiam hoc vel illud inungit, in rebus agendis exerceat, prouebit ad varias functiones, materiam præclare agendi suppeditat, occasionem etiam proponit.* Nam vel tota hæc battologia eius de officijs & operibus humanis loquitur, & sic de talentis hic distributis toto calo errat, quū haud dubiè sint talenta gratiæ Dei ad hominum salutem destinata (vt conclusio ostendit, quæ illa gratia oriolè abutentem in tenebras exteriores amandat) vel, si de talentis gratiæ loquitur, bonus Pelagianus est, qui iuxta naturalia dona, quibus vnumquemque Deus ornavit, talenta illa gratiæ distribui docet: siue gratias gratis datas, siue gratiam gratum facientem, gratiæ nomine intelligat: quando vtrunque genus supernaturale est & purum Dei donū; licet alterum altero excellentius, sicut in ipsis gratijs gratum facientibus imparitas est, & gratiæ illæ gratis datæ, vt donū consilij, prudentiæ, fortitudinis, &c. rudibus, infirmis, simplicibus & naturalibus donis omniū minimè ornatis, sæpè numero à Deo conferantur, vt in ipsis maxime Apostolis manifestum fuit: quos alibi Calvinus *ignaros & gregarios homines*, imò præ nimia doctrinæ Christi obliuione *truncos ac lapides* vocat.

Caluini  
absurda  
interpretatio.

In Ioan.  
cap. 20.  
ver. 21. &  
in Har-  
mon. ad  
Luc. cap.  
24. ver. 26

21. *Quia*

21. *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

**H**AEC Christi verba, bonorum operum seu boni vsus gratiæ Dei, manifestam retributione luculenter docere ex se patet. **Bonorum operum retributio.** Causa enim retributionis copiosæ & ample in fidei dispensatione paucorum ponit Christus. Bonorum operum cultores vocat quidem Christus *seuos bonos & fideles*; bonos, quia opera verè bona faciunt; fideles; quia fide bona & fideliter acceptis à Deo talentis vsi sunt: sed super pauca tamen *fidelis* fuisse affirmat, quia omnia quantumcumque iustorum opera bona, omnis eorum patientia & tribulatio, pauca & minima sunt respectu multorum super quæ Deus illos constituit, momentaneum & leue est respectu gaudij æterni & copiosæ mercedis in eo quam percipiunt: iuxta illud Pauli. *Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam que reuelabitur in nobis.* **Rom. 8.** Christus tamen hanc fidelitatem super pauca causam esse affirmat constitutionis super multa. Ait enim: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Quomodo ad illa pauca sequuntur ista multa, & multæ retributionis parua operatio verè causa sit, explicat eleganter his verbis Augustinus. **Enarrat. in Psalms.** *Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè cmitur. Certè tantus debuit esse. Decies centena millia annorū in labore quid valent? habent finem. Quod tibi dabo, ait Dominus, non habet finem. Qualis misericordia Dei! Non dicit tibi: Decies centena millia annorū labori. Non dicit, Vel mille annos labora. Non dicit, Quingentos. Sed, Cum viuis, labora paucis annis. Inde iā requies erit, & finem non habebit. Ecce quantum pretiū damus: quodammodo*

X 4

modo

modo vnā siliquā ad accipiendos & thesauros æternos. Hęc ille. Paruus igitur & pauci tēporis labor pretium est æterni gaudiij. Sufficit nobis contra hæreticos nostri temporis illud, *Quia fidelis fuisti*, significare causam sine qua non. Hinc enim sequetur bona opera ad salutem esse necessaria, sicut causā materialis necessaria est ad formam suscipiendam. Sed quia fidelis labor noster, vt cunq̄ue paruus ac pauci temporis, *pretium est quod damus*, vt hęc Augustinus loquitur, & quia aliā Scripturę *mercedis* nomine, hoc eternū gaudiū dignantur, (*Merces vestra copiosa est in celis: Voca operarios, & redde illis mercedem: Vnusquisque accipiet secundum laborem suum mercedem*) propterea causā meritoria quę ad efficiētem reducitur, in his Chrīsti verbis intelligenda est, *Quia super pauca fuisti fidelis*. Merito quippe merces responder, non semper quantitate pari, sed vel pro operis dignitate, vel pro retribuētis largitate, aut etiam constituta lege, longē maior & excellentior. Quę alibi latius tractata sunt.

Sed ad hanc retributionem bonis operibus respondentem quid hęc Calvinus dicit? *Ne fatigetur* (inquit) bene agendo, pronuntiat Chrīstus non irritum fore eorum laborem qui se fideliter in sua vocatione exercuerint. Rursum: *Concipienda est bonis alacritas, quia se intelligunt minime operam ludere*. Sic ad proxima Chrīsti verba de separatione ouium ab hęcdis, & retributione manifesta iustorum. *Huc* (inquit) tendit Chrīsti sermo, vt sciant fideles piē & innoxie viuendo, se operam non ludere, quia tandem apparebit discrimen. Et paulo post. *Est non vulgaris exhortatio ad patientiā, dum certō persuasi sunt homines non frustra se tendere*. Et iterum. *Necessarie sunt nobis promissiones quę ad rectē viuendi studium nos incitent atque erigant*. Docemur ergo quā optabile sit coniungi filio Dei. Hęc ille. Nullum

Math. 5.  
& 20.  
1. Cor. 2.

Caluini  
effugia.

ponit in Deo p̄ceptum bene operandi ad quod obligemur, sed *exhortationem tantum*. Nullam ponit in nobis necessitatem bonorum operū, aut rectē viuendi, sed tantum docere Scripturam vult *optabile esse filio Dei coniungi* per imitationem eius. Deniq; nullā ponit certā repositā mercedem aut coronam iustitię, sed tantum, *quod rectē viuendo irritum laborem non sumimus, operam non ludimus, nec frustra contendimus, quia tandem apparebit discrimen*, nō bonorum & malorum, sed electorum & reproborum. Sic impostor ille Diuinas & Euangelicas Scripturas de necessaria executione ac certa mercede bonorum operum semper inuertit, suisque impijs glossematibus sophisticē subuertit.

34. *Venite benedicti Patris mei: possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Esurui enim, & dedistis mihi manducare.*

**M**AGNA & singularis est huius loci emendētia, quod vita æterna intuitu bonorum operū à Deo confertur. Quam enim iam in possessionē mittendi sūt iusti, quā ipsam hæreditatē cælestē adeunt, vocat illos Iudex Chrīstus ad capiendā possessionem, & ad hæreditatem adeundam, (*Possidete enim hoc loco, κληρονομήτε*, significat, iure adoptionis in hæreditatem accipite) quia opera misericordię fecerunt. Et quidem magis vulgaria, quęque penē à quolibet p̄stari possunt, recenser, tum vt suam immensam benignitatē ostendat, tum vt nō promerentes hanc mercedē magis inexcusabiles reddat, tum deniq; vt doceat, maiora virtutū opera certissime esse remuneranda. In vniuersū autem, pro causa adeundę hæreditatis, ponit opera iustorum

Vita æterna bonorum operum merces.

rum bona. Pupugit vehementer hic locus Caluini, bonorum operum hostem iuratum. In omnem itaque se partem versat ac reuersat, vt in tam euidenti & clara luce tenebras lectori offundat, seque ipsum per tenebras eripiat. *Si hic* (inquit) *disputatio esset de salutis nostrae causa, non male colligerent Papistae nos bonis operibus vitam aeternam mereri; sed quam nihil aliud propostum sit Christo quam ad bene recte agendum hortari, perperam ex eius verbis elicitur quid valeant operum merita.* Primum, non solum Papistae, id est Catholici moderni, sed omnes in vniuersum Patres qui hunc locum tractarunt (vt ex eorum commentarijs in hunc locum patet) ex bonis operibus nos vitam aeternam promereri collegerunt, Augustinus maxime, qui disertè contra Caluinum ita scribit. *Quare causas vel tantae mercedis, vel tanti supplicij: Percipite regnum, & ite in ignem aeternum. Quare illi perciperunt regnum? Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Quare isti iuri in ignem aeternum? Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Haec ille: Sic igitur cum Augustino contra Caluinum arguimus. Si Christus in his verbis, *Percipite regnum, &c. Esuriui enim, &c.* non tractat de causa salutis nostrae, sed hortatur tantum ad bene agendum, ergo similiter in illis verbis, *Ite maledicti in ignem aeternum; Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare,* non tractat de causa damnationis impiorum, sed deterret eos tantum à peccatis. Sed falsum ac impium istud: ergo & prius. Deinde particula utrobique causalis, *Esuriui enim, &c.* manifestè ostendit de causa salutis & damnationis utrobique agi. Sed occurrit hic Caluinus & dicit. *Quod in causali particula insistant, infirmum est. Scimus enim non causam semper sed consequentiam potius notare, quum vita aeterna iustis promittitur.* Sed o quam infirma imò insulsa haec euasio est! Esto enim non semper

Primum  
Caluini  
effugium.

Serm. 7. de  
Septuage-  
sima.

Secundum  
effugium.

semper causam sed consequentiam potius illa particula notari. Si non semper causam, ergo aliquando causam notat. Si aliquando causam notat, cur non hoc loco? Imò si in vna parte sermonis, ad maledictos quod attinet, causam necessariò notat; cur non in altera parte sermonis, ad benedictos quod attinet, causam quoque notabit? Ceterum hanc scientiam Caluini negamus, & falsam esse opinionem certò cognoscimus, quòd particula causalis, quando vita aeterna iustis promittitur, aliquando consequentiam non semper causam significat. Probare hoc vel vnicò exemplo debuit Caluinus. Sed facilius illi fuit forciter asserere quod falsum est, quàm illud probare quod probari non potuit. Huius igitur reipsonsi summa infirmitate perspecta, ad aliam confugit. *Quaerunt alia est clarior solutio. Neque enim bonis operibus mercedem promitti negamus sed gratuita, quia ex adoptione pendet.* At haec solutio nihil melior est. Primum enim hic concedit quod alibi semper negat, ipsis operibus mercedem promitti, & consequenter conferri. Deinde, merces bonorum operum gratuita quid est ex parte radicis, quia principium eorum grauius est ab auctore gratiae gratuito data, debita tamen nihilominus & vera merces est quatenus cum illa Dei gratia homo liberè cooperans, opera facit verè bona, laudabilia, Deo placentia, & ex Dei liberalitate iusta mercede digna. Quod totum ex eo quod ipse Caluinus subiungit, manifestè probatur. Sic enim prosequitur. *Gloriatur Paulus sibi repositam esse coronam iustitiae. Sed vnde illi fiducia nisi quia Christi membrum erat, qui vnicus est haeres regni caelestis?* Atqui de hac fiducia nihil ibi Paulus, sed contra, vnde fiduciam acceperit, clarissimis his verbis promittit. *Bonum certamè certamè fidem seruauit, causam consummauit:*

Tertium  
effugium.

2. Tim. 4.

Opera bona  
fiduciae causa.

*maui: reposita est mihi corona, &c.* Hæc erat causa fiducia in Paulo hoc in loco, tamen et verum quoque fit alibi eum gloriari quod membrum sit Christi. Sequitur in Caluino. *Reddendâ sibi à iusto Iudice prædicat coronâ illâ. Sed vnde illud præmiû nisi quia & gratis adoptatus est, & iustitia donatus qua sumus omnes vacuè?* Rogat Caluinus vnde: nec videt Paulum ipsum disertissimè docuisse, vnde tacet, silet, dissimulat impostor nefarius totam illam bonorum operum suorum enumerationem à Paulo factâ, vnde illud præmiû sibi retribui, idque à *iusto Iudice*, id est, per modum veræ iustitiæ, Paulus prædicat. Tacet illa verba, *Bonum certamen certavi, fidem seruari: cursum consummaui*: & quærit vnde coronam iustitiæ expectauerit. Illa autem quæ Caluinus ponit, quia gratis adoptatus est, & iustitia donatus, id est, Dei gratia donatus, vnde operetur iuste, causæ quoque sunt redditæ coronæ, sed causæ remotiores, non proximæ. Causas proximæ posuit illic Paulus, opera ipsa iustitiæ. Causas proximæ ponit in hoc Euangelio Christus, opera ipsa misericordiæ. Impostor Caluinus vrget remotiores causas, vt tollat proximæ. Vnam veritatem premit, vt alteram destruat. Vtraque veritas tenenda est, vt tota veritas teneatur. Audiamus adhuc Caluinum. *Hæc igitur duo tenenda sunt, vocari fideles ad possessionem regni celestis bonorum operum respectu, non quia illud promeriti sunt operum iustitiæ, vel quod eius acquirendi sibi fuerint auctores, sed quia Deus iustificat quos elegit.* Istud prius duorum quæ tenenda ponit, mera impostura & vafricies est: fatetur iâ demum vocari fideles ad possessionem regni bonorum operum respectu, sed non quia illud promeriti sunt, verum quia Deus iustificat quos elegit. Atqui hæc duo optimè consistunt si iuxta Scri-

Caluini  
impos-  
tura.

Mia.

Iustifica-  
tio gratui-  
ta & me-  
ritum be-  
ne confi-  
stunt.

pturarum sensum Caluinus loquitur. Deus iustificat quos elegit, id est, Deus ex impijs facit iustos quos elegit, vt sic eos iustificet. Iustificati autem seu iusti facti, *ambulant in operibus bonis qua Deus per aliam gratiam suam præparauit in illis*, per quæ promerentur vitâ æternâ. Prima, inquâ, iustificatio impij quam Deus facit, merè gratuita, nihil repugnat cum retributione iustorû verè iusta. Vocantur igitur fideles in possessionem regni celestis, prius quidem à Deo iustificati gratis per Iesum Christum, sed intuitu præterea bonorû operum quæ iam iustificati operati sunt. Quod autem Caluinus ait eos nō promereri *operum iustitiæ*, puerilis cauillatio est, quasi quando merita operum prædicamus, *operum iustitiæ*, quæ iustitiæ fidei à Paulo opponitur, prædicaremus. Non ignorauit Caluinus merita operum à Catholicis doceri, quæ sunt opera iustitiæ fidei, id est, *illius iustitiæ qua ex fide est, qua ex Deo est*, quæ ex gratia est, non quæ sunt ex iustitia operum sine gratia & fide Christi, contra quæ Paulus disputat. Deinde quod addit Caluinus, *Vel quod eius acquirendi sibi fuerint auctores*, putidior adhuc & insulsius cauillatio est. Quando Christus promittit hîc regnû celeste intuitu bonorum operum, vel quâdo Catholici docent iuxta hæc Christi verba intuitu bonorû operum promereri iustos vitam æternam, non faciunt ipsi iustos acquirendi regni sibi ipsis auctores, sed faciunt eos diuinæ gratiæ & huius tantæ mercedis cooperatores. Vnde D. Bernardus. *Ibi Deus benignè homini merita constituit, vbi per ipsum & cum ipso boni quippiam operari dignanter instituit. Hinc condutores Dei & cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse præsumimus.* Hæc ille. Quia cooperatores Spiritus S. ideo promeritores regni. Cooperato-

res,

ptu-



334 ANTIDOTA EVANG.  
res, non auctores. *Peſ* Chriſtum & cum Chriſto bonum operamur, non ex nobis ipſis, vt auctores vel vnicuique vel præcipui bonorum operum.

Audiamus nunc ſecundum quod teneri iubet Caluinus. *Deinde, quamuis duce Spiritu ad ſtudium iuſtitie aſpirant, quia tamen legi Dei nunquam ſatisfaciunt, nullam illis mercedem deberi, ſed mercedem vocari quod gratis donatur.* Quot verba tot vel mendacia vel impoſitæ. Chriſtiani fideles ductu Spiritus Sancti non ſolum *ad ſtudium iuſtitie aſpirant* (quod ſolum vaſer Caluinus ait) ſed ipſam iuſtitiam exercent & operantur. Duce Spiritu *facta carnis mortificant, ambulat ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem, ambulat in nouitate vite, non dominatur illis peccatum, condelectantur legi Dei ſecundum interiorem hominem, faciunt que Deo placita ſunt*: ſic ipſam iuſtitiam exercent. Deinde ſatisfaciunt legi Dei, quod negat Caluinus. *Dilectio proximi implet legem*, ait Apoſtolus. Aut ergo nemo diligit proximum, aut aliqui implent legem. Quod ſi implent legem, ſatisfaciunt ei. Quod autem concludit mercedem vocari quod gratis donatur, nihil aliud quam diuinas Scripturas corrigat, adeoque falſi arguit. Paulus enim *coronam iuſtitie* hanc mercedem vocat, & *à iuſto Iudice reddit* ait. Sic ergo vita æterna merces eſt, vt iuſtè reddatur, non ſolum gratis donetur. Gratia quidem eſt vita æterna, & gratis donatur, quatenus radix & principium totius iuſtitie noſtræ Dei gratia eſt, ſed ratione operum que ex hac radice pullulant, verè & propriè merces eſt, & iuſtè redditur vt corona iuſtitie, quatenus videlicet iuſtitia noſtra per cooperationem liberi arbitrij verè noſtra eſt. Vtrumque Scriptura docet, vt ſuprà accepimus, & alibi latius diſputatum eſt. Fruſtra igitur & inaniter Caluinus contra hunc ſtimulum calcitra-

IN MATTHÆI CAP. 26. 335  
citauit. Omnem quidem mouit lapidem vt euidenter veritatem eluderet: ſed fortis eſt veritas, & vincit.

## IN MATTHÆI CAP. 26.

II. *Pauperes ſemper habebitis vobiscum, me autem non ſemper habebitis.*

**G**ARRIT hoc loco quædam Caluinus contra ſumptuoſos Dei cultus & ceremoniarum in Eccleſijs Catholicis ſplendorem; & Iudæ proditoris animum ac vocem ſtudioſè imitatus, in hæc verba concludit. *Huius loci ſumma eſt: Licet Dominus nos & noſtra omnia ſibi dicari iubeat, non tamen quo ad ſe alium quam ſpiritualem cultum exigere, qui nullis impenſis conſtat: ſed potius velle in pauperes erogari, quæ ſtultè ad eum colendum impendit ſuperſtitio.* An non expreſſis verbis cum Iudæ proditore auaro concludit, *Vt quid perditio hæc? Potuit venundari plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus?* An non Iudæ cauſam agit, & quod ille de hoc vnguento, hoc Caluinus de toto externo Dei cultu pronuntiat, in pauperes erogandum eſſe quod ad Deum colendum impendit religioſè. Prorſus in eadem ſententia eſt, & eundem affectum eadem conſiſtente patefecit. De re ipſa, totaque hac externa Chriſti veneratione, quam in poſterum hoc loco prohiberi Caluinus vult, in eiufdem hiftoriæ apud Diuū Ioannem repetitione, vbi paulo neruoſius Caluinus diſputat, plenius diſferemus; & putidas Caluini corruptelas, fauente Deo, illic aperiemus.

Caluinus Iudæ ſuſfragatur contra Chriſtū.

Ad Ioan. cap. 12.

26. *Cenantibus autem illis accepit Iesus panem.*

**V**T tota Christi actio & doctrina in mysterio Eucharistico quod hic Matthæus alijque Euangelistæ mira verborum breuitate, sed magna rerum ac mysteriorum copia describunt, dilucidè intelligatur, notandum ante omnia, Christum hac vltima nocte mortalis vitæ suæ triplicem Cœnam peregisse. Primam, qua stando paschalem agnum comedebat iuxta legis præscriptum, de qua discipuli dixerunt, *Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* Secundam, communem & familiarem, in qua discubuit cum discipulis suis, quam varijs interpositis sermonibus de proditore, vt hoc loco; de aliqua quadam contentione, vt apud Lucam; diu protraxit: & in qua poculû libatorium more gentis illius omnibus suis propinauit, de quo Lucas ita scribit. *Accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Ad quam etiam secundam cœnam pertinet verba Matthæi hoc capite, *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam nouû in regno Patris mei.* Hæc enim verba prioribus simillima Christum ante Cœnam Eucharisticam dixisse ex Luca manifestè patet, vt postea latius dicetur. In hac secundâ cœna surrexit, & discipulorum suorum pedes lauit, vt est apud Ioannem, cap. 13. *Et cœna facta, sup. Paschali: & paulo post, Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, &c.* id est, surgit à cœmuni & familiari cœna, quâ more omnium Iudeorû, finita solemnitate Paschali, cû suis celebrabat. Nam post hanc ablutionem pedum iterum recumbit in cœna eadem, & turbatus spi-

Christus  
triplicem  
Cœnam  
peregit.

Luc. 22.

ritu, de proditore suo verba facit, vt prolixè narrat in seqq. Ioannes. Qui de tertiâ & Eucharistica Cœna nihil quidem scribit, eo quòd cæteri tres Euangelistæ ante illû eam plenè descripsissent. Additamen de Iuda, *Cùm accepisset buccellam, exiit continuò.* Quod ad Cœnâ Eucharisticam pertinere nemini dubium est, qui Iudam Dominici corporis participem fuisse agnoscit, quod clarè docet Augustinus tract. 26. in Ioan. & serm. 11. de verb. Domini, & Chrysoft. homil. de prodicione Iudæ. Quum autem hunc de proditore sermonè Matth. & Marcus disertè ante Cœnam Eucharisticâ, Lucas verò post illam ponat, duos priores Euangelistas verum ordinem seruasse D. Ioannes postremò scribens quasi arbiter definiuit, narrans Iudâ accepta buccella continuò exiisse. Quod ergo Matthæus hic dicit, *Cenantibus illis, & Marcus, Manducantibus illis, accepit Iesus panem, &c.* intelligendum est peractâ iam secunda cœna familiari ac communi: quod expressius posuit Lucas dicens, *Similiter & calicem postquâ cœnauit, dicens, &c.* id est, absoluta cœna communi. Quod in altera quoq; huius Sacramenti parte factum fuisse dubitari nõ debet: tum quia diuelli vna pars ab altera non debuit, tum quia Lucas dicit, *Similiter & calicem.* Illud enim, *similiter*, non solum ad benedictionem & distributionem calicis, sed & ad temporis rationem ac similitudinem necessariò referendum est. Hæc diligenter annotâda sunt; tum quia alij aliter exponunt, omnium Euangelistarum contextu non satis expenso; tum quia ad alia circa hoc mysteriû intelligenda conducunt. Sic enim non solum à cœna Paschali noua Christi Cœna, à figura veritas distinguetur, verum etiam à cœmuni cœna, & communi pane ac vino, nouum & augustissimi

num myſterium ſeiungitur. Sic alia hæreticorū  
abſurda refellentur, vt mox videbitur.

26. *Accipit Ieſus panem, & benedixit.*

Cænæ  
Eucharis-  
tice cir-  
cunſtan-  
tia du-  
plex.

1. Acce-  
prio panis  
in manus.

2. Cir-  
cunſtantia  
Benedi-  
ctio.

**N**O T A N D A hic duplex circumſtantia  
in factō Chriſti, vt poſtea de verborum  
ſenſu certius conſtet. Prima eſt quōd Cē-  
nam Eucharisſticam & non Paſchalem auſpica-  
tus, de quō apud Lucam dixerat, *Deſiderio deſideravi  
hoc paſcha manducare vobiscum antequam patior*, vt illa  
verba Tertull. libro 4. aduerſus Marcionem, &  
Chryſoſt. homil. 83. in Matth. exponunt, *accipit  
panem*. Accipiendo quippe hoc elementum, docet  
ſe in re accepta aliquid operaturum, non in ſola  
mente aut ſpeculatione præſentium Diſcipulo-  
rum. Sic Matth. 15. multiplicaturus ſeptē panes,  
*accipit eos in manus*. Sic Ioan. 6. multiplicaturus  
quinque panes, ſimiliter *accipit in manus*. Sic hoc lo-  
co panem & calicem in manus accipiens, oſten-  
dit ſe circa res ipſas aliquid operaturū, non ſolum  
diſtribuendo, frangendo, & dando Diſcipulis, ſed  
etiam benedicendo. Altera igitur circumſtantiā eſt  
quōd pani & calici benedixit. Quod diligentissi-  
mē ante omnia aduertendum eſt propter horum  
temporum hæreticos, qui verborum Chriſti hor-  
rendam corruptelam in huius circumſtantiæ cor-  
ruptione potiſſimū fundant. *Benedixit*, apud Mat-  
thæū & Marcum ad verbum panis eſt, *εὐχαριςται*;  
ad verbū calicis eſt, *εὐχαριστος*, ſicut & apud Lu-  
cam ad verbū panis. Neutrum verbū ad panem  
& calicē transferri patiuntur hæretici, ſed ex ver-  
bis tranſitiuis verba faciunt abſoluta ſeu intransi-  
tiua. Matth. & Marc. ex Luca intelligendū eſſe  
ait hoc loco Calvinus, videl. *quōd Deo gratias Chri-  
ſtus egerit accepto pane & calice: ridiculos verō eſſe Papi-  
ſtas.*

*ſtas, qui ſigno Crucis benedictionem exprimunt, quaſi exor-  
ciſmo Chriſtus eſſet uſus. Sed exorcismo indigent iſti*  
hæretici, vt principe tenebrarum expulſo, clarifi-  
ſſimam huius loci veritatē apertis oculis intuean-  
tur. Dicit Matthæus, *Accipit panē, benedixit, ac fregit,  
deditque, &c.* Sicut *accipere, frangere, dare*, ad panē re-  
fertur, ita *benedicere* ad eundē referri neceſſarium  
eſt. Quōd autem in elemēto calicis, verbo *gratias  
agendi*, Matthæus, Marcus, & Lucas vtuntur, idem  
proſuſ ſignificare, luculenter Paulus docet his  
verbis. *Calix cui benedicimus, nōnne communicatio ſanguis  
niſ Chriſti eſt?* Verbum benedicere *εὐλογεῖν* tranſiti-  
uē ſumitur, & ad calicem ipſum tranſfertur. Sic  
ipſe panis & calix benedicuntur. Vnde Cyprianus  
vocat *calicem benedictionis ſacratum*, in ſermon. de Cæna  
Domini. Iuſtinus Martyr vocat *panem Eucharisſti-  
catum*, id eſt, ſuper quo gratiarū actio peracta ſit.  
Sic Irenæus, *Panis in quo gratia acta ſunt*, lib. 4. cap.  
34. & plenius lib. 5. *Quando mixtus calix & fractus panis  
percipit verbum Dei*. Notanda igitur hæc circum-  
ſtantiā diligenter, Chriſtum benedicendo panem  
& calicem aliquid in illis ipſis operari voluiſſe,  
ſicut Marc. 8. & Luc. 9. *benedicendo piſcibus*, multi-  
plicauit illos. Fallūt imperitos hæretici in verbo  
*gratias agere*, quōd non niſi ad Deum referri poſſe  
vrgent. Sciendum enim eſt, hæc duo verba, *bene-  
dicere & gratias agere*, in Scripturis Euāgelicis pro-  
miſcuc & vnum pro altero quaſi indifferentem ac-  
cipi, quod non ſolum ex verbis huius myſterij iā  
citatis patet, ſed ex vna ſententiā Pauli 1. Cor. 14.  
*Si (inquit) benedixeris ſpiritu, quomodo qui ſupplet locum  
idiotæ reſpondebit Amen ſuper tuam benedictionem?* Quū  
dicit, benedixeris, vtitur verbo *εὐλογεῖς*; cū di-  
cit benedictionē, vtitur verbo, *εὐχαριςται*. Quum  
tamen ita promiſcuc accipiātur, gratiarum actio  
X 2 potius

Benedic-  
tio ipſius  
panis pro-  
batur.

1. Cor. 10

Apolog. 2

Benedic-  
re & gra-  
tias agere  
pro eodē  
uſurpata.

Benedi-  
tionis  
vocabu-  
lum Pa-  
tres  
vrgent.

potius pro benedictione creaturarum accipitur, cui semper gratiarum actio adiungitur, quam benedictio pro gratiarum actione Deo facta. Quare Patres circa hoc mysterium benedictionem à Christo factam vehementer vrgent, gratiarum actionem non vrgent. Vide D. Ambros. de ijs qui inicianur mysterijs cap. 9. Euseb. Emisenū homil. 5. de Paichate, Chrysof. hom. de prodicione Iudæ, Cyprian. serm. de Cæna Domini, Nyssenū in serm. catechetico cap. 37. & Iustinū Mart. Apolog. 2. Omnes isti benedictione Christi circa ipsa elementa vt diuinè operatoriã vrgent & tractant. Recolenda híc sunt quæ suprã Matth. 14. annotata sunt, & in Prompt. Catholico latius disputata Dom. 6. post Pentec. & in die Ascensionis Domini. Vide quoque Claud. de Sainctes in opere Eucharistico, Repetit. 7. cap. 4. Verba Iustini antiquissimi Doctoris clara sunt. *Per verbum precationis Eucharistiz atam à Christo alimoniam illius esse carnem & sanguinem didicimus.*

Crucis  
signum in  
Ben. di-  
ctione ad-  
hibitum.

Quod autem de signo crucis in symbolorum benedictione à Papistis vsurpato garrat híc Caluinus, eodem conuitio doctissimos Patres ferit, qui sine Crucis signo nihil in mysterijs istis ritè ac legitimè fieri ex communi Christianorum fide docent. Vide Aug. serm. 181. de temp. & tract. 118. in Ioan. Chryl. in demonstratione quòd Christus est Deus, & hom. 55 in Matth. & Iust. Mart. Apolog. 2. Postremò quòd secundū nos Christum exorcismo vsu. m fuisse ait, in ipsū Christū blasphemata vox est. Verba enim ex Christi pectore & ore de pròpta incatationis magicæ nemo accusare potest, qui eiusdè cū Dæmonibus cõmercij Christū accuset. De qua hæreticorū hodie blasphemata vide Claud. de Sainctes in opere Euch. Repet. 7. c. 6

26. Hoc

26. Hoc est corpus meum.

TOTA digladiatio circa sensum horum verborum inde nascitur, quòd relicta vera & naturali proprietate verborū Christi, ad figuratiuam aliquam recurritur. Duo igitur híc docebimus. Primum, sensum verborum literalem necessariò tenendū esse; tum quis ille sensus literalis sit, explicabitur. Horū verborum literalem sensum tenendum esse, primum probat id quod præcedit, *Accipite, & comedite.* Hæc enim sunt verba aliquid exterius exhibentis & largientis. 1. Quid autem exterius exhibeat & quid largiatur, his verbis exponit, *Hoc est corpus meum.* Literalis igitur & proprius horum verborum sensus, qui rem externam & præsentè demonstrat, tenendus est, vt sciamus quid illud sit quod exhibet & largitur. Alioqui nihil certi habebis quod accipias & comedas. Si nec accipiendi nec comedendi facta prius mentio fuisset, illa verba à Christo prolata, *Hoc est corpus meum*, ad figuratiuas aliquas locutiones excogitandas mouere nos potuisset. Nunc vt proprio modo loquendi præmittit, *Accipite, & comedite*; sic proprio sermone subiungit, *Hoc est corpus meum.*

Literalis  
verborum  
sensus re-  
tinendus.

Deinde contextus sermonis Christi nullum tropum admittit. Alij ponunt tropum in verbo *corpus*: sed hic tropus à Luca excluditur, *Quod pro vobis datur.* Non enim signum, aut symbolum, aut pignus, aut virtus, aut energia aliqua vel efficacia corporis Christi, sed ipsum naturale corpus eius pro nobis datum est. Debet autem relationum suo antecedenti per omnia respondere, vt si hoc propriè sumatur, illud impropiè intelligi nequeat.

Tropum  
contextus  
non ad-  
mittit.

Y 3

- nequeat. Alij ponunt tropum in copula *est*, id est, significat. Sed hoc eodem redit. Si enim resolvas copulā in suas partes, & dicas, Hoc est significans corpus meum, signū stabit à parte prædicati, non copulæ. Sic iterum huic relatiuo, *Quod pro vobis datur*, antecedens erit signum corporis mei. Occurrunt hinc alij, & dicunt metonymiam esse figuram reciprocam, & rem significansem poni pro significato, non secus quàm rem signatam pro signo: vt ideo non iam corpus accipiatur pro signo corporis Christi, sed panis qui illud significat. Sed tunc hic sensus erit; Hic panis signum corporis mei, est corpus meum quod pro vobis tradetur; vel certè sic: Hic panis signum corporis mei, est signum corporis mei quod pro vobis tradetur. Quæ omnia vel non nisi in signo Christum pro nobis datum, vel panem pro nobis datum impij. simè docent. Contextus igitur sermonis Christi non nisi literalem sensum permittit.

**Literalis sensus ex collatione locorum.** Hic autem literalis sensus luculentissimè patet. *Hoc est corpus meum*, ex comparatione aliarum scripturarū, sic debet intelligi, vt quemadmodum in alijs Scripturis, sic in ista, tale debeat intelligi subiectum quale describitur à suo prædicato.

- Gen. 2.** *Hoc nunc os ex osibus meis.* Hoc non innuit costam Adæ vnde mulier facta est, sed ipsam mulierem existentem. Quum plueret manna, dicentibus Iudæis, *Man huc?* Quid est hoc? respondit Moyses: *Iste est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* Pronomen *iste*, non aliud significat quàm panem expressum de quo quærebant. Moyses aspergens populum hyssopo sanguine imbuto, dixit: *Hic est sanguis testamenti quod mandat ad vos Deus.* Non designat hyssopum vnde sanguis ei aculabatur, sed ipsum sanguinem. Vox Patris, *Hic est filius meus dilectus,*

*lectus*, personam filij hominis demonstrat, non vnde filius hominis factus est. Sic in re præsentis, *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* nihil aliud significare potest, quàm quod prædicatum enuntiat.

Erit hoc clarius si text<sup>9</sup> Hebraicus & Syriacus, quo Christus vsus est, expendatur. In Matthæo hebreo sic legimus, *זה שהוא גופי*, *Hoc quod est corpus meum.* In Matthæo Syro sic legimus, *הגוף פורי*,

Textus Hebraicus, Syriacus & Græcus expenduntur.

quod verti potest: *Hæc substantia corporis mei est*, vel cum alijs punctis *הנני*, *Eccce corpus meum*: sicut in cruce matri dixit, *Eccce filius tuus.* Sed Marcus Syrus adhuc expressius loquitur, hoc modo: *הנני איתותי פורי*, *Hoc reuera est corpus meum.*

Additur hinc in Marco, qui Syris prædicabat, & cuius Euangelij authenticum adhuc hodie retinet, particula illa *איתותי*, *reuera*; quæ etiam addita est in Ioanne Syro cap. 1. ad illa verba, *Erat lux vera.* Græci porro Euangelistæ Marcus & Lucas, & D. Matthæi interpret Græcus, articulus Græcis hanc emphaticam verborū Christi veritatem expresseverunt. Nam apud omnes hostres & etiā apud Paulū 1. Cor. 11. legitur: *τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου*, *Hoc est illud ipsum corpus meum.* Beza & alij hæretici in illis verbis, *Hic est agnus Dei qui tollit peccata mundi*, & *Hic est filius meus dilectus*, articulū ὁ adiunctum valde emphaticum esse docent, non solum ad distinctionem, sed etiam ad dignitatis commendationem. Idem hoc loco imprimis valere debet, quum articulus ille emphaticus nunquā omissus fuerit, sed tum à tribus Euangelistis, tum à Paulo adiectus. Docet igitur hic articulus de corpore suo Christum hinc loqui, non solum vt ab omni figura fecernitur, sed etiam vt eius singularè præminentiam notat. Docet non solum veritatem,

sed etiam excellentiâ; nempe illud ipsum esse corpus quod pro omnium hominû salute datur. Verba porro hæc Evangelica ab omni symbolica locutione vendicare volens Paulus, sic ea effert ut dicat, *τοῦτο μου ἐστὶ τὸ σῶμα*, Hoc meum est corpus. Quasi dicat, Hoc non est aliud quàm meum corpus. Quare in Pauli verbis si pronomen, *hoc*, ad panis substantiam pertineret, pronomen quoque, *meum*, ad eandem referri deberet, & sic sensus esset: Hic meus panis est illud corpus meum quod pro vobis tradetur. Debent igitur hæc verba ad literam intelligi ut sonant, tam significâter à Christo prolata, & ab Evangelistis recitata.

Literalis  
sensus ex  
loci cir-  
cunstâtijs  
probat.

Probat per literalis eorû sensus expressa necessitas ex varijs loci circumstantijs. Primum à persona loquentis, tum quia Deus est, tum quia quod hic se dare dicit, antea se daturum promisit

1. Ioan. 6 Secundo à tempore quo loquitur, videlicet instante morte, & volens omnibus figuris finem imponere. Tercio à personis audientiu, qui nō de turbis sed soli Apostoli erant, quibus Christus absque parabolis loqui solebat. Quarto à ratione Sacramenti quod hic instituitur, cuius verba sacramentalia propriè & perspicue efferi debent, non obscurè & figuratiuè.

Sed alia adhuc causa cur iuxta literâ hæc verba intelligi debeant, hæc vna imprimis esse potest, quod ubi primum litera deseritur, & tropus quaeritur, infinitæ & absurdissimæ opiniones gignuntur, & singulorum hæreticorum superbis ingenij, quasi tortoribus & eculeis, Christi verba subiiciuntur. Quod ita hodie accidisse breviter hoc loco commemorabimus: Primus Carolstadius ausus est dicere Christum dicendo, *Hoc est corpus meum*, digito suo ad pectus ostenso seipsum demon-

Varia tortura verborum Christi.

1.

monstrasse discumbentē, ut illud, *Hoc est*, significet, *Hic sedet corpus meum* quod pro vobis tradetur. Refert Sleidanus com. lib. 5. & Musculus in locis com. Cap. de Cæna Domini. Eum sequutus Zvinglius, verbum, *est*, exponit significat. Tom. 2. com. de vera & falsa relig. cap. de Eucharistia. Mox Oecolampadius, relicti in suo sensu verbis illis, *Hoc est*, ait corpus pro corporis figura accipiendum. Alij sic hæc verba contorquent: *Accipite & comedite corpus meum. Quod pro vobis tradetur, est hoc.* Sic prima Christi verba in vltimum locum transponunt. Refert Lutherus in defensione verborum Cæna. Alij rursus in hunc modum inuertunt: Corpus meum quod pro vobis dabitur, in ordine rerum spiritualiu est hoc. Refert Musculus in locis com. in cap. de Cæna Domini num. 2. Rursus idem Svinglius in his verbis, *Hoc est corpus meum*, affirmat nomine corporis passionem & mortem in corpore suscipiendam intelligi oportere. Sed alio rursus in loco, corpus Christi vocari vult, memoriam & recordationem immolati corporis eius. Denique alibi, non aliud esse quam diuinam quandam & verè modestam panegyrii populi fidelis ut Deo gratias agant. Hec de illo Vestphalus in Apologia Cōfess. de Cæna Domini. Verum alio adhuc loco idem Svinglius, quod Paulus dicit, *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est*, ait de corpore Christi quod est Ecclesia, intelligendū esse. Tom. 2. ad Matth. Rutlingium. Ioānes à Lasco, *Hoc est corpus meum*, exponit: Hæc forma seu actio Cæna est corpus meum seu participatio eius per fidem. Refert Vestphalus loco citato. Post hos omnes Sacramentarios Calvinus nō simplicem hinc figuram aut signum ponit, quod esse potest sine re signata,

signata, sed metonymiam statuit, hoc modo: *Hoc est corpus meum*; id est, sub symbolo panis continetur corpus Christi: sed ita continetur, vt quantum cælum distat à terra, tantum corpus Christi distet à pane vel à Cæna: contineri tamen, quia manducantes hunc panem, per fidem in cælum conscendimus, & inde ad nos deducimus, non ipsum Christi corpus, sed quandam eius vim viuificam, qua animæ nostræ pascuntur. Cuius singularé demeritum mox specialiter refutabimus. Interea Lutherani, qui veritatem corporis Christi cum pane subsistere volunt, multos absurdos sensus confingunt. Primum ipsum *panem esse corpus Christi*, vbi res naturæ disparatæ de se inuicem prædicantur; deinde *sub pane* esse corpus Christi, quod non nisi in figuram resoluitur, mox *cum pane* esse corpus Christi, vbi vniionem coguntur fingere quasi hypostaticam inter panem & corpus Christi; tandem *in pane* licet esse corpus Christi sicut in alijs omnibus rebus est per omnipotentiam & diuinitatem suam, quæ Vbiquitarianorū propria infania est. Ita relicto proprio & literaliter verborum Christi sensu, tam varias & repugnantes expositiones cæca hominū & temeraria ingenia pepererunt, idque vsque ad numerum 84. vt sigillatim recenset Claud. de Sainctes Repetit. 1. c. vltimo.

88. *Hic est sanguis meus noui testamenti qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

**H**AEC sacratissima verba diligenter expensa & bene intellecta, ad omnes veritatis Eucharisticae hostes penitus fugandos atque fundendos sola sufficiant. Dicit Christus de porrecto calice, id est, de vino in calice, non

non solum, *Hic est sanguis meus*, sed addit, *noui testamenti*. Prohæteretur ergo hoc quod in calice bibimus, esse *nouum testamenti sanguinem*: id est, esse illum sanguinem quo nouum testamentum conditur & dedicatur, idque propter remissionem peccatorum. At nouum testamentum, cuius proprius effectus est remissio peccatorum, & bonorum operū gratia, iuxta clarissima Hieremix verba cap. 31. non nisi in ipso Christi sanguine dedicatur & confirmatur, vt Paulus ad Hebr. c. 10. perspicue docet: quia *sine sanguine non fit remissio peccatorum*.

Hic in omnem se torquet partem tortuosus ille serpens per ora hæreticorum. Primum acriter vrgent, non de vino sed de calice dici, quod sit nouum testamentum in sanguine Christi: calix autem seu poculum non nisi metonymicòs & figuratiuè hoc dici potest quatenus continet vinum: ergo nec vinum ipsum alio sensu quam figuratiuo, sanguis noui testamenti vocabitur. Ait hoc loco Calvinus. *Non dicit Christus, Hoc est sanguis meus, sed, Hic est calix, ergo & calix conuertitur in sanguinem*. Nempe vrget verba Lucæ, qui sic habet: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo*. Sed calicem hoc loco pro eo quod in calice erat, iuxta notissimum tropum accipi, id quod Lucas adiunxit, manifestè conuincit. *Qui pro vobis fundetur*. Hæc adiuncta verba, quia veritatem sanguinis in calice præsentis luculenter docent, impius Beza audet dicere, *Vel quum in margine stetit, in textum postea irrepisset, vel manifestum sit solacissimum*, & legendum esse participium in ablatiuo casu, quod Lucas ponit in nominatiuo: nempe, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυόμενον, & non, vt quædam codices habent, τὸ ἐκχυόμενον. Nam in nominatiuo positum, conuenit cum calice, in abla-

Lutheranorum varia sententia.

1. sensus confingunt. Primum ipsum *panem esse corpus Christi*, vbi res naturæ disparatæ de se inuicem prædicantur; deinde *sub pane* esse corpus Christi,
2. quod non nisi in figuram resoluitur, mox *cum pane* esse corpus Christi, vbi vniionem coguntur fingere quasi hypostaticam inter panem & corpus Christi;
3. tandem *in pane* licet esse corpus Christi sicut in alijs omnibus rebus est per omnipotentiam & diuinitatem suam, quæ Vbiquitarianorū propria infania est. Ita relicto proprio & literaliter verborum Christi sensu, tam varias & repugnantes expositiones cæca hominū & temeraria ingenia pepererunt, idque vsque ad numerum 84. vt sigillatim recenset Claud. de Sainctes Repetit. 1. c. vltimo.

Calvinus textum Euangelicū negat.

Beza Lucam solacissimum ait.

ablatiuo positum conuenit cum sanguine. Sed D. Lucas posuit (vt omnes codices habent, quod ipse Beza fatetur) in nominatiuo, vt conueniret cum, *Hic calix, τὸ το πότησιον*, & sic intelligeremus in ipso calice esse sanguinē noui testamēti, quod apertius Matthæus & Marcus dixerunt: *Hic est sanguis meus noui testamenti*. Scriptura ergo vtrumque dicit; *Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine*, apud Lucam; &, *Hic est sanguis meus noui testamenti*, apud Matth. & Marcum. Solum alterutrum agnoscit Caluinus, impudentissimē negans quod apud Matth. & Marcum est. Quorum etiam verba corripit Beza vertendo apud vtrumque; *Hoc est sanguis meus noui illius testamenti*, &c. vt sanguis de poculo prædicetur, atque ita metonymia necessariò intelligatur. Si legamus, *Hic est sanguis meus*, (ait Beza) nullum erit huius propositionis subiectum præter ipsum sanguinem qui Christi esse dicatur. Atqui homo impudenter debuit totam Ecclesiam Latinorum hæcenus semper ita intellexisse, quia ex certa fidē credebant non aliud huius propositionis esse subiectum quàm id quod enuntiat prædicatum, videlicet *sanguinem Christi*. Sed probare conatur, vinum esse subiectum in hac Christi propositione, quia Lucas dixit, *Hic calix est nouum testamentum*, &c. Calicis autem nomine id quod in calice erat, intelligendum esse, vinum videlicet. Atqui vt textū Matth. & Marc. corrūperet ex verbis Lucæ, ipsa Lucæ verba sollicitissimi arguere impudentissimus hæreticus ausus est, vt iā diximus. Stâte quippe grāmatico & cōgruo sensu verborū Lucæ, vt in græco habentur, vbi calix ipse effundi dicitur in remiss. peccatorum, necessariò calicis nomine, non vinū in calice, sed sanguis in calice intelligendus est, iuxta verba Matthæi & Marci.

Citat

Citat Beza Basilium legentem Lucæ verba in ablatiuo casu Regula 21. An non verò pulchrum hoc est, deserta textus Euangelici receptissima lectione, ad vnius scriptoris Ecclesiastici lectionē confugere? Quasi verò non multo facilius sit textum Basilij corruptum aut incorrecte editū fuisse, quàm Diui Lucæ textum sollicitissimo laborare? Neque enim illa verba tractat Basilij quasi in quarto casu legisset, sed ipsa Scriptoræ verba simpliciter allegat: quæ vitio, vt apparet, typographi, aut alicuius scioli temeritate aliter leguntur quàm in textu sacro.

Premunt adhuc hæretici, quòd Lucas & Paulus non sic referant Christi verba vt dicat de calice, *Hic est sanguis meus noui testamenti*, sicut Matthæus & Marcus dicant; sed sic, *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo*. Hic enim quasi triumphans Caluinus ita scribit hoc loco *Hinc colligere promptè est, quàm superstitiosi sint Papistæ & similes (Lutheranos intelligit) dum verba mordicus arripiunt. Quamuis enim crep. nt, hæc Spiritus Sancti expositio reijci non potest, quòd calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine. Atqui eadem est panis ratio. Vnde sequetur vocari corpus, quia testamentum est in corpore. Christus ergo sui sermonis idon. us interpres palàm ostendit non a'ia ratione se panem vocasse corpus suum, & calicem sanguinem suum, nisi quia nobiscum fædus æternum pigrit, vt sacrificio semel oblato spiritaliter nunc epulemur, quia fædus hoc non nisi spiritali corporis manducatione & sanguinis potione sancitur, vt firmum sit & efficax. Hæc Caluinus. Cæterum antequàm Caluini cauilla diluamus, duo hîc explicanda sunt: primùm quæ sit causa discriminis in verbis Lucæ ac Pauli à verbis Matthæi ac Marci. Deinde an ista spiritalis manducatio & potio sufficiant ad noui testamenti pactio-*

nem

Beza rursus  
textum corripit.



Cur Lucas ac Paulus aliter verba Cæne referunt quam Matth. & Marcus.

Corpus & sanguis Christi dantur ad nouum testamentum sanciendum.

3: Noui testamenti sanciendi modus.

nem quam hic in Cæna fieri Christus affirmat. Ad prius quod attinet, attendendum est Evangelistas in hac historia Cæne Eucharisticæ tria nos docere, tamen paucissimis verbis. Primum quid Christus illic dedit in cibū ac potum, nempe *corpus & sanguinem suum*. Deinde in quem finem illa dedit, nempe ad sanciendum nouum fœdus ac testamentū. Tertio quomodo hoc fœdus perficiatur, nempe ea distribuendo in esū & potum.

1. Horum trium primum Matthæus & Marcus liculenter expresserunt in verbis quæ nunc tractamus. Secundum Lucas & Paulus exposuerunt, dicendo de calice, quod esset *nouum testamentum in sanguine Christi*, id est, per sanguinem eius: vbi causam & instrumentum condendi tunc fœderis exprimit. Plainius & plenius causam fœderis expriment hæc verba, *Nouum testamentum in sanguine, quàm Sanguis noui testamenti*. Nam sanguis noui testamenti dici potest, qui quoquo modo ad nouum testamentū pertinet, siue per modū signi, siue per modū materiæ, siue etiā causæ. Sed *nouum testamentum in sanguine*, ostendit calicē porrectum non solum noui testamenti aliquo modo esse, sed esse ipsam nouum testamentū, fœdus, ac pactum per sanguinem Christi; id est, in hunc finem illic in calice hñti, vt per eum nouum testamentum ac fœdus ineatur. Idem verò & in corpore Christi fieri nō negamus, nisi quod illud est corpus victimæ, quo solo præsentia fœdera percuti non solēt; sanguis verò effusus, aspersus, & communicatus est tota materia fœderalis, & percutiēdi fœderis cōplementum. Que causa est, cur ad sanguinem, non ad corpus, noui testamenti mentio ab Evangelistis fiat. Tertium verò de modo hoc fœdus ac nouum testamentum ineundi ac perficiendi descri-

scri-

scribunt Matthæus & Marcus, in illis verbis, *Bibite ex hoc omnes*, vbi etiam Marcus addit, *Et biberunt ex eo omnes*. Iam enim hac actione bibendi adimpletum fuit ex parte Apostolorum nouum testamentum cum Deo; sicuti aspersione sanguinis in populum quam Moyses fecit, dicens, *Hic est sanguis testamenti quod pepigit vobiscum Deus*, completum fuit ex parte populi fœdus eius cū Deo. Propterea in Matthæo quum dixisset Christus, *Bibite ex hoc omnes*, subiunxit, vt causam bibendi: *Hic est enim sanguis meus noui testamenti*. id est, Ideo bibite, quia bibendo perficietis ex parte vestra nouum testamentum, & eritis populus Dei hac tessera fœderali accepta.

Ex hoc tertio modo elucescit secundum quod hoc loco explicandū diximus, nempe ad nouum testamentū ac fœdus de quo hic Christus loquitur internos & Deum perficiendum non sufficere spiritualem aliquam manducationem aut positionem corporis & sanguinis Christi, vt vult Caluinus, sed planè requiri externam, realem, & corporalem vtriusque sumptionem. Quod Christus in calicē porrexit, erat *nouum testamentum in sanguine eius*, quatenus bibebatur ab Apostolis sanguis ille, non quatenus in sanguinem illum credebant. Dixit illis Christus: *Bibite ex hoc, hic est enim sanguis noui testamenti*. Non dixit, *Credite in hoc*, hic est enim sanguis, &c. Deinde, vetus fœdus percutiebarur adperso in populum sanguine, & omnia fœdera externis notis ac ritibus ob oculos positis percutiuntur: Sic hic externa sanguinis Christi exhibitione & intima per bibendum aspersione nouum fœdus conditum & sancitum est. Nam illa verba, *Qui pro vobis effundetur*, in præsentī tempore legenda sunt, iuxta om-

Spiritualis manducatio aut potio non sufficit ad nouum testamentum sanciendum.

1.

2.

Heb. 9.

omnes Euangelistas in textu græco, & sensus est, Qui pro vobis nunc distribuitur, & reali participatione singulis vestris intimè effunditur & adspargitur: vt videlicet veritas responderet figuræ. Quam quum Moyse administraret, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus. Rursum quum Christi verba de pane, Accipit, fregit, ac dedit, item de calice, Accipiens gratias egit, ac dedit, externam Christi actionem euidenter exponant, necessarium est vt alia verba Christi hinc dependentia & ex illis consequentia, Accipite, comedite, bibite, externam quoque acceptionem ac potationem rei datæ expriment. Sicut enim externè accepit & dedit, ita à suis externè accipi & bibi voluit. Est igitur necessaria corporis & sanguinis Christi externa acceptio, manducatio, bibitio ad fœdus & testamentum nouum in Christi corpore & sanguine faciendum.

Scripturæ  
contem-  
prum do-  
cet Cal-  
uinus.  
Instit. lib.  
4. cap. 17.  
num. 23.  
& lib. 3.  
cap. 3.  
num. 9.

Ioan. 1.

Ephes. 2.

Quibus ita explicatis, omnia Caluini cauilla facile retundentur. Clamat stultè supersticiosos esse qui verba Christi mordicus arripiunt. Alibi eos vocat syllabarum aucupes. Denique in syllabarum contextu supersticiosè hæere qui ordinè sacri textus obseruant. Quibus vocibus nihil non impudentius tantum, sed nec magis impium dici potuit. Eisdem quippe vocibus omnes armantur hæretici, vt diuinæ Scripturæ verbis conuicti, clament stultè supersticiosos esse fideles, & syllabarum aucupes, qui Scripturæ verba mordicus arripiunt. Armatur Arius, vt si verbis illis, Verbum caro factum est, prematur, respondeat, stultè supersticiosos esse, & syllabarum aucupes, qui verba Euangelistæ mordicus arripiunt. Armatur Pelagius, vt si quis vrgeat, Gratia saluati estis per fidem, &

hoc

hoc non ex vobis, Dei enim donum est, respondeat impius, stultè supersticiosos esse, & syllabarum aucupes, qui verba Pauli mordicus arripiunt. Armatur Manichæus, vt si quis ei obijciat Apostoli verbum de filio Dei, qui factus est ex semine David secundum carnem, auctore Rom. 1. Caluino citò se expediat dicens, stultè supersticiosos esse, & syllabarum aucupes, qui verbum Apostoli mordicus arripiunt. Armantur denique omnes in vnuerfum hæretici, vt quoties luculento & aperto Dei verbo premuntur, vrgentur, refutantur, hoc vnum cum Caluino perfricta fronte respondeant, stultè supersticiosos esse, & syllabarum aucupes, qui Dei verbum mordicus arripiunt. Hic est videlicet honor, hæc reuerentia quam diuinis Scripturis deferunt hæretici, quas solas omnem & vnicam esse veritatis normam obtendunt, vt quum ipsorum placitis illæ reluctantur, pro stulta superstitione habendum sit, si earum verba mordicus arripiantur. Manifestè indicant non magnopere eos curare quid velit Scriptura, modò clypeum illis suppeditet ad tuendam obitinationem. Hæc Caluini hoc loco audacia, impietas, impudentia. Nos verò verbis Christi mordicus adhærebimus, & adhærendum esse in Ecclesia Catholica didicimus, nec vlla Caluini insolentia ab hac sapientia & pietate piorum animos poterit auellere. Non stultè supersticiosus sed sapienter pius ac fidelis est, qui ita mordicus diuinæ Scripturæ verba arripit, vt nulla hæreticorum vel astutia vel nequitia ab illis se diuellit, id est, à luce ad tenebras (Lucerna enim pedibus meis verbum tuum) à veritate ad mendacium (qui Ioan. 8. enim ex proprijs loquitur, mendacium loquitur) à verbo vite ad hominum commenta (verba enim vite æternæ Christus habet; quid nisi commenta hominum

Psal. 118.

Ioan. 8.

Ioan. 6.

Z

hære-

hæreticorum glossæ sunt?) abduci se patiatur. Scilicet non debes Christi verba mordicus arripere. Et quare? vt Caluini verbis mordicus adhæreas. Hæc est execrabilis hoc loco huius hominis impietas.

Caluini  
extrema  
impudentia.

Sed aliquid fortè graue & consideratione dignum est, quod à tanta impietate Caluinum liberet, & quod eum mouere potuit, vt Christi verba mordicus arripienda non esse iudicaret. Audiamus quid dicat. *Quamuis* (inquit) *crepent, hæc Spiritus Sancti expositio reijci non potest, quod calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine.* Vide iterum maiorem aut certè non inferiorem hominis impudentiam. Vocat Spiritus S. expositionem, quæ non Spiritus Sancti sed ipsius Caluini est. Spiritus S. apud Lucam & Paulum dicens, *Hic calix est nouum testamentum in sanguine meo*, non exponit quod apud Matthæum & Marcum Christus dixit, tenens in manu calicem, *Hic est sanguis noui testamenti.* Nec Paulus nec Lucas aliorum Euangelistarum verba exponunt quando hæc scripserunt, sed distante Spiritu Sancto Christi verba plenius, & in alium finem expresserunt. Matthæus & Marcus simpliciter verba Christi ponunt, quibus quid daret significabat, nempe corpus & sanguinem suum. Lucas & Paulus illa Christi verba ponunt, quibus significabat, in quem finem corpus & sanguinem dedit, nempe ad sancendum nouum fœdus ac testamentum cum nouo populo, vt iam explicatum est, & vt ipse Caluinus agnoscit. Nec Lucas nec Paulus causam narrat, cur calix vocetur sanguis, sed cur vocetur ab alijs Euangelistis *sanguis noui testamenti.* Nempe quia in illo sanguine esset nouum testamentum, in illo, inquam, accepto & hausto. Nulla igitur

in

in verbis Lucæ ac Pauli verborum Matthæi ac Marci expositio est quoad nuncupationem sanguinis, sed bene quædam ampliatio, qua quorsum Christus sanguinem suum dedit, Christum dixisse plènius commemorant: itèmq; quædam expositio cur Sanguis noui testamenti vocatus à Christo fuerit. Illam ergo expositionem non iam Spiritus S. sed nefarij Caluini penitus reijciamus qua dicitur, *quod calix vocetur sanguis, quia testamentum est in sanguine.* Nam ideò calix vocatur sanguis Christi, quia verè in calice est sanguis Christi. Ideò autem vocatur *calix nouum testamentum in sanguine*, quia in calice non solum ipse Christi sanguis est, sed etiam est per modum sanguinis fœderalis seu testamentarij, id est, in eum finem datus vt sit sanguis fœderis noui testamenti, acceptus & haustus, sicut sanguis, quo Moses totum populum aspersit, fuit fœdus & testamentum Dei cum veteri populo. Non ergo hic posterior sermo prioris illius sermonis, ratione vocabuli *sanguinis*, vel causa vel expositio est, sed *αιτιολογια* est, & ratio reddita in quem finem sanguis datur, quem prior sermo datum esse affirmat, & quare *nouum testamenti sanguis* vocatus est. Ergo verbis Christi mordicus inherendum est, tam ijs quæ Matthæus & Marcus quàm ijs quæ Lucas & Paulus scripserunt. Vtrobique, *simplicibus Christi verbis habenda est fides*, quod nos contendere non oportere ait Caluinus. Et cur, obsecro? *Christus* (inquit) *ipse est idoneus sui sermonis interpret.* Optimè. At ille, palàm ostendit, non alia ratione se panem *vo-* *casse corpus suum, & calicem sanguinem suum, nisi quia nobiscum fœdus æternum pepigit, vt sacrificio semel oblato spiritualiter nunc epulemur.* Atqui hæc interpre-

Z z tatio

Hæretico-  
rum im-  
posturæ.

tatio non Christi sed Caluini est. Obseruandum diligenter, hæreticos istos ; & Caluinum maxime, Christi verba & Christi interpretationem vocare, quæ ipsorum verba & ipsorum interpretatio sunt, non Christi. Astuti serpentes Deum hoc dicere aiunt, quod ipsi dicunt, non Deus. Christus nec palam nec omnino ostendit se non alia ratione panem vocasse corpus suum, & calicem sanguinem, nisi quia nobiscum fœdus pepigit, &c. Ostendit sane Christus se ideo dedisse corpus & sanguinem suum, vt per illa nobiscum fœdus æternū pangeret. Ideo enim de calice expressè dixit (quod & de corpore quoque intelligi aliquo modo posse non negamus) *Hic est nouum testamentum in meo sanguine.* Sed nec ostendit se panem vocasse corpus suum, quod Caluini mendacium est (non enim dixit, *Hic panis est corpus meū, sed dixit, Hoc est corpus meum*;) nec in specie panis ostēdens corpus suum, & in calice demonstrans sanguinem suum, dixit; Hoc non alia ratione est corpus & sanguis meus, nisi quia hoc est nouum testamentum meum in illis ; sed iuxta Matthæum & Marcum designauit, adesse & sisti illic corpus & sanguinem suum; iuxta Lucam & Paulum palam ostendit, sanguinem sic adesse & sic sisti, vt in illo sit nouum testamentum, id est, vt per illum & illius sumptione nouum iniretur fœdus ac testamentum. Ideo enim adiecit, *Accipite, comedite, bibite.* Non adiecit, *Istis immolatis in cruce, spiritualiter epulmini.* Hoc Caluini extraneum commentum est, cui claudende sunt aures Christianorum. Christi, inquam, verba attendere debemus, qui sui sermonis idoneus interpret est, non Caluini commentum : quod ille statim absurdissimo paradoxo confirmat, quum ait: *Quia fœdus hoc non*

Caluini  
paradoxū  
absur-  
dum.

nisi spirituali corporis manducatione & sanguinis portione sancitur. Sancitur quippe hoc fœdus, vt iam ostendimus, reali manducatione, de qua Christus dixit, *Accipite, & manducate*; item reali portione, de qua Christus dixit, *Accipite, & bibite ex hoc omnes.* *Hic est enim calix, &c.* vt supra fatis explicatum dedimus. Ita impius Caluinus stultè supersticiosos vocans qui Christi verba mordicus arripiunt, & iterum dicens, *Non esse cur simplicibus Christi verbis fidem habendam esse contendamus.* manifestè, perspicuè, clarissimè, à simplicibus Christi verbis, ad suam astutam & mendacem glossam Lectorem abducit; Christi verba peruertit, sensum corrumpit, & ad suum impium commentum orbi obrudendum, Christi interpretationem ac nomen mutatur. Christi denique interpretationem & sensum non in Christi verbis, *Accipite, comedite, bibite*, sed in sui cerebri figmento, *Spiritualiter epulamini*, ponit. Hæc eius impietas, audacia, impudentia maior & execrabilior est, quàm vt vllis penè verbis explicari queat, vnde & ad eam simpliciter patefaciendam paulo pluribus verbis vti necesse fuit.

(. . . . .)

(. . . . .)

(. .)

EXPOSITIONIS CALVINIA.  
næ super hæc Christi verba, *Accipite, & comedite*  
*te; Hoc est corpus meum;* refutatio.

**H**IS nunc ita expositis & constitutis, totam hoc loco Scripturæ huius Evangelicæ depravationem à Caluino excogitatum breuiter refutabimus. *Ne* (inquit) *sermone nimium prolixus, tantum breuiter perstringam, qualis sit & quid in se contineat Domini institutio.* Deinde quis sit eius usus, quatenus ex Euangelistis colligere licet. *Atque hoc primum occurrit, \* Christum cœnam instituisse, quam inter se communicent discipuli. Vnde sequitur diabolicum esse inuentum, quod se vnus homo à reliquo cœtu, se parans, priuatim cœnam peragit. Quid enim minus consentaneum, quàm distribui inter omnes panem, & seorsim ab vno vorari? Quamuis ergo iactent Papistæ se in suis Missis Cœna Domini hæc habere substantiã; ex re ipsa tamen constat, quotquot celebrant priuatas Missas, totidem à Diabolo ad obruendam Christi Cœnam erecta esse trophœa.* Hæc ille impostor impius & blasphemus. Christus quippe non hic cœnam instituit, sed partim Sacramentum, partim etiam Sacrificium. *Cœnantibus Apostolis accepit quidem Iesus panem, &c. non quia cœnam tunc aliquam peragebat, sed quia finita cœna Paschali, & immediatè post cœnam familiarem atque communem, nouum hoc mysterium aggressus est.* Hoc ipsemet Caluinus hoc in loco fatetur. *Finita* (inquit) *cœna sacrum panem & vinum gustarunt. & D. Lucas apertè scribit quod calicè accepit postquam cœnauit, quod idem de pane Christum fecisse mysterij plenitudo conuincit, & ipse Caluinus agnoscit. Quod de calice* (inquit) *peculiariter narrat Lucas, ego ad panem quoque extendo. Nō ergo in hoc mysterio*

Menda-  
cium.

Missæ pri-  
uata fru-  
stra im-  
pugnata.

sterio cœnauit aut cœnam instituit Christus; sed nouæ legis Sacramentum & noui testamenti Sacrificium docuit. De Sacramento ipse Caluinus fatetur. *Hoc sine controversia statui debet, abolitis figuris legalibus, proditum hic fuisse nouum à Christo Sacramentum.* Sacrificium hic à Christo etiam institui, illa verba verbis sacramentalibus adiecta, *Quod pro vobis datur, & Qui pro multis effundetur,* manifestè docent. Ostendit enim hæc verba quod per modum & sub conditione immolati corporis in vna specie, atque item sub conditione effusi sanguinis in altera specie, Christus in hoc Sacramento existat; nec magis obstat immolatio incruenta & mystica quo minus sit immolatio vera, quàm obstat existentia sacramentalis & mystica quo minus eadem sit realis & vera. *Vnde non mentitur* (ait August. Epist. 23.) *qui interrogatus responderit Christum in hoc Sacramento immolari. Immolatur quippe in Sacramento.* Hæc ille. & alibi: *Sacrificij illius in cruce sacramentum, quotidianum voluit esse sacrificium.* Nempe quod quotidie Ecclesia sacrificat. Vnde & D. Chrysostr. *Hoc sacrificium est exemplar illius. Id ipsum enim semper offerimus.* Huc, si opus foret, aduocari tota Antiquitas potest. Christum enim in Cœna sacrificasse vno ore docent. Hieron. in qq. hebraicis super Genes. Leo serm. 7. de Pass. Domini. Basilus in Psal. 109. August. præter loca citata frequentissimè; in Psal. 33. conc. 1. & Psal. 109. in orat. contra Iudæos cap. 9. de Ciuitate Deil. 17. cap. 5. 17. 20. & lib. 6. c. 22. & lib. 18. cap. 35. cōtra aduersar. Legis & Prophet. lib. 1. c. 18. Epiphani. hæc. 55. Ambros. de Sacrament. lib. 4. ca. 3. Chrysostr. homil. de prodicione Iudæ, & in Psal. 95. Theoph. & Oecum. in epist. ad Hebræos c. 10. Irenæus lib. 4. c. 32. Impiè igitur & profanè Caluinus; qui Sacramenti & Sa-

Sacramen-  
tum &  
Sacrifi-  
cium à  
Christo  
institu-  
tum, non  
cœna.

De Ciuit.  
Deil. lib.  
10. ca. 20.  
Hom. 17.  
in epist. ad  
Hebr.

crificij ratione neglecta, Cœnâ hîc à Christo institui ait, vt contra priuatas Missas declamiter. Quatenus ergo sacrificium hîc peragitur, vnus homo ad rem tantam initiatus, & à reliquo cœtu nō seipsum separans, vt cauillator Calvinus loquitur, sed per impositionem manuum ab Ecclesia Dei segregatus, priuatim peragit. Quatenus Sacramentum est, siue ab vno siue à pluribus percipitur. Et est in Missa Catholica Dominicæ Cœnæ substantia, quia corpus & sanguis Domini, prout ipse instituit, in eâ verè ac realiter accipiuntur; & illud quidem manducatur, hîc bibitur. Calvinus ad obruendam Christi Cœnam sua ficticia metonymia, & Christi corpore ac sanguine tam procul à Cœna quàm cœlum à terra est eliminatis, nec nisi pane & vino in Cœna sua relictis, nobilissimum diabolo erexit trophæum. Pergit Calvinus.

\* Menda-  
cium.

*Isdem\* verbis docemur (Accipite, & comedite) qualis in Cœna oblatio à Christo tradita fuerit. Iubet suos accipere. Ipse est igitur solus qui offert. Quod ergo Papistæ se in Cœna offerre fingunt, à contrario auctore profectum est. Et certè mira est ista anastrophe, vt mortalis homo, dum Christi corpus accipere iubetur, sibi eius offerendi partes arripiat: atque ita sacerdos à seipso creatus, Deo filium suum immolet. Non disputo in presentia quàm multis sacrilegijs scatet fœlicitas eorum oblatio. Mibi probare sufficit adeo nihil habere Christi institutioni affine, vt directè potius repugnet. Hæc ille. Magnus impostor Calvinus turpiter ac nefariè incauto lectori imponit. Ait Christum in illis verbis, Accipite, & comedite, docere qualis ab illo oblatio tradita fuerit. Mentitur. Illa verba ad Christi oblationem nihil pertinent, sed ad vsum rei oblatæ. Christi oblatio in Cœna Deo Patri facta, in benedictione, gratiarū actione, &*

Oblatio  
Christi  
quibus  
in verbis  
constabat.

ne, & symbolorū cōsecratione, quū diceret, *Hoc est corpus meū, Hic est sanguis meus, tota cōsistit.* Alia verba, *Accipite, & comedite*, de rei benedictæ, cōsecratæ, oblatæ sūptione & vsu loquūtur. Hęc vna est Caluini impostura mēdax. Sequitur alia. *Iubet* (inquit) *suos accipere: ergo ille solus offert, mōxq; hoc enthymemate cōsitus declamat contra Papistas quòd accipere iusti, offerendi sibi partes arripiant.* Sanè fungus ac stipites fore qui hæc sua legerent, arbitratus videtur. *Quis enim non statim aduertit impudentis hominis crassum delirium? Quis non videt Christum Apostolis suis non hoc solum dixisse, Accipite, & comedite, sed postea adiecisse, Hoc facite in meam commemorationem: nec sacerdotes Christi ideo offerre quia iubentur accipere, sed ideo offerre quia iubentur facere quod Christus fecit? Tota ergo corruit stolidi Caluini cauillatio. In verbo Christi, Hoc facite, non in verbo Christi, Accipite, & comedite, offerendi poreitas fundatur, quam Apostoli à Christo, sacerdotes ab Apostolis acceperunt. Ad hæc verba, & super hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, nihil profus Caluinus in Harmoniæ suæ commentario scribit. Hæc verba penitus intacta prætermittit, dissimulat, tacet: quæ silentio eius altera nequitia & astutia est, vt circūueniat in errore. Christus igitur in vltima Cœna solus quidem obtulit & immolauit corpus suum & sanguinem; sed iubens Apostolos facere quod ille fecerat, iussit offerre sicut ille obtulit; nec hoc institutioni Christi repugnat, sed ex ea necessario consequitur. Sacerdos itaque (ait S. Dionysius Areopagita, D. Pauli discipulus) hanc rem admirabilem ac stupendam facturus excusat se ad Christum primò decenter exclamans, Tu dixisti, Hoc facite in meam commemorationem. Postea verò τα δὲα τελεῖ, diuina perficit &*

Christi  
verba,  
Hoc fa-  
cite,  
inuenit  
Caluinus.

Eccles.  
Hier. par.  
3, cap. 30.

cit & consecrat. Eriterum: *ἡσχυρεῖται δεῖπνον*, consecrat diuiniſſima. Facit igitur sacerdos quod Christus fecit, non à seipſo sacerdos creatus, vt caluiniatur iste Satan, sed sacerdotio in Ecclesia Dei per impositionem manuum presbyterij legitime initiatus, idque in persona non sua sed Christi. Vnde D. Chrysoſt. *Non homo est qui proposita in mensa Domini corpus Christi facit & sanguinem, sed ille qui crucifixus est. Sacerdotis ore verba proferuntur, sed eius virtute consecrantur & gratia.* Tota Antiquitas huc aduocari posset. Sed contra vnus Caluini dementiam sufficiunt hi duo antiquissimi Patres.

Iam ad illa verba, *Hoc est corpus meum*, quæ & quanta cauilletur Caluinus, expendamus. *Quod his verbis panem consecratum fuisse dicunt, vt fieret carnis Christi symbolū, non improbo, modo rectè hoc nomen ac dextere sumatur. Panem ergo, qui alendo corpori destinatus erat, elegit ac sanctificat Christus in aliū vsum, vt spiritalis cibus esse incipiat. Atque hæc est conuersio cuius mentio fit apud vetustos Ecclesie scriptores.* Primū quod ait nos dicere *panem consecrari vt fiat carnis Christi symbolum*, mentitur, ac fallit. Non enim vt fiat carnis Christi symbolū, sed vt fiat ipsa Christi caro, consecrari panem Catholici affirmant. Nos retinemus verba Christi, non verba Caluini. Christus non dixit, *Hoc est symbolum corporis mei*, sed dixit, *Hoc est corpus meū*: & vt omne symbolum, signum, figura excluderetur, adiecit, *Quod pro vobis datur.* Hoc symbolo corporis Christi aptari non potest. Deinde verum quidem est hunc panem à Christo sanctificari in aliū vsum, vt *spiritalis cibus esse incipiat*: quia incipit esse ipsum corpus Christi, qui spiritalis cibus est, & illa est conuersio cuius mentio fit apud vetustos Ecclesie scriptores. Sic D. Ambrosius. *Proberimus*

In homil.  
de prodit.  
Iudar.

Menda-  
cium.

Conuer-  
sio qualis  
iuxta vete-  
rem Ec-  
clesiam.

non

*non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque esse vim benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur.* Et post multa huiusmodi mutationum exempla è Scripturis prolata, concludit. *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, mutare in id quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare quam mutare naturas.* Rursum alio in loco. *Vbi accessit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Et paulo post. *Non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem dico tibi quod iam est corpus Christi.* Sermo enim Christi creaturam omnem mutare consuevit, & mutat, quando vult, instituta naturæ. Et post multa prolata exempla, concludit. *Ergo didicisti quod ex pane fiat corpus Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi celestis.* Et rursum cap. seq. *Antequam consecraretur panis est: vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi.* Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Sic alij Patres. Origenes vetustissimus. *Oblatos panes edimus corpus in per precatione factos sanctū quoddam, & sanctificans.* Greg. Nyſſ. *Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari.* Eusebius Emifsenus. *Quanta vis diuine benedictionis, vt in Christi substantiam terrena elementa commutentur!* Cyprianus. *Panis non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi Dei factus est caro.* Irenæus. *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* Chrysoſtomus. *Hoc verbum (Hoc est corpus meum) res propositas in mensa Domini transfmutat.* Et eius imitator Theophylactus scribit, *ineffabili operatione ista transformari, μεταμοιῶσαι.* In Marth. cap. 26. & alibi, *transclementari, μεταστομειῶσαι.* Cyrillus Alexandrinus. *Condescendens Deus nostræ fragilitati*

Deiſe qui  
iuitian-  
tur myste-  
rijs cap. 9.

De Sacr.  
lib. 4. ca. 4.

Cap. 5.

Contra  
Celsum  
lib. 8.  
In serm.  
catechet.  
Homil. 5.  
de Pasch.  
Serm. de  
Cana  
Domini.  
In homil.  
de prodit.  
Iudar.  
In Mar. 14  
Epist. ad  
Calosyr.

De ortho-  
doxa fide  
lib. 4.  
cap. 14.

Homil. 5.  
de Pat. h.

Blasphemia.

1. Cor. 10  
Consecra-  
tio ele-  
mento-  
rum pro-  
batur.  
Luc 9.  
Marc. 6.  
& 8.

Marc. 14.

gilitati influit oblati elementis vim vite, conuertens ea in  
veritatem propria carnis & sanguinis. Vtitur autem  
Damasceus in hac cōuersione describenda ver-  
bo μεταλαμβάνειν, transferri. Et Eusebius loco  
citato scribit, creaturas panis & vini nutu potentie in  
corporis Domini transfrenaturam. Et iterum. Inuisibi-  
lis sacerdos (Christus) visibiles creaturas in substantiam  
corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit.  
Hæc est ergo elementorum panis & vini con-  
uersio, trāsmutatio, & vt tandem significantius  
Ecclesia Latina loqui voluit, transubstantiatio,  
cuius (vt Caluinus hīc dicit) apud vetustos Ecclesia  
scriptores fit mentio: non qualem ille nobis mox in  
sequentibus verbis comminiscetur. Sic enim  
profæquitur.

Sed tenendum est interea non consecrari panem su-  
surro & flatu, sed clara fidei doctrina. Et sanè\* magi-  
ca incantatio est quum ad mortuum elementū dirigitur con-  
secratio: quia panis non sibi sed nobis symbolum corporis  
Christi efficitur. Attende hominis blasphemiam in  
totam Christi tum actionem tum institutionem.  
Negat panem consecrari verbo Christi, quod  
homo impius susurrum & flatum vocat. Addit maio-  
ri impietate magicam incantationem esse, quum ad  
panem vel vinum dirigitur consecratio. Ergo ma-  
gicam incantationem docuit nos Paulus quum  
ita scriberet: Calix benedictionis, cui benedicimus,  
nonne communicatio sanguinis Christi est? Ergo ma-  
gicam incantationem exercuit Christus, quum  
in multiplicatione panum & piscium, ipsi be-  
nedixit, ait Lucas & Marcus, & ad ipsas crea-  
turas suam benedictionem direxit? Ergo & in  
hoc Sacramento quum accipiens panem in manus be-  
nedixit, vtique acceptū panem (ait enim Marcus,  
Accipit panē, & benedixit, & fregit) incantatione ma-  
gica

gica vsus est Christus? Ergo tot vetusti Patres incan-  
tationem magicam ab Ecclesia exerceri do-  
cuerunt, quando ad ipsa hæc elementa panem &  
vinum consecrationem dirigi manifestè testati  
sunt? Origenes, panes per preccationem fieri corpus, scri-  
bens, quid nisi super ipsos panes consecrationem  
fieri docet? Dei verbo sanctificari panem, ait Nylle-  
nus. Mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei,  
ait Irenæus. Oblatis elementis vim vite influit Chris-  
tus, ait Cyrillus. Docent hæc testimonia ad ipsa  
elementa dirigi consecrationem. Quare Iustinus  
Martyr vocat panem ευχαισινδωρα, quasi dicas  
eucharistiaz atum, seu super quo eucharistia aut gra-  
tiarum actio peracta sit. Cyprianus scripsit, cali-  
cem benedictione sacratum: Augustinus, benedicti & san-  
ctificari id quod est in mensa Domini. Et iterum alio in  
loco panem ex fructibus terre acceptum prece mystica  
consecrari. Sed hoc totum impio Caluino incan-  
tatio magica est. Christus, Paulus, Patres omnes  
citati vni Caluino magiam exercent, si ad ele-  
menta ipsa panis & vini aliquam consecrationē  
dirigunt. Sed vt rumpatur Caluinus cum suis, ad  
ipsa elementa panem & vinum verba consecra-  
tionis dirigi, ipsa consecrari, benedici, ideò que in  
aliam planè naturam conuerti & immutari, do-  
cuit nos diuina scriptura, docuerunt vetustissimi  
Patres.

Addit tamen insulsam ratiunculam Caluinus, Insulsa  
ne ita intelligi debeat. Quia (inquit) panis non sibi  
sed nobis symbolum corporis efficitur. Sanè non sibi sed  
nobis ipsum Christi corpus efficitur, vt Christus  
loquebatur, & post eum tot alij vetusti Ecclesiae  
scriptores citati non symbolum corporis, vt Cal-  
uinus ex suo cerebro mentitur. Quòd non ipsis  
elementis sed nobis mutatio fiat, quis ambigit?  
Sed

Locis su-  
prà cita-  
tis.  
Apol. 2.

Serm. de  
Cena Do-  
mini.  
Epist. 59.  
q. 5.  
De Trin.  
lib. 3. c. 4.

Insulsa  
Caluini  
ratiun-  
cula.



Sed quæ nobis mutantur, nonne verè mutantur? Quando panis efficitur corpus Christi, vel, vt Calvinus vult, symbolum corporis Christi, tamen nō sibi sed nobis id efficiatur, nonne tamen verè efficitur? Aqua vinum facta in nuptijs, non ipsi aquæ sed conuiuis præsentibus vinum facta est: sed an propterea verum vinū illa aqua facta non est? An in verum vinum illa aqua conuersa non est? Hominis stupiditatem quis non videt? Et tamen placent miseris Calvinistis huiusmodi argumenta. Videamus cætera.

**Calvinus.** *In summa, nihil aliud est consecratio quàm solenne testimonium quo nobis terrestre & corruptibile signum Dominus in spiritualem usum destinat: quod fieri non potest, nisi clarè ad fidem ædificandam\* resonent eius mandatum & promissio. Vnde rursus patet obscuro murmure & flatu apud Papistas impiè profanari mysterium. Quid sit elementorum panis & vini consecratio, iam ex vetustis Ecclesiæ scriptoribus audiuius. Caluini cōmentum tota Vetustas ignorauit. Eam itaque, vt profhanam vocum nouitatem, iuxta Apostoli præceptum deuitamus, inō & auersamur atque execramur, *εὐχρηστία*; quo verbo Apostolus vsus est. De solenni testimonio nihil Euangeliū loquitur, nec Paulus memorat, quādo huius mysterij institutio narratur. Nec terrestre signum in spiritualem usum Dominus destinat, vt Calvinus loquitur; sed terrestres naturas in spiritualem substantiam Dominus conuertit, vt tot Patres citati vno ore contestantur. Ad fidem ædificandam nullum hic sonat mandatum, nulla promissio; sed ad carnem Christi comedendam, & ad mortem Domini commemorandam, sonat hic mandatum Christi, *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum: Hoc facite in meam commemorationem*. Hic duplex mandatum est, sed fidei ædificandæ*

tandæ nullum; tamen qui vtrumque hoc mandatum præstat, fidem suam egregiè exercet atque ædificat. Sed hæc fidei ædificatio (vt & alij huius diuini Sacramenti fructus) ex manducatione corporis Dominici & mortis eius commemoratione consequitur, non est ipsa manducatio aut mortis Dominicæ commemoratio. Promissio hic est amplissima, *Quod pro vobis datur, Qui pro vobis effunditur*. Sed hæc promissio ex se, & quatenus talis, non ad fidem ædificandam, sed ad salutem & remissionem peccatorum, aliâque gratiæ beneficia consequenda pertinet. Ita non apud Papistas verbo Euangelico in hærentes, sed apud impios Calvinistas sua nouella & extranea verba obrudentes, impiè profanatur mysterium.

Eiusdem impietatis est quod sequitur. *Quod si Calvinus.* *consecrat panem Christus, dum nobis testatur corpus suum esse; non imaginanda est substantiæ mutatio, sed tenenda est solum vsus nouitas*. Iam enim ex vi verborum Christi, & doctissimorum Patrum sensu atque consensu ostensum est, dum Christus panem consecrauit, eius substantiam immutasse, de vsu nonitate nihil dixisse. *Hoc est corpus meum*. Verbo substantiali vtitur Christus. Verbo noui vsus non vtitur. Verbum igitur Christi tenendum est, non verbum Caluini. Vsus nouitas, quam supponit Calvinus, est vera nouitas, quam nulla cognouit antiquitas. Non ergo tenenda vsus nouitas cum nouis huius seculi magistris: sed tenenda substantia corporis Christi, quam Christus disertè affirmauit, & tota cognouit Antiquitas. Sed nunc prescius disputabit Calvinus, & Achillem Caluini\* suum proferet, vt Christi verba ad meronymizæ tropum necessariò contorqueat.

*Pronuntiat Christus, \* panem esse corpus suum.*

De

Caluini\*  
Achilles.  
\* Menda-  
cium.

De Sacramento habetur sermo, fateri verò necesse est Sacramentum visibili signo constare, cui res signata coniuncta est, quæ est eius veritas. Tam & hoc satis tritum esse debet, rei signatæ nomen ad signum transferri. Quare nemo in Scriptura mediocriter versatus negabit, quin sacramentalis locutio metonymicè sumenda sit. Omitto generales tropos qui passim occurrunt in Scriptura. Hoc tantum dico, quoties eternum signum dicitur id esse quod figurat, omnium consensu metonymiæ locum dari. Baptismus si vocetur lauacrum regenerationis, si petra, unde aqua patribus in deserto fluxit, vocetur Christus; si columba vocetur Spiritus Sanctus; nullus controuersam mouebit quin signis tribuatur nomen rerum quas figurant. Quis sit ergo ut quod Sacramentis omnibus commune est, ad Cœnam aptari non sustineant quos tenet reuerentia verborum Domini? Simplex & literalis sensus eos deleat. Cur ergo in omnibus Sacramentis non valebit eadem regula? Certè nisi petram substantialiter fuisse Christum concedant, putida est, qua nos grauant, calumnia. Si panem exponimus vocari corpus quia sit symbolum corporis, labefactari obtinent totam Scripturæ doctrinam. Neque enim hanc loquendi regulam nuper fabricauimus, sed ex veterum auctoritate ab Augustino traditam omnes amplexi sunt, signis improprie verum spiritualium nomina ascribi: atque ita debere exponi omnes Scripturæ locos ubi de Sacramento fit mentio. Quorsum ergo attinet dum axioma sumimus passim receptum, quasi in re noua & insolita magnos clamores mouere? Cæterum clament, ut libuerit, præfracti homines; hoc apud sanos & modestos valebit, in his Christi verbis sacramentalem esse loquendi formam. Unde sequitur, panem, quia symbolum est corporis Christi, vocari corpus. Hæc hætenus Calvinus. De hac explicatione gloriatur frequenter veluti de muro aheneo & clypeo fortitudinis contra omnes sententiæ aduersantes, aut proprietatem verborum Christi tenere volentes. Sed explicatio va-

na ac

na ac fallax est, à qua ipse Calvinus recedit.

Primum à luculento mendacio orditur. Pronuntiare Christum ait panem esse corpus suum. Atqui non dicit Christus, Hic panis est corpus meum: sed dicit, Hoc est corpus meum: & ita dicit ut relatiuū hoc nec in Latino nec in Græco textu cū pane quadrare possit, cū diuersi generis pronomen sit, nec nisi cum corpore conueniat. Sumit ergo sibi Calvinus quod nemo illi Catholicus dabit, ideoque imprimis probare debuerat.

Caluini mendacium conuincitur.

Iam de Sacramento haberi sermonem non negamus; tamen alij Calvinistæ in hac materia Eucharistica omnem Sacramenti sermonem propter vocabuli ambiguitatem penitus aboleri & prætermitti debere censeant: quod multis rationibus probare contendit Clebitius Calvinista in Victoria veritatis & ruina Papatus Saxonici. Sacramentum quoque visibili signo constare, cui res signata coniuncta est, quæ est eius veritas, loquendo de Sacramentis nouæ legis, quale istud imprimis est, libenter etiam concedimus, quia Sacramenta nostra non sunt signa inania, sed efficacia. Alioqui hanc Caluini regulam ut generaliter veram meritò alij Svingliani reiiciunt, quum nec Agnus Paschalis, qui Christum representabat, & liberatione filiorum Israel ex Aegypto, cum illis rebus signatis vlllo modo coniuncta eisset, quando res altera nec dum venerat, altera præterierat, nec serpens ille æneus qui Christum figurabat, Christum coniunctum habebat; nec tam multa veteris populi sacrificia ac Sacramenta cum rebus quas significabant, (quando umbra futurorum erant) vllam coniunctionem habebant. Regula igitur illa Caluini quam ait fateri necesse esse, non est generaliter vera. Sed in Sacramentis noui populi veram esse (vnde

A a

de

de contra aliam Caluini hæresim obiter obseruatus manifestum esse Sacramentorum veteris ac nouæ legis discrimen) agnoscimus.

Caluini  
regula  
metony-  
miâ Cal-  
uini po-  
tenter re-  
futatur.

- Sed hæc ipsa regula Caluini, metonymiam & locutionem figuratiuam, quam statuit Caluinus, vel maximè refutabit. Si enim Eucharistia tale Sacramētum ac visibile signum est, cui res signata coniuncta est, res autem signata iuxta Caluinum est *ipsum corpus Domini* (ait enim panē vocari corpus quia symbolum corporis est) consequetur necessariò ipsum corpus Domini cum panē tanquam rem signatam cum suo signo adesse, quæ sententia Lutheranorum est, quam ipse Caluinus reprobat, & in sequentibus refutare conatur.
1. Rursum facessere debet, *efficacia, virtus, aut vita è corpore Christi in celo nobis deriuata*, iuxta propriam Caluini sententiam; & ipsissimum Christi corpus præfens in hoc Sacramento fitti debet. Est enim *panis symbolum corporis* (ait Caluinus) & *signum eum re signata coniungi debet*. Non est symbolum aut signum efficaciam corporis Christi; aut virtutis alicuius ex eo deriuandæ, sed ipsius corporis. Iuxta Caluinum Christus dicens, *Hoc est corpus meum*, hoc dixisse censendus est, *Hic panis est symbolum corporis mei*: & signum cum re signata debet esse coniunctum. Adest ergo ipsum Christi corpus cum pane: ipsum, inquam, veracissimum Christi corpus, quod pro nobis datum est. Sanè efficaciam aliqua aut virtus corporis pro nobis data non est, sed ipsummet Christi corpus.

2. Deinde si res signata cum suo signo, corpus Christi cum pane, infallibiliter coniunctum est, falsum id totum erit quod tum alibi semper, tum hoc ipso in loco in sequentibus tanquam propriæ suæ sententiæ punctum & cardinem lectori inculcat.

culcat. Sed hic (inquit) tria obseruare opere precium est. Ne perperam res spiritualis cum signo misceatur: deinde ne queratur in terra Christus, vel sub terrenis elementis: tertio ne singatur alia manducatio quam quæ arcana Spiritus virtute Christi vitam nobis inspirat, quod ipsum non nisi sola fide consequimur. Tota, inquam, hæc triplex obseruatio ex hac vna Caluini regula penitus concidit. Nam si in hoc Sacramento panis est signum corporis Christi, & signum debet esse cum re signata coniunctum, panis cum Christi corpore, quomodo fieri potest, quin res spiritualis (Christi corpus) cum signo, qui panis est, non misceatur, id est, non coniungatur arctissime? Rursum, quomodo fieri potest, quin querendus sit in terra Christus, & sub terreno panis elemento querendus, postquam panis iste in terra est, cui Christi corpus vt res signata suo signo coniuncta est? Tertio, quomodo vitari potest vera corporis Christi manducatio, quando panis ille manducatur cui tanquam signo suo res signata Christi corpus coniunctum est? Aut enim qui manducat hunc panem, Christi quoque corpus manducat cum ipso pane coniunctum, vt rem signatam cum suo signo; aut falsum erit, rem signatam in hoc Sacramento cum suo signo, corpus Christi cum pane, iuxta regulam sacramentalē esse coniunctum. Hinc ergo sequentur omnia quæ contra Catholicā sententiā accumulare solet Caluinus: Christi corpus sub corruptibili panis elemento concludi: Christi corpus pluribus in locis simul esse sicut hic panis est: Christi corpus duplex esse, vnū in celo visibile, alterū in terris inuisibile, quod corporaliter adfit, sicut panis adest. *Nā hoc fateri necessesse est* (ait hic Caluinus) *Sacramentum visibili signo constare, cui res signata coniuncta est, quæ est eius veritas.*

Caluini  
Achilles  
ex ipso  
Caluino  
refutatur.

Caluini  
exempla  
metonymiam  
Caluini  
refutant.  
Tit. 3.

1. Cor. 10.

Matth. 3.

Porro hanc coniunctionem arctissimam atque certissimam magis confirmant exempla è Scripturis à Caluino prolata. Baptismus sic est *lauacrum regenerationis*, vt qui baptisimurrite suscipiunt, rem signatam cum signo coniungunt, Spiritus regenerationis cum ablutione externa recipiant. Petra vnde aqua Patribus in deserto fluxit, sic fuit signum Christi, vt ab illo signo non abesset Christus: *Bibentes enim Patres de illa petra materiali, biberunt de consequente eos petra Christo*; id est, hauserunt auxilia gratiæ à filio Dei, qui eos comitabatur & adiuuabat in omnibus. Columba sic erat signum Spiritus Sancti cum re signata coniunctum, vt Ioannes videns columbam, *viderit Spiritum Sanctum descendentem super Christum*. Sic ergo, si hæc à Caluino prolata rei præfenti conformia & similia sunt, qui accipit hunc panem, accipit corpus Christi præfens: qui manducat hunc panem, manducat corpus Christi præfens: qui videt hunc panem, videt corpus Christi præfens: in signo quidem, sed non inani aut fallaci, verum huiusmodi cui res signata coniuncta est. Sic ergo Caluini regula, & quæ ad illam confirmandam è Scripturis exempla protulit, ad ipsum maximè Caluinum refutandum, eiusque propriam sententiam penitus subuertendam, imprimis faciunt.

Impostura  
Caluiana.

Cæterum Caluinus (quod attendat qui eius imposturas tenere & cauere cupit) nunc hoc in loco, vt suam metonymiam & symbolicam locutionem prober, vrget Sacramenti rationem, & panem à Christo vocari corpus vult, quia symbolum corporis eius est, & signo sacramentali res signata coniungi debet, quæ sit eius veritas. Atqui idem Caluinus, quando hæc Christi verba non tractat, sed de re ipsa præfentia corporis Christi dis-

disputat, nullam prorsus agnoscit *signi & rei signatæ*, panis & corporis Christi, *veram coniunctionem*, sed habitualement quendam & analogicam tantum, vt tam verè nobis exhibeatur corpus Christi, quàm verè exhibetur signum eius, & tunc offeratur quando signum offertur, panis videlicet in Cæna; ipsi tamen signo, ipsi pani, non propius adiungatur corpus Christi, quàm calum terræ admouetur. Corpus enim Christi non iam cum pane vt rem signatam cum signo, sed in cælo tantum esse; nec mediante pane, aut cum pane corpus Christi accipi, sed tantummodo mediante Spiritu Christi vt causa efficiente, & mediante fide nostra vt causa instrumentali, sine qua fide nulla rerum cum signis intercedit coniunctio. Ita ex vera Caluini sententia, panis, siue id quod Christus in Cæna porrexit, quodque hodie in Sacramento accipitur, nullum planè signum est corporis Christi, nec vllam habet cum eo coniunctionem nisi imaginariam: & quando iuxta Caluinum percipitur corpus Christi, non id cum pane percipitur, aut per panis manducationem, sed per solam fidem, quæ Christum in cælo quaerit; & per Spiritum Christi, qui non corpus suum sed vim quandam corporis viuificam ad nos traducit, idque æquè extra Sacramenti sumptionem quàm in illa aut cum illa. Ita in sensu Caluini verò, panis in Cæna nihil nisi inane spectrum relinquatur; & verba Christi, *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum*, prorsus euacuantur. Et hunc totum suum sensum in fine explicationis suæ in hunc locum aperit, quem hinc propterea proponemus.

Post illa tria quæ obseruari voluit posita, & à nobis superius commemorata, quod *res spiritualis* I.

Caluini  
vera sen-  
tentia.

2. non debet cum signo misceri, quod Christus in terra quæ-  
 3. rendus non est, quod alia manducatio fingenda nõ est quam  
 que arcana virtute Spiritus Christi vitam nobis inspirat,  
 quam sola fide consequimur. Mox illa tria confirmat  
 & explicat magis his verbis. Primum hoc modo.  
 Primum (vt dixi) maneat inter signum & rem signatam  
 distinctio, nisi veimus omnia pervertere. Neque enim vlla  
 restabit Sacramenti utilitas, nisi nos pro rudatatis nostre  
 captu à terreni elementi intuitu ad cæleste mysterium deducat.  
 Proinde quisquis corpus Christi à pane non discernet, &  
 sanguinem à vino, nunquam intelliget quid velit Cæna, vel  
 quorsum his symbolis utantur fideles. Ad hoc primum  
 quod attinet, discernere & distinguere ista omni-  
 no oportet, siue panem ipsum symbolum corpo-  
 ris ponas (vt vult iam cū Lutheranis Calvinus)  
 siue solas species panis ac vini pro signo sacra-  
 mentali agnoscas, vt nos Catholici credimus, de  
 quo mox plura dicemus. Non sunt autem ita  
 discernenda vt etiam sint separanda. Manere de-  
 bet discretio, non aboleri coniunctio, quia fatari  
 necesse est Sacramentum visibili signo constare, cui res signa-  
 ta coniuncta est. Quare si Sacramentum saluum esse  
 volumus, sic signum à re signata discernemus, vt  
 ea tamen non separemus ab inuicem, sed coniun-  
 cta relinquamus. Videamus nunc an quæ in Cal-  
 uino sequuntur, hanc coniunctionem admittant.  
 Sequatur (inquit) deinde legitimus ille querendi Christi  
 modus: hoc est, ne in terra mentes nostre subsidant, sed  
 sursum conscendant ad cælum gloriam, in qua habitat.  
 Iam ergo iuxta Calvinum Sacramentum relin-  
 quendum est, signum negligendum est: Non in  
 Sacramento, non in signo visibili, quod in terra  
 video, sed in cælo, Christi corpus, rem signatam,  
 querere debeo. Vbi ergo illa quam statuisi signi  
 cum re signata coniunctio? Prorsus euauit. Nos verò

Catho-

Catholici in Sacramento Christum querimus,  
 tenemus, accipimus, manducamus, & lignum vi-  
 sibile cum re signata possidemus, non panem cum  
 corpore Christi, sed panis species cum corpore  
 Christi. Atqui hanc coniunctionem signum cum re  
 signata, quam modò dixit fatari necesse esse, vide  
 nunc vt in sequentibus magis illud patet. Neque  
 enim, inquit, Christi corpus incorruptibile vitam induit vt  
 naturam suam abijceret: vnde sequitur positum esse. Tam  
 verò supra cælos ascendit, ne qua nos in terris crassa magi-  
 uatio occupet. Ecce, probare vult Christi corpus  
 cum signo sacramentali, quod in terra est, con-  
 iungi non posse, quia corpus Christi in cælo est,  
 finitum est, & certo in cælis loco comprehensum  
 est. Ad rem quod attinet, scimus Christi corpus  
 secundum naturalem existendi modum, in specie  
 naturali ac visibili cum tota corporis sui dimen-  
 sione, non nisi in cælo esse; supernaturali tamen  
 & mystico modo existendi, iuxta totam substan-  
 tiæ suæ rationem, quæ à qualitate ac quantitate  
 non dependet, in Sacramento existere; de quo  
 hîc latius disputandi locus non est. Id vnum  
 hoc loco contra Calvinum vrgemus; si non nisi  
 in cælo Christi corpus est, si in terra querendus  
 non est, quare lectores suos prius delulit, dicens,  
 panem esse signum corporis, & Christi verba  
 hoc sonare, *Hic panis est signum corporis mei, signum au-  
 tem sacramentale cum re signata coniunctum esse?* Addit  
 adhuc Calvinus. *Et sanè si mysterium hoc cæleste est,  
 nihil magis preposterum quam Christum in terram deduce-  
 re qui nos sursum potius ad se vocat.* Ad rem responde-  
 mus hoc mysterium planè cæleste esse, propter  
 rem in hoc mysterio contentam planè cælestem  
 (est enim panis verus qui de cælo descendit, & dat vitam  
 mundo) propter fructum quoque huius mysterij

Ioan. 6.

Discerni-  
 tur sig-  
 num à re  
 signata,  
 non sepa-  
 ratur.

UNIVERSITARIA  
 contra di-  
 cto ad  
 oculum  
 probatur.

panem cælestem ac diuinum: *Qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum.* Denique propter cælestem & spiritualementem rei in mysterio existentis modum: *Verba enim hæc spiritus & vita sunt,* nec carnaliter sed spiritualiter intelligenda. Ad Caluinum verò quod attinet, cur nunc ait *præposterum esse Christum in terram deducere,* qui antea dixit *panem* (vtique in terra existentem) *signum esse visibile corporis Christi,* nisi quod (vt dixi) impostor nequam lectori suo voluit illudere, & ad eum fallendum aliter loqui, aliter intelligere? Videamus quæ adhuc sequuntur. *Vltimum* (inquit) *quod notandum esse admonui, est manducationis genus. Neque enim somniandum est, naturalem fieri substantiæ eius transitum in animas nostras, sed comeditur à nobis eius caro dum ex ea vitam percipimus. Tenenda enim analogia est, vel similitudo panis cum carne, qua docemur non secus pasci animas carne ipsa Christi, quam panis vigorem corporibus instillat. Spirituale ergo alimentum est Christi caro, quia nobis viuifica est. Ideo autem viuificat, quia vitam, quæ in ea residet, Spiritus S. in nos diffundit.* Ponamus totum hoc Caluini commentum (cuius ne gutta quidè in Scripturis apparet, sed ex eius malè sano cerebro totum profectum est) verum esse. Vbi est illa *coniunctio rei signatæ cum signo visibili,* corporis Christi cum pane? Quid facit panis manducatio, iuxta Caluinum? vbi nunc aut quorsum Christi verba, *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum?* Quid symboli manducatio manducanti confert? Si signo res signata coniuncta est, an nō qui signum accipit & manducat, rem quoque signatam accipit & manducat? minime gentium, ait Calvinus. *Comeditur* (inquit) *Christi caro dum ex ea vitam percipimus; & spirituale alimentum est Christi caro, quia nobis viuifica est.* Sed quomodo ex Christi carne vitam percipimus,

Caluini  
sententia  
Christi  
verba &  
totam Sa-  
cramenti  
rationem  
penitus  
è medio  
tollit.

pimus, aut quomodo nobis Christi caro viuifica est? An quia in signo panis eam comēdimus, quia res signata suo signo cōiuncta est? Nihil minus iuxta Caluinum. *Idco* (inquit) *viuificat caro Christi, quia vitam, quæ in ea residet, Spiritus S. in nos diffundit.* Et addit. *Quæ quæ aliud est vesci Christi carne quàm in ipsū credere* (quod propter Cingilianos dixit, qui statuunt, manducare Christum nihil aliud esse quàm credere in Christum) *sciendum tamen est, non aliter Christo nos posse vesci quàm per fidem: quia manducatio ipsa fidei est effectus.* Summa ergo est, carnem Christi manducari quatenus viuificat; viuificare quatenus vitam in Christo residentem Spiritus S. in nos diffundit; ac per hoc non aliter nos vesci Christo quàm per fidem. Sic tota causa, tota ratio, totus modus manducandi Christum est sola fides: quæ quidem exerceri potest non secus extra Sacramentum quàm cum illo. Sacramenti igitur manducatio iuxta Caluinum nihil profus ad corporis Christi manducationem confert; nisi quod fortasse fidem ipsam Sacramenti conspectus & vsus magis excitat. Qui Sacramentum accipit, in illo aut per illud aut cum illo nihil nisi panem & externum symbolum accipit. Vbi ergo coniunctio illa signi cum re signata? Vbi est generalis illa regula & omnibus Sacramentis communis, quam antea premebat, locutionem sacramentalē metonymicè sumendam esse? Prorsus enanuit; prorsus verba & voces fuerunt, quibus interim Lectori fucum faceret, vt in verbis Christi, *Hoc est corpus meum,* sacramentalem esse loquendi formam, ideoque hunc habere sensum suaderet, *Hic panis est symbolum corporis mei: quia propter coniunctionem signi cum re signata, alteram alterius appellationem accipit.*

Caluini-  
næ sen-  
tentia  
summa.

Nunc autem Christi sermo in illis verbis, *Hoc*

Verborū  
Christi  
sensus  
verus.

*est corpus meum*, non est sermo aut locutio sacramentalis, rem signatā signi nomine exprimens, sed est sermo operatōrius & forma verborū conficiens rem Sacramenti, simulque signum sacramentale demonstrās. Neque dixit, *Hic panis est corpus meum*, sed accepto in manus pane, eūque benedicens, dixit, *Hoc est corpus meum*, conficiens de pane corpus suum, & panem, quem in manus acceperat, illo verbo suo diuino, veraci, efficaci, conuertens atque immutans in corpus suum, vt ex tam multis & perspicuis veterum Patrum testimonijs, ex varia verborum Christi circumstantia, ex ratione noui testamenti ac fœderis in hoc Sacramento conscripti, suprā efficaciter ostendimus. Est quoque hīc verum Sacramentū à Christo institutum, & adest visibile signum cum re signata coniunctum, non ipse panis, qui in Christi corpus verbo Christi veraci & efficaci conuersus, panis esse definit, sed species externa panis cum vero corpore Christi. Hæ species panis & vini, signa visibilia in hoc Sacramento sunt, cum ipso corpore & sanguine Christi, tanquā re Sacramenti signata, verè & intimè cōiuncta: neque hæ species, quā diu integræ manent, à corpore & sanguine Christi diuelli possunt. Qui has species accipit, manducat, & bibit, corpus & sanguinem Christi accipit, manducat, & bibit. Hæ species veram & plenam analogiam sacramentalem habent, quam ex natura cuiusque Sacramenti Calvinus desiderat. Quū enim Sacramenti natura in significatione sit posita, species istæ & accidentia, quæ sub sensum cadunt, signorum officio aptissimè funguntur. Itaq; & nutritionē, & rem vnā quæ constat ex diuersis, ipse species panis & vini satis significant, sicuti res signata verè nu-

Sacramē-  
talis ana-  
logia in  
Sacra-  
mento  
Eucharist.

rè nutrit, & accipientes eam vnum corpus facit. Substantia cuiusq; rei inuisibilis est, ideoque ad significandum inepta. Quare Christus substantiam panis à fide remouit, dicens post acceptum panem, *Hoc est corpus meum*, accidentia retinuit, ad significandum idonea. Serpens æneus in figura serpentis, non in natura, seruauit analogiam, vt significaret Christū Saluatorē omnium qui credunt in eum. Linguae igneæ in figura non in substantia linguarum, seruabant analogiam ad significandum Spiritum S. qui re ipsa super Apostolos descendit. Animalia in linteo demissa in figura non in substantia satis significant Petro quod illi dictum erat, *Matta, & manduca*. Sic species panis ac vini à Christo consecrati satis significant, & sacramentalem analogiam satis seruant, vt cum Christi corpore & sanguine cōiunctæ signum sacramentale exhibeant. Hoc modo fatemur in hoc Sacramento diuinissimo signum esse visibile cū re signata coniunctū, quæ eius sit veritas. Nec tamen Christi verba opprimimus, aut fallacia atq; elusoria facimus, sed, vt sonant, religiosè ac piè retinemus: vt quod esse corpus suum dixit, ipsissimū corpus suū esse credamus, nec symbolū nec signum, nec vim aut efficaciam aliquam viuificam è cælo per Dei Spiritū diffusam. Adest Christi corpus cum specie panis, sicut res signata cum suo signo coniuncta.

Iam quod addit Calvinus *tricum esse vt rei signate nomē ad signū transferatur*, verū sanè id est; sed in his Christi verbis nullum locum habet: in quibus, si vera Calvinus narrat, nō ad signū rei signatæ nomen, sed ad re signatā signi nomē trāsfertur. Vult enim ad corpus Christi, rem signatam, corporis signum transferri, vt quum Christus dixerit, *Hoc*

Num. 21.

Act. 2.

Act. 10.

Rei signatæ nomen ad signum in Christi verbis non transferatur.

est

*est corpus meum*, intelligendus sit dixisse, Hoc est signū corporis mei. Sic res ipsa signata pro signo pronuntiabitur, quod profus contra naturam metonymiæ est, vt mox ostendemus. Deinde tamen petra Christum, columba Spiritum S. Baptismus lauacrū regenerationis significat, quum nullum horum res ipsa quam signant substantia-liter sit, nihil tamen simile in Christi verbis attendi potest. Nunquam enim de illa petra dictū est, *Hæc est Christus*: nunquam de columba, *Hæc est Spiritus Sanctus*: nunquam de Baptismo, *Hic est lauacrum regenerationis*, &c. Non est, inquam, dictū cum huiusmodi circumstantijs & appendicibus quæ sensum verborum literalem probant, cū quibus hæc verba dicta sunt, *Hoc est corpus meum*, sicuti in superioribus etiam demonstraui. Nulla igitur est inter alias illas locutiones, *Petra erat Christus*, *Vidi Spiritum S. descendentem sicut columbam*, *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, & inter hæc Christi verba, *Hoc est corpus meū*, similitudo profus, nulla affinitas, nulla comparatio. Planè igitur Calvinus totum Christi sermonem labefactat, corrumpit, peruertit, quum quod Christus corpus suum esse veraciter dixit, ille non nisi symbolum corporis dixisse & dedisse affirmet.

Nec hanc loquendi formulam nouellam, & impiam, ex veterum auctoritate ab Augustino traditam Calvinus accepit, dum signis improprie rerum spiritualium nomina ascribi docet. Scriptum hoc sanè reliquit Augustinus. Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, ita Sacramentum fidei fides est. Sed hæc

ver-

verba Caluini dementiæ non suffragantur. Augustinus dicit *Sacramentum corporis Christi* (id est, species sacramentales) *vocari secundum quendam modum corpus Christi*, sed non dicit corpus Christi vocari aliquo modo Sacramentum corporis, siue signum aut symbolum corporis, sicuti Calvinus dicit. Longè aliud est dicere, Sacramenta seu *sacra signa accipiunt ipsarum rerum nomina quarum sunt signa*, (quod Augustinus dicit) & dicere, ipsas res accipere nomina signorum ipsorum, vt Calvinus dicit. Dicuntur quidem & elegantius dicuntur arma pro bello, toga pro pace, laurea pro triumpho, lingua pro eloquentia, fasces pro magistratu, sceptrum pro Rege, quia hæc omnia signa sunt & notæ earum rerum quarum nomina accipiunt; sed nemo econtra dixerit bellum pro armis, pacem pro toga, triumphum pro laurea, eloquentiam pro lingua, magistratum pro fascibus, Regem pro sceptro. Metonymia quippe signi & signati nō est reciproca, vt sicut signum collocatur pro signato, sic vicissim signatū vicem ac locum signi subeat. Quod ergo Augustinus dixit, ex natura metonymicæ locutionis dixit. Quod Calvinus finxit, contra naturam & rationem locutionis metonymicæ confictum est. Sic iuxta August. baptismus qui est sacramentum fidei, significat fidem in paruulo baptizato, qui signum fidei accipere potest, actum fidei exercere nō potest; sed quod fides significet baptismum, nec Augustinus nec vllus theologus dixerit. Vocabulum panis significat apud Paulum corpus Christi, siue quia speciem panis eo nomine exprimat, siue quia id dicat vnde corpus Christi confectū est, sicut Euangelista dicit *gustasse architriclinū aquā vinum factū*. Sed vocabulum corporis Christi, nec apud

Pau-

Signa accipiunt nomina rerum, nō res signorum.

Metonymia non est figura reciproca.

1. Cor. 10

Ioan. 2.

Augustini sententia explanatur. Epist. 23. ad Bonifacium.



Paulū nec in vlla Scriptura panē denotat, aut pro pane accipitur. Aquæ nomē tribuitur Spiritui S. quia illius donationem ac virtutem quodam modo representat. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, &c.* sed Spiritus S. nomen econuerso non tribuitur aquæ. Ignis nomen tribuitur charitati, *Veni ignem mittere in terram:* sed non vicissim charitatis nomen ipsi igni. Denique in omnibus locutionibus figuratis, seu metaphoricis, seu metonymicis, quæ passim in Scripturis occurrunt, signi nomē tribuitur rei signatæ sepe, rei signatæ nomē signo nūquam. Absurdissimè igitur Caluinus non solū impiè, & sine vilo vel in Scripturis vel in Patribus exēplo, metonymiā in Christi verbis cōfingit, quares signata collocetur pro signo, corpus Christi pro pane significatē. Deiectus est igitur totus Caluini Achilles & murus athenus in quo tantopere gloriatus est, nec Sacramenti ratio in hoc mysterio vllā in Christi verbis locutionē metonymicam aut probat aut patitur. Sua igitur malè stabilita sententia, aliqua profert contra Catholicam sententiam & contra Lutheranos argumenta. Illos enim sibi non minus aduersos sentit quā Catholicos. Quæ contra orthodoxam doctrinam profert (alijs prætermisissis, vt se mutò hæc sectæ conficiant) breuiter soluenda sunt.

*Papista* (inquit) *sua transubstantiatione delusi, negant ostendi panem, quia tantum maneat species sine subiecto.* Si Papistæ panis transubstantiatione delusi sunt, certè & tota vetustæ Christi Ecclesia delusa fuit, à qua hanc transubstantiationem panis seu conuersionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi firmiter creditam ac receptam fuisse, tot illustrium eius ætatis luminū testimonia (quæ paulo antè produximus) indubitarum faciunt.

Caluini  
argumen-  
ta contra  
sensum  
ortho-  
doxum.

faciunt. Sed solemne Caluino est Papistarum nomine totam veterem Ecclesiam damnare, & veteris Ecclesiæ fidē Papistis, quasi modernis tantum Catholicis, vitio vertere. Hic eius dolus malus, hæc impietas est.

Sed (inquit) *eorum delirium refutat Paulus, affirmans, panem, quem frangimus, esse communicationē corporis Christi.* Huic obsoleto argumento iam milles responsum est, panē ab Apostolo appellari, non qui in natura & substantia panis sit (quomodo enim naturalis panis manducatio, corporis Christi possit esse communicatio, maximè apud Caluinum, qui, vt suprā accepimus, non ex panis manducatione, sed ex Spiritus Christi in cælo residentis operatione, mediante fide nostra, cōmunicationem corporis Christi in nobis fieri docet, imò nec corporis, sed efficacæ cuiusdam vitalis ex corpore) sed quod ex pane factum erat, idque more vtitatissimo Scripturarum; quando & Eua vocatur caro Adæ, quum suam illa tunc carnem non Adæ haberet, quia de illo sumpta erat; sicut virga Moysis in serpentem versa virgæ nomen retinuit, & aqua in vinum versa aqua vocatur apud Ioannem: quo etiam modo cæci dicuntur à Christo videre, & claudi ambulare, qui non iam sed olim cæci ac claudi fuerant. Sed hanc responcionem & adhuc alias altissimè dissimulans Caluinus, argumentum semper premit, solutioni argumenti non satisfacit. Latius hunc locum ad ipsum Apostoli textum traſtauimus.

Pergit Caluinus. *Deinde ab eorum figmento abhorret ipsa natura Sacramenti, cui non constabit sua integritas nisi verum sit externum symbolum. Vnde enim discemus Christi carne pasci animas nostras, si verus panis non statuat nobis ante oculos, sed inane spectrum?*  
Huic

1. Cor. 10

Genes. 3.

Exod. 7.

Ioan. 2.

Luc. 7.

In Anti-  
dotis no-  
stris Apo-  
stolicis.

Huic argumento à natura Sacramenti ducto, quod in proximè præcedentibus latè tractauit Calvinus, latè respondimus, & verum hîc adelle externum symbolum ostendimus, quia adsunt species panis ac vini ad significandum aptissimæ. Sed certè Calvinus ille est qui externum symbolum à re significata diuellit, & mutilū Sacramentum facit, dum in cœna sua nudum panem ponit, Christi autem corpus non nisi in cælo: idq; adeo vt nec mediante pane aut signo externo, sed sola mediâte fide nostra, & Spiritu Christi, nec ipsum Christi corpus, (res in Sacramento signata) sed quædam ex eius corpore vis viuifica, in illa sua cœna prophana & commentitia percipi fingatur. An iuxta Calvinum Sacramento sua constat integritas (quod contra nos toties vibrat) qui tot modis Sacramentum lacerat, & signum quod fingit, à re signata tot modis diuellit? Quod autem hîc dicimus, paulo superius comprobatum reliquimus.

Iam quod tam anxie rogat, vnde discernimus Christi carne pasci animas nostras, si verus panis non statuat ante oculos; primū ipse Calvinus negat penitus ipsa carne Christi pasci animas nostras, & solam ab ea in cælo semper relidente, vim & efficaciam quandam spiritualem per Spiritum Christi veluti canalem in animas nostras diffundi comminiscitur. Sub hæc (inquit) corruptibilia elementa, panē & vinum, Christum è cælo retrahere non est opus, quòd ipse participatione fruamur, quando hoc beneficij per Spiritum suum ipse nobis largitur, vt vnum corpore & spiritu & anima secum fiamus. Vinculum ergo istius coniunctionis est Spiritus Christi, cuius nexu copulamur, & quidam veluti canalis per quem Christus & est & habet quòd ad nos deriuatur. Hæc de Spiritu Christi veluti canali per quem ad nos Christus

Instit. lib. 4. c. 17. num. 12.

stus deriuetur. Nunc non ipsam carnem Christi ad nos deriuari, nec ipsa carne pasci animas nostras, his verbis docet. *Ingenue confiteor mixturam carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem qualis ab ipsis docetur* (Lutheranos intelligit, qui sub pane & cum pane veram carnis Christi præsentiam, & veram ex carne Christi animæ alimoniam statuunt, *me repudiare: quia nobis sufficit Christum è carnis sue substantia vitam in animas nostras spirare, imò propriâ in nos vitam diffundere, quamuis in nos nõ ingrediatur ipsa caro.* Hæc ille. Qua igitur fronte Catholicos vrget *Postulat à Catholicis Calvinus quod ipse negat.* unde discat Christi carne pasci animas nostras, si verus panis ante oculos non statuitur, quando ipsemet hunc verum & nudum panem ante oculos statuens, ipsa tamen Christi carne pasci animas nostras pernegat? Nos autem vera Christi carne realiter & substantialiter præsentem animas nostras pasci, nõsque cum eo (beneficio Sacramenti huius) non fide tantum ac Spiritu, sed (vt Patres docuerunt) *corporaliter, naturaliter, ac re ipsa cum Christo coniungi docemus ac credimus,* non propter solam præsentiam specierum panis & externi symboli, quasi ab illa potissimum veræ carnis Christi præsentia penderet, sed alias multas ob causas. Primum propter Christi verba veracia, efficacia, 1. operatoria, *Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur.* Deinde ex analogia huius sermonis cum alijs similibus in Scriptura locutionibus quas supra annotauimus, tum ex officio ob signandi nouum testamentum & promissiones à Deo factas in ipso, quod non nisi per ipsam Christi carnem & sanguinem præstari potest, vt & supra ostendimus, & apud Lucam magis ostendetur; porro ex propria efficiètia huius Sacramenti 4. quam Ioan. 6. cap. Christus exposuit, vt eo in lo-

Ibidem num. 32.

Postulat à Catholicis Calvinus quod ipse negat.

Realis & corporalis Christi præsentia probatur.

5. co docebimus; tandem ex ipsa pugnancia, absurditate, & indignitate qua tantum mysterium aduerfarij afficiunt, vbi à literali verborum sensu recedunt, quod & suprà accepimus. Ex his omnibus, non ex sola Sacramenti peculiari ratione, didicimus vera Christi carnē in hoc Sacramento pasci animas nostras.

Pergat Calvinus. *Ad hæc quid de altero symbolo dicent? Neque enim dicit Christus, Hoc est sanguis meus; sed, Hic est calix. Ergo secundū eos non modò vinum, sed materia ex qua conflatus erit calix, necesse erit transsubstantiari in sanguinē.* Ridiculum plane argumentum: Christus in verbo calicis notissimo & vulgari tropo vsus est: ergo in verbo sanguinis eodem vsus fuisse censendus est. In vno non potest non tropus esse ipsis rusticis notissimus: ergo in altero similis tropus esse debet, vbi nulla vulgaris locutio apparet; imò vbi verba proxime coniuncta omnem tropum disertissime remouent: ista videlicet, *Qui pro vobis effundetur: item, Noui testamenti.* Ex quibus verbis realem sanguinis Christi exhibitionem, præsentiam, & sumptionem, efficacissime deduci ac probari in superioribus comprobauimus: quod propterea hinc non repetimus. Superest vltimum Caluini argumentum.

*Iam quod apud Matthæum habetur, Non bibam de hoc fructu vitis, clarè demonstrat vinum fuisse quod porrexit.* Atqui ex Luca manifestè patet (quod & suprà explicuimus) hæc verba non post diuina peracta mysteria in vltima Cæna, sed in secunda Christi cæna familiari, & antea tradita mysteria, pronuntiata fuisse. Deinde (vt aliquid hinc addamus) Lucas tam de pane quàm de vino prælocutum fuisse Christum hunc in modum tradit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* quod de

Verba,  
de genui-  
ne vris,  
ad Eucha-  
ristiam  
non per-  
tinent.

Luc. 22.

de vltimo agno paschali necessariò est intelligendum. *Dico enim vobis, quia ex hoc* (id est, deinceps, *ex tunc) non manducabo illud* (id est, istiusmodi Pascha) *donec impleatur in regno Dei,* id est, donec in resurrectione iustorum, nouus cibus, nouū Pascha, nouum manna comedetur. Quod alijs verbis & paulo plenius Matthæus sic effert, *Vsq̄ue in diem illum,* id est, vsque ad tempus resurrectionis generalis, *cum illud bibam vobiscum nouū in regno Patris mei,* id est, quando spirituale vinum, cuius hoc materiale & naturale vinum signum est, vel, si cum Caluino post mysteria hæc verba Christum dixisse ponamus, cuius hoc in calice vobis porrectum signum est (nam & sanguis Christi in hoc Sacramento pignus est futuræ gloriæ) *bibam vobiscum,* pariter mecum conglorificatis, *nouū in regno Patris mei,* id est, spirituale & alterius generis in beatitudine eterna. Quia videlicet vt nunc in Sacramento me accipitis, comeditis, & bibitis, ad alimoniam, refectionem, & consolationem animarum vestrarum, sic in regno Patris mei me toto & præsentē fruemini in gloria, ad magnum incrementum & accessionem beatitudinis vestræ. Prosequitur Lucas hunc in modum. *Et accepto calice,* nō consecrato (de quo postea disertè loquitur, post panis consecrationem, *Similiter & calicem,* &c.) sed profano, quo in familiari cæna utebatur, *gratias egit,* more Iudæorum & patrum familias, in hac maximè cæna post agnū Paschalē comestum celebrari solita, & dixit, *Accipite, & diuidite inter vos,* id est, singuli bibite, sicut ego vobis præbibi. *Accepto enim calice,* nō significat in manus tantū accepto; sed & hausto ac propinato, more familiaris cæna Iudæorum: quam tam Calvinus quàm Beza hoc loco commemorant. *Dico enim*

vobis, quod non bibam de generatione vitis, id est, de cōmuni vino, & in familiari vobiscum cœna, donec regnum Dei veniat, id est, vsque ad resurrectionem generalem, vbi nouo potu vos reficiam: quod paulo apertius Matthæus posuit, vt supra explicatum est; tamen si non seruato ordine, vt Lucas facit: qui statim aggreditur aliam Christi & vltimam Cœnā, in qua diuina mysteria tradebat. Et *accepto pane, &c.* Hæc res quum apud Lucam ita clara sit, vt vel Christum bis calicem consecrasset (quod est absurdissimum) fateri oporteat, vel ad mysterium calicis consecrati hæc verba non pertinere agnoscere necesse sit, manent tamē in sua pertinacia Calvinistæ, & ordinem disertissimè à Luca seruatum, remque totā ab eo plenius enarratam aduertere nolunt.

Post hæc præclara argumenta concludit Calvinus: *Ergo modis omnibus resollitur Papistarum inscitia.* Atqui an non potius Caluini tam inscitia quàm impietas modis omnibus à nobis refutata sit, iudicet quilibet æquus Lector, resque loquatur ipsa.

27. *Bibite ex hoc omnes.*

**H**ic latum sibi campum contra Ecclesiā Catholicam excurrendi aperiri existimauit Calvinus. Hoc vt licetiosius præter, aliquod prius futuræ accusationis fundamentum ac robur ponit. *Quia Christi* (inquit) *consilium fuit fidem nostrā sibi totam obstringere, ne quid extra ipsum queramus, duobus symbolis vitam nostram in se inclusam esse testatus est. Indiget corpus hoc ad fouendam & sustinendam vitam cibo & potu. Christus vt se vnum nobis ad præstandas omnes salutis partes in solidum sufficere doceat,*

*sibi*

*sibi vices potus ac cibi tribuit: in quo mira eius indulgentia relucet, quod fidei nostræ consulere volens, ad carnis nostræ ruditatē ita se demittat.* Dicit solet: Cæcus de coloribus iudicare non potest: Multo minus cæcus hæreticus de Christi consilio iudiciū ferre. Quod fuerit Christi consilium in duplici specie corporis ac sanguinis sui exhibenda, non odio Ecclesiæ & superbo sui ipsius amore exæcarus Calvinus, sed Catholica Christi Ecclesia eiusque Præpositi ac Magistri & optimè intelligunt, & docere nos debent. Calvinus totum Christi consilium in fide nostra Christo magis obstringēda, & vt fidei nostræ consulatur, ponit. Atqui nec vlla Scriptura hoc docet, nec Ecclesia vnquam tradidit (sed cerebri Calviniani spectrum est) nec etiam probabili ratione subsistit. Nā tametsi de fide nostra stabilita Christus in hoc Sacramento ageret (quem vnicum omniū Sacramentorum finem esse stupidissimè Calvinus vult, quasi vnumquodque Sacramentum proprium suum finem, effectum, ac fructum in Scripturis expressum non haberet) tamen eam æquè vna species stabiliret quàm vtraque. Quod ne à me temere dictum Calvinista quispiam existimet, ex ipsis Christi verbis comprobabo. Dicit Christus de vna specie: *Panis quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita.* Tametsi enim hæc verba de ipso Sacramento Christum dixisse Calvinus neget (cuius contrarium eo loco abunde demonstrabimus) tamen fateretur ingenuè eodem in loco, *nihil hic dici quod non in Cœna figueretur ac verè præstetur fidelibus: adeoque sacram Cœnam quasi huius concionis sigillum esse.* Atqui in illis verbis, ipso interprete Caluino, fidem nostram sibi totam obstringit Christus, & fidei nostræ consulere voluit Christus.

Fidem  
æquè vna  
species  
confirmat  
quàm  
vtraque.  
Ioan. 6.

Ioan. 6.  
ver. 54.

Ad ver. 5. Sic enim ad hæc verba commentatur. *Quia vis illa arcana conferende vitæ de qua loquutus est, dicens, Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum* (vbi in verbo edendi ad fidem nos hortatur, quæ sola facit vt fruamur hoc pane in vitam) ad diuinam eius essentiam referri poterat, nunc descendit ad secundum gradum, ac vitam illam in sua carne positam esse docet, vt inde hauriatur. Mirificum sane Dei consilium, quod in ea carne, vbi sola prius mortis materia erat, vitam nobis proposuerit. Atque ita infirmitati nostræ consulit, dum nos ad fruendam vitam non vocat super nubibus, sed eam exerit in terra. Interea fidei nostræ humilitatem & obedientiam probat, dum vitam peturos in carne sua in speciem contemptibili subsidere iubet. Et paulo post, Dandi verbum variè accipitur. Prior donatio (Panis quem ego dabo) quotidie fit, quoties scilicet se nobis Christus offert. Secundo loco (Quam ego dabo pro mundi vita) donationem illam vnicam notant quæ facta est in cruce. Nihil enim prodisse victimam illam semel esse immolatam nisi nunc sacro epulo vesceremur. Docet ergo his verbis Calvinus in vna specie panis (de qua vna Christus hic loquitur) in sacro epulo Cænx Dominicæ Christum se nobis quotidie offerre, ad fidem in eo nos hortari, qua sola illo fruimur; atque ad fidei nostræ humilitatem & obedientiam probandam, vt ex carne sua vitam petamus, iubere. Sufficit ergo vna species ad fidem nostram fouendam ac sustinendam, si hoc consilium Christi erat dum hoc Sacramentum institueret.

Totum Sacramenti fructum vna species confert.

Cæterum longè aliud Christi consilium fuisse, ipsa Christi verba luculenter docent, & Ecclesia Catholica tradidit. Nempe vt vitam habeamus, ac maneamus in Christo, quod toties in 6. capite Ioan. Christus inculcauit. Rursum vt vniti Christo viuamus propter illum sicut ille vixit propter Patrē, quod eodem in loco docuit. Tum vt simus vnus panis & vnus

vnus corpus, inter nos ipsos, qui de vno pane participamus, quod Paulus docuit. Demum vt mortem Domini commemoremus, quod Christus ipse proposuit. Tandem vt fructus mortis Dominicæ ad nos deriuetur, remissio peccatorum & dona gratiarum: quia, vt ipsemet Calvinus alibi scripsit, comedere Christi carnem necesse est vt crucifixa proficiat. Atqui hæc omnia vna species vbertim præstat. De vna specie dixit Christus. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Rursum. *Qui manducat me, viuet propter me.* Qui autem viuunt propter Christum, utique manent in Christo. Vt simus omnes vnus corpus, de vno pane participamus. Ad vtramlibet specie dixit Christus. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Deinde aliud fuit Christi consilium in hoc Sacramento celebrando & publicè administrando, aliud in eodem à singulis percipiendo. Vbi eius celebrationem & perpetuam administrationem instituit Christus, vt in Cæna vltima, vtramque speciem porrigit, & adhiberi iubet. Vbi autè fructum eius à singulis percipiendum describit, vt Ioan. cap. 6. in vna specie totum ponit non secus quàm in vtraque. Spirituales quippe refectio quæ singulos concernit, tota & plena est, siue in carne Christi sub specie panis, siue in sanguine Christi sub specie vini. Spirituales autem refectio in Sacramenti administratione significata, plenius in vtraque specie repræsentatur, quàm in vna: ideòque non nisi in vtroque elemento ab Ecclesia Christi Catholica semper fuit administrata. His ita positis, facile quæ in Caluino sequuntur refutantur. Sunt enim rixæ potius quàm rationes. Sic enim prosequitur.

*Quo magis detestabilis est sacrilega Papæ audacia, qui sacrum hoc vinculum rumpere non dubitauit.* Hoc cele-

1. Cor. 10

Luc. 22,

Ioan. 6.  
ver. 63.

Ioan. 6.

1. Cor. 10

1. Cor. 11  
Sacramenti celebratione & perceptio diuersa.

Ioan. 6.

Caluini  
audacia  
sacrilega.

rati hæretici detestabile maledictum quum ex præcedentibus inferatur, quæ plena vanitatis ac dementiæ ostensa sunt, in fumos abeat necesse est. *Audimus* (inquit) *filium Dei vitæ plenitudinem, quam suis confert, duobus symbolis pariter testatum esse. Quæ diuinitus coniuncta erant, quo iure diuellere homini mortali fas fuit?* Respondeo: *Audiuimus filium Dei vitæ plenitudinem, quam suis cõfert, in vno symbolo testatum esse: Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in aeternum. Qui manducat me, viuet propter me. Quod ipsa veritas de vno symbolo pronuntiauit, quo iure ad duo restringere homini mortali fas erit?* Deinde non Papa, sed tota Christi Ecclesia his multis seculis vnã speciem laicis porrexit. Cur eam quoque detestabilis & sacrilegæ audaciæ nõ condemnat Caluinus? Tandem si verè detestabilis & sacrilega audacia est, hoc sacrum vinculum rumpere, vt vno tantum symbolo vitæ plenitudo conferatur, quã in duobus Dei filius testatus est, quanto detestabilior & magis sacrilega Caluini audacia fuit, qui hoc sacrum vinculum ita penitus perripit, vt Dei filium nec in duobus symbolis nec in vno, non dico vitæ plenitudinem, sed nec vllam vitæ particulam conferre patiatur? omnemque vitæ fructum tam procul à symbolis remoueat atque propellat, quã procul cælum à terra distat? quumque in terra hæc symbola conspiciantur ac sumantur, totam vitæ rationem in Christi carne in cælis posita, imò nec in illa, sed in quadã efficacia ab illa deriuata (iuxta proprium cerebri sui commentum) collocauit? & per hoc ipsa symbola penitus vitæ inania & vacua reliquerit? Hæc est verè detestabilis & sacrilega Caluini audacia. Et tamen audet homo sacrilegus suam impuram scabiem alij affricare, nec cui-

uis

uis alij, sed ipsimet Christi Vicario, & militantis in terris Ecclesiæ vniuersæ Capiti sub Christo sumptimo.

Pergit adhuc Caluinus, in quo audiendus est. *Adde quod consultò videtur Dominus præcipere omnibus vt ex calice bibant, quo sacrilegium hoc ab Ecclesia arceret. De pane simpliciter dixisse legimus, vt acciperent. Cur bibere nominatim iubet omnes, & Marcus bibisse omnes discrete narrat, nisi vt sibi ab impia nouitate caueant fideles? Nec tamen seucro hoc interdicto deterritus fuit Papa, quin fixã à Domino legem mutare ac violare auderet. Populum enim totum prohibuit ab vsu calicis. Totã hæc rixa potius quã ratio ex ipso postremo Caluini verbo refelli potest. Populus prohibetur ab vsu calicis. Populo enim dari calicem Christus non præcepit: nec populo, sed solis Apostolis, & futuris eorum successoribus, huius diuini mysterij administris, dixit. *Bibite ex eo omnes.* Nullũ ergo hinc Christi interdictũ violatur, nulla Domini lex immutatur. Quod omnibus nominatim præcepit vt biberent, ab omnibus nominatim adimpletum fuisse Marcus narrat: *Et biberunt ex eo omnes.* Si id obseruandum putat Caluinus, quòd de pane simpliciter dixit, *Accipite, & manducate*, illud quoque obseruandum dicimus, quòd nullus Euangelista adiecit: *Et acceperunt, ac manducauerunt*: sicuti de solo calice adiecit Marcus: *Et biberunt ex eo omnes.* Imò omnes accepisse ac manducasse non dicitur, nec omnes accipere ac manducare iubentur, ne villo modo manducationis præceptum ad illos solos præsentés aut eorum successores, sed in vniuersum ad omnes fideles pertinere ostenderetur. Ad calicis mentionẽ ideo tum iubentur omnes bibere, tum omnes bibisse memoratur, vt intelligeretur præceptum bibendi necessariò ad illos solos præsentés atque eorum*

*Bibite ex hoc omnes, calicem populo potius auferet quã tribuit.*

B b 5 suc.

successores illis in officio pares, non autem ad vniuersum populum fidelem pertinere. Ita hæc observatio nihil Calvinum iuuat, sed eque offendere potest ac iuuare.

Addit adhuc. *Atque ut se probaret non sine ratione facere, obtendit satis esse speciem vnã, quã per concomitantiam coniunctus sit sanguis cum carne.* Non hæc tantum ratio affertur, quã tamen bona ac firma est, probatque totum Christum non secus in vna specie sumi quã in vtraque; sed & aperta Christi verba proferuntur, iamque à nobis prolata fuerunt, quã totum huius Sacramenti effectum ac fructum vnice speciei assignant. Ea sibi dissimulanda Calvinus putauit. At tamen ut hanc rationem conuellere conetur, videamus. *Quasi verò non eodem pretextu totum Sacramentum aboleri liceat, quia equè sui participes nos facere Christus possit absque externo adimiculo.* Ita sanè iuxta Caluini dementiam, qui nihil amplius in hoc Sacramento conferri dogmatizat quã extra illud, & sine hoc Sacramento, per solam fidem cuiuslibet conferri potest. At

Instit. lib.  
4. cap. 17.  
num. 5.  
In Ioan.  
cap. 6.  
ver. 47.

In Ioan.  
cap. 6.  
ver. 53.

Instit. lib.  
4. cap. 17.  
num. 5.

enim manducationem carnis Christi non aliam esse quã fidei manducationem, nec vllam aliam fingi posse. Et rursum. *Fateor non manducari Christum nisi fide.* Atqui fidem extra Sacramentum officium suum facere quis dubitat? Quare alibi apertis verbis Calvinus dicit in 6. caput Ioannis, *Non de Cœna haberi concionem, sed de perpetua communicatione, quã etiam extra Cœna vsus nobis constat.* Rursum hanc perpetuam communicationem carnis Christi ponit in perpetua & quotidiana Euangelij prædicatione, non secus quã in Cœna. Sic enim alio in loco scribit. *Illis verbis, Panis quem ego dabo, caro mea est, quã ego dabo pro mundi vita, haud dubiè innuit Christus, suum nobis corpus ideo*

pro

*pro pane futurum ad spiritualem animæ vitam, quia in mortem pro salute nostra exponendum erat: nobis autem porrigi ut vescamur, quum fide nos facit eius participes. Semel itaque ipsum dedit quo panis fieret, quum in mundi redemptionem crucifigendum exposuit; quotidiò dat, vbi participandum quatenus crucifixum est Euangelij verbo nobis offert: vbi eam exhibitione sacro Cœnæ mysterio obsignat; vbi id ipsum interius complect quod exterius designat. Triplicem ponit quotidianam & perpetuam corporis Christi crucifixi participationem: vnã in Euangelij verbo oblatam, alteram in Cœnæ mysterio obsignatam, tertiam interius complectam, quã extrinsecus designata erat. Ita non secus extra Cœnã in Euangelij verbo quã in Cœna carnis Christi participationem ponit. Idè quippe apud Calvinistas efficit Euangelij prædicatione, quod cuiuslibet Sacramenti exhibitio. Caluino subscribens Beza cù tota Synodo Rupellana rotundius dicit, *tametsi Cœna ad mysticam & spiritualem Christi communicationem specialiter instituta fuerit, nihilominus eundem Iesum Christum cum omnibus suis donis etiam in simplici verbo, & in baptismo nobis offerri, & à credentibus percipi.* Denique Calvinus tametsi multis verbis docere conetur participationem Christi in Cœna iuxta suum figmentum plus esse quã spiritualem, eosque reprehendat qui nos Spiritus modò participes in ea faciunt, tamen post totam suam hypocriticam huius mysterij commendationem concludit hunc in modum. *Quapropter Scriptura vbi de nostra cum Christo participatione loquitur, vim eius vniuersam ad Spiritum refert. Pro multis tamen vnus locus sufficiet. Paulus ad Rom. 8. Christum non aliter in nobis quã per Spiritum suum habitare differit: quo tamen illam, de qua nunc sermo est, carnis & sanguinis communionem non tollit; sed ab vno Spiritu effici docet, ut totum Christum possideamus,**

Participatio Christi iuxta Calvinum eque extra Cœnã Dom. quã in illa.

Theolog. Epist. 65.  
Pag. 285.

Instit. lib.  
4. cap. 17.  
num. 7.

Lib. & ca.  
eodem  
num. 12.

pro

Caluini  
resolutio.

& habeamus in nobis manentem. Tota igitur Caluini resolutio est (quicquid interdum, vt lectori fucum faciat, de hoc mysterio magnificè loquitur) solam in eo esse spiritualement Christi participationem, quam videlicet solus Spiritus efficit, quæ non secus extra mysterij vsum habetur per solam fidem (saluo quòd adest in Cæna figura quedam externa, eandem participationem, vt ipse confingit, obfignans) quàm in eius vsu per symbola accepta. Ergo (vt ad objectionem Caluini redeamus) iuxta eius propriam dementiam, nec de vna nec de duabus speciebus admodum laborandum erit, sed totum Sacramentum sine magno incommodo abolere licebit, quia æquè sui participes nos Christus facere potest; imò de factò facit per Euangelij prædicationem, per solam fidem, & solo Spiritu suo, absque externo adminiculo huius Sacramenti. Ita contra ipsam Caluinum pulchrè currit obiectio, quam contra Papam ingeniosè à sese inuentam existimauit.

Participa-  
tio à Ca-  
tholicis  
credita.

At verò Papa & tota Ecclesia Catholica, tametsi in vna specie huius mysterij totum Christum per cõcomitantiam recipi verè doceat, non tamen absque vtraque specie perinde Christum accipi docere censenda est. Agnoscit enim in hoc sacro sancto mysterio singularem quandam, realem, naturalem, corporalem, (non spiritualement tantum) Christi participationem, quæ extra hoc Sacramentum, nec per solam fidem, nec per Euangelicam prædicationem, nec per aliquam comitantiam, nec denique per solam diuini Spiritus operationem datur. Agnoscit cum B. Cyrillo Alexandrino non solum nos recta fide sinceraque charitate Christo spiritualiter coniungi, sed esse quoque in nobis aliam coniunctionis rationem secundum carnem cum  
Chri-

In Ioan.  
lib. 10.  
cap. 13.

Christo per mysticæ benedictionis virtutem, quæ cum in nobis fit, corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare. Et iterum. Corporaliter Dei filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur; spiritualiter autem vt Deus, sui Spiritus gratia, nostrum ad nouam vitam spiritum redintegrat. Agnoscit quod scripsit B. Chrysostomus. *Vt non solum per dilectionem sed reipsa in Christi carnem conuertamur, per cibum id efficitur quem nobis largitus est.* Et alio in loco. *Christo non satis fuit vt homo fieret, &c. venim & seipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & reipsa nos suum efficit corpus.* Cauillatur ad hæc verba Caluinus. *Hoc tantum vult Chrysostomus excludere, ne quis dum fidem nominari audit, nudam imaginationem concepiat.* Atqui S. ille Pater non solum nudam imaginationem & apprehensionem intellectualem quæ sola fide fit, & quam Zvingliani solam ponebant, vt manducare nihil aliud esset quàm credere, hoc loco excludit; sed etiam solam communicationem spiritualement, quæ per fidem & charitatem realis esse potest, qualem statuit Caluinus (saltem ex parte fidei) similiter excludit; & illam realem communicationem ponit, quæ est plusquam spiritualis: qua videlicet vera Christi caro non absens per fidem accipitur, vt præstigiatur Caluinus; sed reipsa præses realiter nobis cõiungatur, à nobis realiter percepta. Vnde & in sequentibus eodè loco dicit: *Quis pastor oues pascit proprio cruore? Sed Christus nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Agnoscit rursum cum B. Hilario nõ spiritum modò, sed & naturaliter nos Christo per hoc Sacramentum coniungi. *Si verè (inquit) Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus; quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est?* Sic Cyrillus scripsit non habi-  
tudi-

Ibidem  
lib. 1 r.  
cap. 26.

Homil. 45  
in Ioan.

Homil.  
60. ad  
Popul.  
Ant.  
Instit.  
lib. 4.  
cap. 17.  
num. 6.

De Trina,  
lib. 8.



In Ioan.  
lib. 10.  
cap. 13.  
Ephes. 5.  
lib. 5.  
Ephes. 3.  
In Ioan.  
lib. 11.  
cap. 26.  
Catech. 4.

*iudine solū que per charitatem ac fidem intelligitur, verū etiam participatione naturali Christum in nobis esse. Agnoscit postremò huius Sacramenti beneficio nos esse os ex ossibus Christi, & carnem de carne eius, vt exponit Irenæus: nos esse cōcorporeos Christo, vt iterum Apostolus loquitur, vt exponit D. Cyrillus Alexandrinus: ac demum nos esse x̄p̄o corpore, vt alter Cyril. Hierosolymitanus scriptum reliquit. Hanc SS. Patrum doctrinam ac fidem amplexus Papa, sic sub vna specie totum Christum corporaliter, naturaliter, reipsa, nobis coniungi docet, vt extra hoc diuinissimum Sacramentum eodem modo nos sui participes Christum facere non credat: id eoq; vt hęc tantam, tam singularem, tam arctam, tam diuinam, tam fructuosam coniunctionem retineat, totum Sacramentum nullo modo abolere velit, tamen si vna specie populum contentum esse grauisimam ex causis iubet.*

His nunc ita explicatis, Caluini conclusio non modò in Papam non quadrabit, sed in ipsius Caluini caput tota recidet, qua sic scribit. *Sed istis puerilibus cauillis nihil inuatur eius impietas, quia nihil magis absurdum est quàm vt traditis à Domino subsidijs sponte careant, vel priuari sustineant fideles: ideoque nihil miris ferendum quàm impia hęc laceratio.* Contra seipsum classicum cecinit Caluinus. Nihil enim certè minus ferendum, ideoque Caluinistis nihil hodie pestilentius, quàm impia hęc mysterij non iam laceratio aut mutilatio, qualem Papæ inaniter & pueriliter hactenus obiecit, sed vniuersa abolitio, profanatio, & extinctio, qualem Caluinus persuum commentitium canalem in orbem introduxit, vt satis in præcedentibus ostensum à nobis est. Nihil etiam magis absurdum, imò turpe, ignominiosum, & lamentabile, quàm vt vnus Caluini

Caluini-  
nistis ni-  
hil hodie  
pestilen-  
tius.

Caluinitrechnis, præstigij, & malis artibus, tam innumeri Christiani in Gallia, Anglia, Scotia, Germania, traditis à Domino subsidijs sponte careant, vel priuari se sustineant. Vnius Caluini & doctrinam pestilentem abominari, & libros venenosos exurere, & memoriam sempiterna obliuione sepelire, aut certè diris deuouere meritò debent, qui vera & reali Christi carnis præsentia, alimonia, fructu (imaginaria è celo participatione conficta) toto etiam religionis cultu, tot animas Christianas spoliavit, & diuinissima corporis & sanguinis Christi mysteria ad nudā ac symbolicā obliuationem à seipso confictam, maiori, quàm dici potest, impietate traduxit.

39. *Pater mi, si possibile est, transcat à me calix iste.*

**D**V o nefanda & impia dogmata tam contra Christi honorem quàm contra Euāgelicam veritatem euomuit hoc loco Caluinus, & studiose tuetur: vnū de maledictionis diuinæ horrore pœnisque infernalibus à Christo hoc loco toleratis, alterū de voto Christi inconsiderato & abrupto. Prius nefarium dogma cum terra blasphemia coniunctū ad eadem Christi verba apud Lucā compendio examinabitur. Nam latè & accuratè illud refutatum dedimus in parte quadragesimali Promptuarij nostri Catholici recenter edita. De posteriori hęc aliqua dicemus. Ego (inquit hoc loco Caluinus) *abruptum hoc fuisse votum fateor, tamen si precatio fuerit, non querimonia.* Moxque docens fidelium preces non semper æquabile temperamentum seruare, sed implicitas & perplexas secum aliquando configere, de Christo quoque affirmat, sic hoc loco metu percussum, & anxietate constrictum fuisse, vt necesse illi foret  
inter

In feria 4.  
Hebdom.  
sanctæ.

inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare. Addit demum, quod votum suum subito elapsum castigat ac reuocat. Tandem concludens dicit. Non fuit igitur hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Et paulo post. In primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi, quia mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat. Ponit ergo in Christo, desideria inconsiderata, vota abrupta, eademque alternantia ac vacillantia, subito erumpentia, quæ corrigi debeant. Denique orationes non meditatae, sed impetu doloris extortas, ac placidè postremò moderationis vacuas. Sed hæc omnia Christi puritate indignissima, & quæ in solos peccatores peccato originali corruptos ac deprauatos cadunt, ex veræ theologiæ ignorantia, & animi contumacia Calvinus negat, nolens videlicet in Christo agnoscere humanorum istorum affectuû, gaudij, timoris, &c. liberam susceptionem, quam disertè Patres docent. Quum enim liberè mortis horrorem ante oculos suos proponeret, liberè quoque & meditatè dixit: *Pater mi, si possibile est, transseat à me calix iste.* Nullum hic votum inconsideratum, nullum abruptum, nullum subito elapsum fuit: vota Christi & oratio meditata erant, cum placida moderatione coniuncta. Sed hæc vota erant naturalia, ex libera illa susceptione affectus naturalis, id quod naturale erat, spectantia. Voluntas quippe humana in Christo quum vna esset potentia seu facultas sicut in nobis, ratione tamen diuersorum obiectorum duplex erat, modò naturalis, modò deliberata. Naturalis voluntas dicitur quæ fertur in rem aliquam secundum seipsam consideratam: Deliberata verò quæ fertur in rem non solam, sed

cum

cū circumstātijs suis per intellectū propositā. Et vt in præsentī materia maneamus, mors ipsa & passio cōsiderari dupliciter potest. Vno modo in seipsa simpliciter cōsiderata, & sic habet rationē mali: est enim quoddā pœnæ malū, nec secūndum se appetibile est. Vnde de ipsa morte alijsq; rebus aduersis aptè dicit S. Aug. *Iubes nos, Domine, ea tolerare, non iubes amare. Nemo quod tolerat amat, est tolerare amat.* In hac consideratione voluntas humana auersatur mortem, & renuit eam. Alio modo considerari potest mors appositā circumstantia, nempe hanc mortem secūndum diuinam voluntatem, eamque vel mūdi esse redemptionem vt in Christo, vel ad Christi gloriam fideique profersionem vt in martyribus, vel vt materiam meriti ac ianua melioris vitæ in iusto quolibet patienter eam sustinente: & hac ratione habet rationem boni, & voluntas ordinata eam acceptat. Illa dicitur voluntas naturalis, quia rem in sua natura cōsiderat: hæc deliberata, quia per discursum considerat circumstantias adiectas. Christus igitur vt in affectu suo non tantum sensitiuo, (de facto tolerando pœnas) sed etiam rationali (eas præmeditando) pro nobis pateretur, & vt timorem ac tristitiam propter nos in se ipso excitaret, vtebatur hac voluntate naturali; id est, liberè & præmeditatè proponebat animo res eas quæ timoris & tristitiæ causæ atque obiecta erant: & hac ratione *contristabatur, turbata est anima eius*, voces naturales emisit, *Si possibile est, transseat à me calix iste.* Vt autem Patri se per omnia conformaret, vtebatur voluntate deliberata. Verba igitur huius Euangelij, sunt hominis positi in hac agonia, qua seipsum turbare Christus voluit. Verbum quidem illud, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, verbum

C c

est

Christi  
puritas &  
fortitudo  
defen-  
ditur.

Confess.  
lib. 10.  
cap. 28.

Voluntas  
naturalis  
& delibe-  
rata.

Euangelij  
verba ex-  
plicantur.

est hominis positi inter duas voluntates quæ in contraria tendunt (naturali enim voluntate mortem auerfabatur, deliberata eandem acceptabat) sed non inter violentos tentationum fluctus posui, ut ait Calvinus, & alternis votis vacillantis. Nullam tentationem à seipso passus est Christus ut vacillaret ac dubitaret circa mortem & passionem suam, subire necesse deberet an non. Sed adhuc inter duas illas voluntates hærebat hinc inde agiratus. Vox autem illa Christi, *Transseat à me calix iste*, vox est ex naturali voluntate procedens, non (ut absurdè & impiè Calvinus dicit) qua *Mediatoris officio defungi, quantum in se erat, renueret ac detrectaret*. Mediatoris quippe officium mortem dicit cum suis circumstantijs consideratam, mortem videlicet quæ esset redemptio mundi. Hanc autem ita consideratam quia bonum erat, Christus, quantum in se erat, renuere non potuit. Sed est vox qua mortem & passionem acerbam in seipsis consideratam auerfabatur. Voluntas autem Christi deliberata illa erat quam subiunxit hoc loco: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*. Vtrumque votum meditatam erat, & liberè susceptum: prius illud, ut in parte rationali pateretur, seque ipsum ipsa mortis præmeditatione turbaret; postèrius, ut diuinæ voluntati humanam suam per omnia cõformaret. Hæc nesciens distinguere Calvinus ea de Christo pronunciat, quæ in solis peccatoribus reperiuntur, & Christi puritate sunt indigna.

Vidit Calvinus hanc suam doctrinam non solum veterum Patrum & omnium theologorum, sed & suæ ipsius doctrinæ alijs in locis traditæ penitus aduersari. *Quum nuper* (inquit) *dictum fuerit rectè compositos fuisse omnes Christi affectus* (sicerim ad Matth. cap. 6. dixerat, *Christus communem nobiscum*

In Harmon. ad Matth. cap. 26. 39

hæc

*habuit sensum, non autem appetitus incompósitos, & in hoc ipso Matth. 26. cap. ver. 37. Christum ait mansisse compositum ad veram temperatæ regulam) quomodo nunc seipsum corrigi? Sic enim affectum suum subigit in obsequium Dei quasi modum excesserit. Certè in primo voto non appareret placida illa moderatio quam dixi: quia \* Redemptoris officio defungi, quantum in se est, renuerit ac detrectat. Hæc sibi Calvinus objicit, & obiectionem tanto fortius premit, quanto clarius & sceleratius affirmat Christi prius votum, *Transseat à me calix iste, placida moderatione caruisse, idque adeo, ut Redemptoris officio defungi, quantum in se est, renuerit ac detrectarit*: qua grauior acculatio vix à Pagano aut Iudæo aliquo Christo intentari potuerit. Quomodo enim tot illa Christi verba vera esse possunt, *Cibus meus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, Ego non veni ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, denique, Ego quæ coram illo placita sunt facio semper*, si vel ad punctum temporis Redemptoris officio defungi, quantum in se erat, renuerit & detrectauerit? Ad hanc ergo tam grauem obiectionem, quæ certè Caluini expositionem necessariò consequitur, quid tandem respondet Calvinus? *Respondeo* (inquit) *in eo nihil fuisse vitij, quòd obiecto mortis terrore, simul oblata est caligo, ut alijs omnibus omisis ad votum illud profiliret*. At hæc responsio à maximo vitio Christum non excusat. Vix enim in villo grauius peccare potuit, quàm ex quocunque terrore aut ex quacunque obliuionis caligine, finem ipsum & scopum vniuersum aduentus sui in hunc mundum, qui erat Redemptoris officio defungi, aliquando renuere & detrectare. Sed duo hic affingit Christo Calvinus, Christi puritate indignissimi-*

Atrox in Christum Redemptorem calumnias.

Ioan. 4. 5. 7. 10.

uia, ideoque falsissima. Affingit illi *obiectum mortis terrorem*. Falsum hoc est. Non illi fuit quasi ex improviso obiectus mortis terror, sed huc mortis terrorē Christus in seipſū liberē & voluntariē suscepit propter causas infra apud Lucā dicēdas. De quo etiam apud Ioannē iterū nobis dicendū erit, ad illa verba, *Infremuit spiritu, & turbauit semetipſum*. Affingit iterū *simul oblatam caliginem* seu obliuionem ex eodē repētino obiecto terrore inuectam; nam & antea dixit, *vehementia doloris presentem caelestis decreti memoriam illi abstulit, ut non reputaret in ipso momento se hac lege missum esse humani generis Redemptorem*: At hoc falsum necessario esse debet, quum obiectus ille terror nulla veritate nitatur. Deinde quomodo hīc Calvinus ab obiecto mortis terrore & consequenti obliuione salutis nostrae, Christi votum (vt ille ait) *abruptum & inconsideratum* excusat, quando in his Christi verbis non de morte temporali, sed de metu & horrore maledictionis diuinæ Christum cogitasse & loquutum fuisse acerrimē contēdat, vt super Lucam ostendimus? Quis non videt nullo modo sibi constare Calvinum; sed dum Christi Saluatoris nostri verba quibus ipsum Deum Patrem compellat & precatur, *votum abruptum & inconsideratum, & placida moderatione vacuum* probare vult, iusto Dei iudicio vertigine & stupore percussum esse, vt sibi pugnancia loquatur? Hīc enim de obiecto mortis terrore loquitur quo Christus percussus penitētiſque oblitus interim officij & aduentus sui, mortem ipsam deprecatur. Postea non mortem, sed ea quae quauis morte horribiliora sunt, Christum in his verbis timuisse & deprecatum fuisse blasphemat. Ita de re eadem pugnancia loquitur, sui ipsius parum compos.

Ad-

Addit tamen adhuc Calvinus, vt absurdissimam suam sententiā magis probabilem reddat. *Neque hīc* (inquit) *subtiliter disputare necesse est an illi obrepere potuerit salutis nostrae obliuio: quia hoc vnum sufficere nobis debet, quum in mortis deprecationem erumperet, de alijs non cogitasse quae viam clausissent*. Atqui hęc adhuc nulla euatio est. Nam si de alijs non cogitauit quae huic mortis deprecationi viam clausissent, eūque ab hac *inconsiderata* (vt Calvinus vult) *oratione* reuocassent, profecto illa alia oblitus erat. Quid enim est aliud obliuisci, quam non meminisse, & ea non cogitasse quae cogitari debuerant? At inter illa alia praecipuum erat, cogitare se Redemptoris officio defungi debere, & opus redemptionis nostrae sua morte peragere. De hoc non cogitauit (ait Calvinus) quum in mortis deprecationem erupit: ergo salutis nostrae obrepit illi obliuio. Atque ita *hoc vnum quod sufficere nobis debere* Calvinus vult, ad Caluini blasphemiam refutandam sufficere potest.

Prosequitur adhuc Calvinus, quia vel apud quemlibet lectorem obiectioni propositae satisfactum non esse facile aduertit *Si quis excipiat primum motum* (quem frenari, antequam longius excurreret, oportuit) *non fuisse temperatum vt decebat: Respondeo* (inquit) *non posse in hac naturae nostrae corruptione perspicere affectuum feruorem cum temperie qualis in Christo fuit sed hunc dandum esse honorem filio Dei, ne cum aestimemus in nobis*. Atqui hęc responsio nulla est. More suo postquam pugnancia dixit, quae simul esse vera impossibile est, ait rem à nobis intelligi non posse. Quod autem intelligi non potest, nisi de fide credendum proponatur, affirmari non debet. Calvinus verò suas contradictiones, quum intelligi nequeant, recipi tamē & credi vult. Sic in alijs dog-

Cc 3 ma-

Blasphemia Caluini quod salutis nostrae oblitus Christus fuit.

Caluini impudentia circa contradictiones quas facit.

Calvinus obliuionē Christo affingens vertigine percussus, vt pugnancia loquatur.

matibus, maximè quum Deum authorem peccati statuit, lectores iudificat. Affectuū feruor cum temperie à nobis perspicere non potest, ait Calvinus. Ita sanè, calidum cum frigido, album cum nigro, motus cum quiete, simul & semel in eodè consistere à nobis intelligi non possunt, ideòque à nemine sanè mentis affirmantur. Ipsa ergo Calvinii resolutio suam absurditatē prodit. Quid enim absurdius quàm pugnantia docere, moxque ipsam repugnantiā, quia intelligi nequeat, credendam obrudere? Hic est Calvinii ludus. Sic quod ex suo cerebro commentus est, vt sibi fallacem ex verbo Dei prætextum conciliet, corrumpit ac lacerat scripturam, ac indignis eam ludibrijs exponere non dubitat. Hi sunt audaciæ hæreticæ fructus, postquam semel extra Ecclesiasticæ doctrinæ metas vagari sibi permittit. Tenendum interea est, Christum Redemptorem nostrum, nec aliquod inconsideratū votum emisisse, (sic enim

1. sapiens non fuisset), nec correctione dignum aliquid dixisse, (sic enim peccasset) nec preces non medicatas Deo obrulisse, (sic enim temerari⁹ foret,) nec vocē vi doloris extortam protulisse, (sic enim appetitui suo dominari nequiuisset) nec postremo placida vnquā moderatione caruisse,

(sic enim passionibus vitiosis, quæ rationem præueniunt, subditus fuisset:) ac propterea Calvinū, qui illa omnia de Christo Redemptore nostro pronuntiauit, hominem impium, nec fide sed furca dignū, omnium piorū iudicio pronūciandū esse.

75. Et egressus foras, flevit amarè.

**H**ANC Petri pœnitentiā insignem & veracè extenuat & suggillat Calvinus, ne ad veniam peccati obtinendā aliquid con-

contulisse videatur. *Verisimile* (inquit) est, Petrum metu egressum esse, quia flere coram testibus non audebat: in quo se rursus adhuc prædidit eius infirmitas. Vnde colligimus, non satisfactione veniam fuisse promeritum, sed eam adeptum paterna Dei indulgentia. Hæc ille. At quanto magis verisimile, imò verius est, Petrum nō metu egressum esse, quasi flere corā testibus non auderet, sed iusto dolore peccati percussum, & iusto odio confortij malignorum commotū, egressum esse, vt liberius ac vberius fleret? Quis nescit solitudinem orationi & lachrymis esse oportunā? Nec audacia aut fortitudo sed temeritas & quādā ambitionis species est, multis præsentibus & spectantibus, idque in loco profano (quale hoc erat) peccata sua deflere. Sed ipsemet Calvinus, vbi è venenato corde suo veneni aliquid effudisset, quasi que stomachum leuasset, ad occultas Petri lachrymas totāque eius pœnitentiā collaudandam orationem conuertit. *Interim* (inquit) *occulte Petri lachrymæ veram eius coram Deo & Angelis eius pœnitentiā testatæ sunt. Nam ab hominum oculis subductus Deum sibi & Angelos proponit: ideòque ex intimo cordis affectu manant iste lachrymæ.* Si ex intimo cordis affectu hæ lachrymæ manarunt, & veram eius pœnitentiā testatæ sūt, & ab hominum oculis subductus Petrus Deum sibi & Angelos proposuit, cur illi metum & timorē obiectat Calvinus? cur quòd ab hominum oculis se subduxit, culpam ac reprehendit, quasi ideò factum quòd non auderet coram testibus flere? Debit primū stomachum leuare, & turgidum veneno peccati exonerare, vt pœnitentiæ virtuti atque efficacitæ detraheret. Hinc enim colligere voluit, Petrum *satisfactione hac suam veniam non esse promeritum, sed paterna Dei indulgentia.* Sanè nec Petrus nec alius quisquam quibuscun-

Pœnitentiā Petri defenditur.

Pœnitentiā an veniam meretur.

que lachrymis aut quacunque pœnitentia remissionem peccatorum, proprie loquendo promeretur, vt illud meritum iustitia nitatur, ipsaque remissio pœnitentię quasi merces merito respondeat, sed paterna Dei indulgentia & ex mera Dei gratia quantumlibet pœnitentibus peccata remittuntur. Quia tamen hæc paterna Dei indulgentia & pura gratia non nisi pœnitentibus impenditur, & veniam peccatorum pœnitentibus promittit Dei indulgentia, ipsaque pœnitentia ad veniam consequendam necessaria dispositio est, propterea aliquo modo veniam promereri pœnitentia dicitur, quatenus venia pœnitentiam consequitur. Quare à meriti vocabulo largius accipitur, in venia peccatorum pœnitentibus data, Patres non abhorrent. Et de hac Petri pœnitentia ac lachrymis quòd veniam promeruerint, ita disertè & copiosè contra Calvinum scribit S. Ambrosius. *Lauant lachryme delictum quod voce pudor est confiteri. Et venia fletus consulunt, & verecundię lachrymę sine offensione verecundię confitentur. Lachrymę veniam non postulant sed merentur. Inveni cur tacuit Petrus, ne tam citò venię petitio plus offenderet. Antè sciendum est, sic precandum. Bonę lachrymę quę lauant culpam. Eleuit ergo amarissimè Petrus, flevit vt lachrymis suum posset lauare delictum. Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam: eodem momento, eodem tempore respicit te Christus.* Hęc

D. Ambrosij verba contra Calvinum venenati antidoti loco esse possunt.

(. . .)

(. .)

In Lucam  
lib. 10.  
cap. 96.

## IN MATTHÆI CAP. 27.

3. *Videns Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit 30. argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem iustum.*

**A**RRIPIT hic occasionem Calvinus veram in Ecclesia Dei pœnitentię formam ac rationem suggillandi, homo totius pietatis ac pœnitentię salutaris infensus hostis. *Si rectè* (inquit) *de pœnitentia docerent Papistę in suis scholis, in Iuda nihil desiderari posset, in quem tota eorum definitio competit. Hic enim cernitur & cordis contritio, & oris confessio, & operis satisfactio. Vnde colligimus illos tantùm corticem arripere, quia omittunt quod precipuum erat, hominis ad Deum conversionem, dum pudore & metu fractus peccator sibi renuntiat, vt se addicat in obsequiũ iustitię.* Hęc ille. Cauillator ridiculus argumentum facit, cui in scholis Catholicis vel infimus tyrūculus vno verbo statim satisfaceret, negando minorem propositionem. Ait enim & sublimiter ridiculè, in Iudę pœnitentia cerni cordis contritionem, & cetera requisita, quę in illa cerni nec probat, nec probare inquam poterit. Sed hic est Calvinus ludus in Scripturis deprauandis, & indogmatibus Catholicis vellicandis. Ponit & affirmat apertè falsa, veluti de fide certa aut alioqui euidenter vera. Moxque ex apertè falsis, nec vel minimo verbo confirmatis, omnem quam vult falsitatè fortiter & copiosè concludit. In Iuda nulla fuit cordis vera contritio, nulla oris legitima confessio, nulla etiam satisfactio, qualis in scholis Catholicis docetur. De cordis contri-

Iudę pœnitentia Christianorum pœnitentię ridiculè comparata.

Calvini ludus in Scripturis deprauandis.

In Lucam  
lib. 10.  
cap. 96.

Heb. 13.

Annotat.  
in Act.  
cap. 5. 31.

tione sic docere Caluinum Sanctus Ambrosius potuit. *Habebat lachrymas Petrus, quas pio fundebat affectu; non habebat proditor fletus quibus culpā ablueret, sed tormenta conscientie quibus sacrilegium fatiretur.* Docet & verè docet. non cordis contritionem, sed conscientie tormentum in Iuda fuisse. An nescit Caluinus lachrymas Esau, *in quibus pœnitentiā non inuenit, à vera cordis cōtritione discernere? Nō ex corde contrito & spiritu humiliato propter Deū offēsum, sed ex animo iracūdo & spiritu superbo propter primogeniturā amissā, lachrymæ Esau processerunt, vt eo in loco latius dicitur.* Sic à vera pœnitentia hanc Iudæ carnificinam discernere debuit. Quod & vox græca diuersa eum docere potuit. Quod enim pœnitentia ductus dicitur, nō est græcè *κατανοησις*, quo verbo veri pœnitentes cū resipiscētia coniuncta in Scripturis designari solent, sed *μετανοησις*, quod simplicem animi mutationem notat, & quidem talem, iuxta Bezā, quæ peccati merces & iter ad desperationē. De quo quippe prius ex auaritia gaudebat, de eo nunc ex conscientie cruciatu torquetur & dolet: nec propter Deū offēsum aut amantissimo Domino iniuriā factā, sed propter facinoris sui turpitudinem, quæ vel inuito se ingerens eum quiescere non sinebat. Oris confessio vel satisfactio, qualis in scholis Catholicis docetur, multo minus in Iuda videtur. Confessio quippe quæ pars pœnitentiæ est, non nisi legitimo Dei ministro & iurisdictionem habenti, idque animo absolutionis impetrandæ, iuxta scholas Catholicas, fieri debet: quorum nihil in Iuda locū habuit. Satisfactio similiter nō simplex est restitutio rei alienæ aut turpiter acquisitæ, qualē hic solum Iudas exercuit, & quæ ex natura rei debetur; sed est præ-

præterea aliqua certa pœna legitimè iniuncta, qua vel Deo & Ecclesiæ satisfiat, vel ipsi pœnitenti medicinæ in modū subueniatur. Iudas igitur nulla planè ex parte illam pœnitentiam egit, quæ in scholis Catholicis docetur.

Iam quod addit Caluinus, *omitti à Catholicis quod præcipuum erat, hominis ad Deum conuersionem, dum pudore & metu fractus peccator in obsequium iustitiæ se addicit,* putida calumnia est, quam quælibet amacula Catholica mēdaci jarguet. Omnes enim qui pœnitentiam Catholicam aggrediuntur, hoc omnium esse primum intelligūt, vt de peccatis præteritis odio concepto, & emendationis proposito firmiter arrepto, per veram cordis contritionem ad Deum se conuertant, & ad melioris vitæ studium seriò se accingant. Sed nisi mentiendo cauillari Caluinus non potuit: ideòque mentiri necesse illi fuit, qui quoquo precio cauillari voluit.

Putida  
Caluini  
calumnia.

46. Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

**H**Oc in loco infernalem verèque Sarnicam doctrinam suam de maledictionis & iræ diuinæ metu atque horrore quem Christū in animo concepisse blasphematur Caluinus, confirmare nititur. *Quamquam* (inquit) *apparuit plus quàm humanus vigor in Christi clamore, scribè tamè est vehementia doloris illi fuisse expressum. Et certè hic præcipuus fuit confictus & omnibus alijs tormentis durior, quòd in suis angustijs a deo leuatus nō est Patris auxilio vel fauore, vt se quodāmodo alienū sentiret. Neq; enim corpus solū in prætiū nostræ cū Deo recōciliationis obtulit, sed in anima etiā pertulit debitas nobis pœnas: atq; ita verè factus est vt dolor*

Sarnica  
Caluini  
doctrina  
de Christi  
pœnis infernali-  
bus.

dolorū, sicut Esaias loquitur. Et verò nimis insulsi sūt qui hanc redemptionis parte posthabita, tantū in externo carnis supplicio insistant. Quod in hoc impio sermone partē redemptionis nostræ extra corporalem Christi mortem Calvinus ponit, & debitas nobis pœnas in anima quoque Christum pertulisse affirmat, quàm ab eo impiè, sceleratè, & à diuinarum Scripturarū veritate abhorreter dictum sit, in parte quadragesimali Prœptuarij nostri Catholici accuratè ostendimus. Nunc vt de textus nostri propria intelligentia contra eius horrendas corruptelas disputemus, ea explicatione prætermittam, reliqua adhuc audiamus quæ eò propriè pertinent. Nam (inquit) vt pro nobis satisfaceret Christus, reum ad Dei tribunal fisci oportuit. Nihil autem magis horribile quàm Deum sentire iudicem, cuius ira mortem omnes superat. Ergo quum species tentationis Christo obiecta est, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti, ipse autem mirifica Spiritus virtute victor emerit. Nec verò fictè vel theatricè conueritur se à Patre relictum. Nam interior animi mœstitia vi & ardore suo eum cogit in clamorem erumpere. Nec tantum ocularis fuit redemptio qua defunctus est, sed vt se vadem pro nobis obtulerat, verè Dei iudicium subire loco nostro voluit. Vult Calvinus in his verbis, Deus, Deus meus, quare me deliquisti? Christum vera & vehementi tentatione correptum fuisse, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus, & quod interior animi mœstitia vi & ardore suo eum cogit in hunc clamorem erumpere. Hic est ergo ille timor maledictionis & ire Dei, quem in sua pestilenti Institutione Christo attribuit. Hæc est illa formidabilis abyssus qua sensit se à Deo derelictum & alienatum: & de qua subiunxit ibi Calvinus, Christum eò fuisse derelictum, vt coactus fuerit urgente angustia exclamare, Deus, Deus meus, &c. Expendamus

In feria 4.  
hebdomadae  
sanctæ.

Instit.  
lib. 2.  
cap. 16.  
num. 21.

mus nunc hoc totum, quid & quale fuerit.

Primum in eo nefariè errat Calvinus, quod tum hoc in loco, tum in sua Institutione, ait Christum vi mœstitiæ & urgente angustia coactum in hunc clamorem erupisse. Verba enim ista animo penitus sedato & composito pronuntiauit, nec vllus vel mœstitiæ vel timoris motus in Christo rationem eius præuenit, sed hos affectus humanos veros & verè in se suscepit pertulitque, non vt nos inuoluntarios; aut, vt hic Calvinus dicit, coactus, sed penitus liberos, quando & quomodo & quoties voluit, vt alijs in locis contra Calvinum ostendimus, ideoque hoc loco non repetimus. Hęc igitur verba, Deus, Deus meus, &c. nec ex aliqua noua angustia eum cogente, nec ex propria angustia aut mœstitia tunc primum inuenta vel extorta, sed olim de eo propheticè prædicta vsurpat. Tota enim hæc oratio seu exclamatio præmeditata & præcognita illi fuit, vt ipsa mors, passio, omnesque eius circumstantiæ fuere. Hic ergo primus Calvinifœdus error, quod has voces vi doloris coactum emisisse Christum arbitratur.

Alter & multo grauior error est, quod illa verba ex tentatione illi obiecta, quod à Deo desereretur, quod exitio deuoueretur, quod Deus illi irascetur, Christum protulisse affirmat. Id solum his verbis Christus dicere & ostendere voluit, humanam suam naturam sibi fuisse derelictam, absque consolatione diuinitatis ei impertita: vt videlicet omnes intelligent quantū in corpore veri doloris & pœnarum pro humano genere perferret. Non timet vllam vel minimam à Deo quoad animæ statum derelictionem, sed negatam præsentibus corporis pœnis consolationem his verbis expressit: idque ideo, vt notum faceret quare oportuerit eum non erui,

Suprà  
ca. 26. 39.  
Ad Lucā  
cap. 22. &  
Ioan. 12.

Cur in  
Cruce  
Christus  
exclama-  
uit.

non



Serm. 17.  
de Pass.

non defendi, sed scilicet manibus derelinqui; hoc est, *Saluatorem mundi fieri & omnium redemptorem non per misericordiam, sed per misericordiam, nec amissione auxilij, sed definitione moriendi*, ait B. Leo. Certum est, multos martyres in medijs pœnis tanta diuinitus consolatione perfusus fuisse, vt illa consolatio omnem prope modum doloris sensum illis eriperet. Noluit hac consolatione frui Christus. Voluit sicuti omnem contumeliam & ignominiam, ita omnem corporis dolorem & cruciatum perpeti, qui in id genus mortis cadere potuit. Vt autem hos dolores verè eum pro nobis pertulisse, & quanti Christo nostra salus cõstiterit, omnes in eum credituri intelligeremus, hanc dolorum suorum acerbiter & negatam interius consolationem his verbis expressit.

Metus derelictionis diuinæ in Christum cadere non potuit.

Quomodo verò cuiquam credibile esse potest, diuinæ maledictionis aut desertionis vel minimam suspicionem in Christum (quum hæc diceret) cadere potuisse, quum non solum antea sponte hostibus occurreret, magna animi securitate eos allocutus fuerit, sua potestate prostrauerit, Petrum passionem eius impedire volentem acriter increpauerit, 12. legiones à Patre se impetrare posse cõfidenter dixerit, accusatoribus & persecutoribus suis venturum se in maiestate pronuntiauerit, stantes mulieres consolatus vltiones futuras prædixerit (*quæ verba testantur*, ait ipse Calvinus, *quum excelsa animi fortitudine præditus fuerit, quia sic loquendo poterat, nisi constanter & intrepidè ad mortem pergeret*) verum etiam eodè ferè temporis momento, & pro crucifigentibus eum Patrem oraret, & latroni paradysum promitteret, & matrem discipulo commendaret, & statim post hæc verba, dicto, *Sitio*, quod etiam mysticè dicebat, & aceto potatus, sciens

sciens quia omnia iam consummata essent, ideòque dicens, *Consummatum est*, Patri commendans spiritum suum, expirauerit? Nonne omnia in Christo quæ hæc eius verba, *Deus, Deus meus*, &c. præcesserunt, ac sequuta sunt, animi sedari, imò animi dicini & Filio Dei digni verba fuerunt? Pro crucifigentibus orare, misericordiam sedatissimè fuit. Latroni paradysum promittere, diuinæ potestatis fuit. Matris curam habere, animi compositi minimèque turbati fuit. Cætera subsequenti verba, *Sitio, Consummatum est, Pater in manus tuas*, &c. quam vel minimam habent timoris, formidinis, aut perturbationis speciem? Ergo morti proximus *inconsideratum verbum protulit, & vox illi desperationis clapsa fuit*? Sic enim ait Calvinus, vt mox videbitur. Nunc id tantum dicimus & vrgemus, nullum iræ diuinæ aut maledictionis metum Christum in his verbis concepsisse. Quod nunc prescius contra nefandam Caluini impietatem, ipso Christo donante, ostendemus.

Si Christus in cruce dicens, *Quare me dereliquisti*, vilam Dei iram, maledictionem, iudicium vel ad momentum timuit; quomodo verum est quod in eius persona & de eius futura passione Scriptura dicit? *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc latatum est cor meum, & exultauit lingua mea: in super & caro mea requiescet in spe, quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Omnia hæc de Christo, eiusque passione, morte, resurrectione dici D. Petrus in Actis nos docuit. **Act. 2.** Si ergo Christus patiens Deum semper in conspectu suo habebat, qui illi à dextris esset ne commoueret; quomodo Dei maledictionem timuit? Dico *si semper*, vt Scriptura dicit. An non aduersa fronte

te cum Scripturis pugnat Calvinus, Christumque Redemptorem nostrum, in quo Patri semper bene complacuit, scdissima & atroci iniuria conspurcat. Quomodo verum esse potest quod Christus dixit, ego precepta Patris mei servavi, & manco in dilectione eius, si (quod Calvinus dicit) iram & maledictionem Dei timent, & vox illi desperationis elapsa est? Si precepta Dei semper servavit, certe iram Dei timere non potuit, nisi etiam Deum quoque iniustum Calvinus fingat, vt Christum desperatione tentatum probet. Rursum si mansit semper Christus in dilectione Patris, quomodo eius maledictionem timere potuit? An forte quem Deus diligit, ei etiam maledicere & irasci potest? Aut qui Deum diligit, eum sibi irascentem & aversum poterit vnquam sentire? Quae magis pugnantia dici aut cogitari possunt? Et tamen aut haec pugnantia dicere, aut cum Scripturis pugnantia docere Calvinum necesse est.

Calvinus vt tantae rei indignitate tamque horrendam in Christum blasphemiam non nihil attenuet, & aliquo modo probabilere reddat, hoc fucovititur. Sciendum, inquit, est, talem fuisse tentationem ex doloris & metus sensu quae cum fide non pugnaret: quia se quasi derelictum a Deo sentiens, ne tantillum quidem deflexit a bonitatis eius fiducia. Et hoc in loco, proposita sibi hac obiectione, absurdum videri Christo elapsam esse desperationis vocem: Solutio (inquit) facilis est, quoniam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stitisse fidem in eius corde, qua Deum presentem intuitus est, de cuius absentia conqueritur. Quare nihil obstat quo minus Dei alienationem mente conceperit Christus, prout sensus dubitabat, & simul fide retinuerit Deum sibi esse propitium. Hanc quoque euasione probare vult ex ipsis illis verbis, ex quibus hunc diuinæ maledictionis metum

metum probare conatur. Quod satis clare patet ex duobus quercimoniam membris. Nam antequam tentationem exprimat, praefatur se ad Deum confugere tanquam Deum suum (dicens, Deus meus, Deus meus) atque hoc clypeo fidei fortiter repellit illam, quae se ex opposito ingerebat, derelictionis speciem. Denique in hoc diro cruciatu illa fuit eius fides, vt se relictum esse deplorans, propinquo tamen Dei auxilio confideret. Haec ille. Sed totus hic fucus totaque euasio quam variè inutilis sit, attendat lector. Primò verba illa, Deus meus, Deus meus, sicuti Calvinum docuerunt, fiduciam Christi (quam ille fidem improprie vocat) sterilem semper illam, ita etiam docere debuerunt, nullam illic fuisse derelictionis diuinæ tentationem, nullam desperationis vocem. An non enim multo facilius est, Christi puritati conuenientius, totam Christi orationem tam breuem, tam succinctam, sibi similem & conformem facere, sanctaeque fiducia quo ad Dei in eum bonitatem plenam, & derelictionem de qua loquitur, ad instantem mortem referre, à qua Christus naturaliter hic abhorrebat, sicut in horto, quàm ad iræ & maledictionis diuinæ metum? Haec enim duo optime consistunt, vt manente fixa & immobili diuinæ bonitatis fiducia, siue Christus siue aliquod membrum eius temporalem mortem naturaliter refugiat, aut aliquod aliud malum poenale. Sed manente bonitatis diuinæ fixa fiducia, vt eiusdem bonitatis metus & diffidentia in aliquo oriatur, etià quouis homine, nedum in Christo, non magis possibile est, quàm vt manente feruido calore aliquis frigeat. Fixae quippe fiduciae (quam in Christo manere Calvinus ponit) non minus repugnat iræ & maledictionis diuinæ metus, quàm feruido calori quodlibet frigus. Maluit tamen Calvinus

Ioan. 15.

Caluini  
effugia  
inani-  
fima.In Matth.  
capo 27.  
ver. 46.

sentum in illis verbis penitus pugnantem statuere, quàm cum omnium fidelium consensu sentum verbis conformem agnoscere.

Deinde non satis est agnoscere in Christo firmam & fixam diuinę bonitatis fiduciam, à qua, vt Calvinus nunc dicit, nec tantillum quidem deflectit, sed etiã talem quę tentari aut commoueri non potuerit. Ait enim disertè de seipso Christus. *A dextris mihi Dominus est, ne commouear.* Nō fuit ergo in eo genere ne tentatus quidem. *Nullam Dei alienationem mente concepit* Christus, vt hęc loquitur Calvinus. Talis quippe alienatio mente concipi sine motu mentis quomodo potuit? At ne commotus quidem fuit, vt Deū à se alienum aliquando cogitaret. Scripturę igitur diuinę manifestè repugnat impium Caluini commentū, sicuti cum seipso pugnare prius docuimus.

Motus  
diffidentie  
in  
Christum  
cadere  
non potuit.

Instit.  
lib. 2. c. 16  
num. 12.  
Heb. 4.

Rom. 8.

Tentationes  
ex carne  
peccati  
in Christo  
nō erant.

Imò ait Calvinus, *Spiritus Dei hæc duo simul conciliat, Christum fuisse tentatum per omnia sicut nos, & tamen absque peccato.* Atqui Scripturam deprauat, & textū corrumpit. Non enim dicit Paulus Christum tentatum per omnia, sicut nos, quasi etiam vitiosos affectus haberet & desideria praua sicut nos, sed Paulus dicit, *pro similitudine* siue iuxta similitudinem, videlicet *carnis peccati*, vt alibi dicit, *Filiū suum mittens in similitudinem carnis peccati*, non autem iuxta similitudinem nostram, vel sicut nos. Quę duo plurimum differunt. Christus enim habuit tentationes quę similitudo carnis peccati proferre potest, sed non quas caro peccati (qualis nostra est) proferre solet. Ideò Paulus adiecit *absque peccato*, id est, absque illis tentationibus quę ex peccato nascuntur. Metus irę diuinę & maledictionis Dei (qualem hęc ponit Calvinus) est tentatio propria carnis peccati, & hominis in peccatis nati, adeò.

adeòque veri peccatoris. Non enim nisi peccatis irascitur Deus, nec iram Dei sic timet iustus. Metus mortis & aliorum pœnalarum cadere potuit in similitudinem carnis peccati, quia sine peccato, naturali tantum voluntate, illa refugiuntur. Sic hic locus adeò Calvinum non iuuat, vt eum perspicue refuter. Ponit enim in Christo tentationes similitudinis carnis peccati, & negat in eod tentationes carnis peccati, quę non sunt nisi ex peccato.

Præterea si in illis verbis in Cruce prolatis; *Quare me dereliquisti, Christus ne tantillum quidem à diuinę bonitatis fiducia deflectit, Christi fiducia in Deum fixa & illæsa permansit, si Deum præsentem intuebatur, & fide semper retinuerit Deum sibi esse propitiū; denique fides Christi minimè fuit concussa, sed suo loco semper inuicta stetit* (quę omnia Calvinus dicit) quomodo vera sunt illa alia portentosa eius verba, Christum diuos in animis cruciatos damnati ac perditii hominis pertulisse, cum inferorum copijs æternęque mortis horrore quasi consertis manibus luctatum fuisse, formidabilem illam abyssum ingressum esse, qua se à Deo derelictum & alienatum sentiret, idque perinde ac si in ipsius perniciem Deus conspirasset: denique sceleratorum penas omnes quę ab illis expetendę erant, persoluisse, hoc vno excepto, quod huiusmodi doloribus teneri non poterat? Quorsum hæc tam tragica verba, si totus ille quem fingit diuinę maledictionis metus & conceptio, sic momentanea imò sic nulla erat, vt fiduciam diuinę bonitatis nunquã amiserit, vt reuera Deū sibi iratū nō timuerit, vt eū semper præsentē, sibi que propitiū, fixa & illæsa fide retinuerit? Quàm sunt hæc secū pugnaria, quàm absurda, quàm ridicula! Sed hæc est consueta & ordinaria Caluini partim impietas, partim impudentia. Vbi summam impietatis,

Instit.  
lib. 2.  
cap. 16.  
num. 10.  
& 11.

Caluini  
ludus.

tem euomuit, eam summa impudentia rursus negat. Denique ubi in Christum Dei ore sacrilego dixit quæcunque scelerato animo collibitum fuit, nunc istis exceptionibus atrocem suam blasphemiam colorare & obscurare nititur. Quod re ipsa perinde est ac si quis ubi narrauisset aliquem esse mentitum, esse calumniatum fratres, infidelem, & blasphemiam euasisse (quibus ut per se malis semel admissis nulla moderatio affectuum medeatur vt non sint peccata) adijcere; sed ita tamen vt ne tantillum quidem à Dei mandatis deflexerit, vt charitas nihilominus & fides, totaque veritas, fixa in eo atque illa sa permanserint: nisi quòd istud tanto sceleratius, & magis ridiculum est, quanto filius Dei homini peccatori præstat.

Sed an ista confitere queant adhuc expendamus magis. Hic enim confictus in Christo animæ cruciatus tantum à Caluino eiusque sectatoribus fit, vt eo præterito, multum ex mortis Christi fructu deperire, imò vt in eo, *Redemptionis nostræ pretium maius atque excellentius esse*, affirmet Caluinus, quàm in morte & sanguine Christi; vt Beza etiam scribat, *in eo positam esse nostræ pacis & cum Deo reconciliationis summam*. Expendamus igitur adhuc nonnihil doctrinæ huius Calvinianæ summam & extremam impietatem. *Christus* (ait Caluinus) *cum æterna mortis horrore confixit: diuos cruciatus damnati & perditum homini sustinuit. Sceleratorum penas omnes persoluit, excepto quòd æterna non erant. Mortem quæ ab irato Deo sceleratis infligitur, persoluit. Examinemus paululum hæc signula. Horror æternæ mortis & pœna hominis damnati, includit essentialiter desperationem salutis, sicut beatitudinis præmium includit certitudinem salutis nunquam amittendæ. Si ergo dånati hominis cruciatus sustinuit Christus,*

Instit. lib.  
2. cap. 16.  
num 8.  
& 10.  
In Anno-  
tat in  
Luc. c. 22.  
ver. 44.

Pœna  
i. eterna  
Christi  
non  
subijc.

flus, profectò non solum desperationis vocem emisit, nec sola species tentationis ei obiecta est quasi Deo auersio iam esset exitio deuotus; sed ipsa desperatione laborauit, & de salute sua, quum in horto & in cruce illa verba diceret, desperauit. Sanè ad illa apud Marcum verba, *Omnia tibi possibilia sunt*, ait Caluinus, *Christum, quia nihil erat spei, vt in rebus deploratis fieri solet, in Dei virtutem se reiecit. Si nihil erat spei in Christo, desperauit igitur. Deinde si sceleratorum penas omnes, excepto quòd æternæ non erant, in anima persoluit, ergo & ignem illum infernalem sensit de quo Christus dixit, *Item maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius*, hoc vno duntaxat excepto, quòd ille ignis Christo æternus non fuit. Hæc est enim propria pœna sceleratorum æterna. Rursum si mortem Christus pertulit quæ ab irato Deo sceleratis infligitur, ergo mortem secundam, quæ proprie stipendium peccati est, propter quod proprie Deus irascitur, pertulit. At illa propria est damnatorum pœna. Omnino (ait Caluinus) talè pertulit, quia in locum illorum tanquam sponsor & vas instar rei submissus est. Quod & hoc loco ait: *Non tantum ocularis fuit redemptio, qua defunctus est Christus, sed vt se vadem pro nobis obtulerat, verè Dei iudicium subire loco nostro voluit. Hæc ille. At vnde hoc tandem, prophandum & inauditum in Ecclesia Dei verbum, accepit Caluinus? Hoc (inquit) significat Propheta in illis verbis: *Disce plina pacis nostræ super eum, percussus est propter scelera nostræ, attritus propter infirmitates nostras*. Atqui hoc rotum de pœnis quas sustinuit Christus in corpore suo super lignum, intellexit semper Ecclesia Dei, An non sic Apostolica Scriptura apertè nos docuit? *Mortuus est* (ait Paulus) *propter delicta nostræ iuxta Scripturas*. An non docet hic locus Scripturas propheticas quæ de Christi pœnis loquuntur, eas**

In Matth.  
cap. 27.

Matth. 25

Instit.  
lib. 2.  
cap. 16.  
num. 10.

Esai. 53.

1. Cor. 15

Christi  
pœnæ  
omnes  
corporeæ.  
In Com.  
ad 1. Cor.  
15. 3.

designare quas per mortem corpoream pertulit? Sanè ipse Calvinus in hunc Pauli locum inter alias Scripturas quæ Christum pro peccatis nostris moriturum prædicunt, etiam hunc Esaiæ locum ponit: móxque addit, *mortem Christi fuisse sacrificium pro expiandis peccatis nostris, fuisse pœnam satisfactoriam per quam Deo reconciliaremur, fuisse vnius damnationem ad impetrandam nobis absolutionem.* Vt quid ergo impius Calvinus tam aduersus Scripturas, quam aduersus se ipsum, nunc morte corporea Christi nihil actum esse affirmat, & Scripturam quæ de morte Christi corporea, & cruciatibus circa illam corporeis aperte loquitur, ad animæ desperatis vel de salute sua dubitantis ac diffidētis, ad damnati hominis pœnas & æternæ mortis horrorem, impie trahit? Nōne Scriptura illa prophetica, vt non nisi de pœnis corporeis sermonem illic fieri intelligeremus, totam illam prophetiam his verbis concludit, *Et liuore eius sanati sumus.* Liuor autem iste quis dubitat quin corporeus fuerit, quem tot flagella, alapæ, spinea corona, crucis baiulatio, ac demum preciosi sanguinis copiosa effusio pepererunt? Deinde nōne D. Petrus quasi hunc Esaiæ locum exponens ostendit percussione illam de qua Prophetam loquitur, ad corpus Christi pertinere? *Peccata (inquit) nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* & paulo post: *Cuius liuore sanati estis.* Quod Esaias dixit, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra,* hoc totum explicauit Petrus in corpore Christi super lignum præstitum fuisse. Vnde & Calvinus ipse in hunc locum Petri fatetur, *ex Esaiæ, qui pluribus vitur loquendi formis, huius doctrinæ summam Petrum sumpsisse.* Et addit Calvinus, tota Esaiæ sententia enumerata, *idem*

Calvinus  
ex se ipso  
refutatur.

exs

*exprimere voluisse Petrum hoc verbo, Super lignum. Nèpe hac lege nos fuisse Deo reconciliatos, quia apud eius tribunal Christus se vadem ac reum pro nobis constituit, vt pœnam solueret cui obstricti eramus.* Hæc ibi Calvinus, suam hoc loco impietatem ore proprio perspicue damnanus. Si enim Christus iuxta Esaiæ sententiam, quam Petrus expressit, constituit se vadem ac reum pro nobis apud tribunal Dei, quatenus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, quæ est sententia Petri, mēdax & blasphemus Calvinus est, qui in eisdem Esaiæ verbis significari affirmat, Christum sic ad tribunal Dei sponsorem ac vadem adeoque *ishtar* cui submissum esse in locum sceleratorum, vt cum inferorum copijs æternæque mortis horrore quasi consertis manibus conflixens, damnati & periti hominis pœnas omnes, excepto quod æternæ esse non poterant, persolueret: idque non iam in corpore super lignum, sed in anima adhuc orans in horto, iram ac maledictionem diuinam timens, & in ipso crucis ligno non tantum in corpore sed etiam in anima formidabilem illam abyssum sentiret, derelictum & alienatam se à Deo esse, idque adeo quasi in eius perniciem Deus conspirasset. Hæc teterima verborum monstra, non solum diuersa sed planè contraria illis sunt quæ Esaiam Prophetam significare Calvinus voluit, si tamē Petro & Pau-

lo plusquam Caluino credimus. Sed si ita singula examinemus, nullus refutandi finis erit. Reliqua vide in parte quadragesimali Promptuarij nostri Catholici, in feria quarta hebdomadæ sanctæ.

(. . .)

(. .)

## IN MATTHÆI CAP. 28.

19. *Euntes ergo docete omnes gentes : docentes eos servate  
re omnia quaecunque mandavi vobis.*

Ecclesie  
Catholicæ  
falsæ cri-  
minatio.

**Q**VVM hæc Christi verba Ecclesie ma-  
gisterium & amplissimam docendi po-  
testatem, cui propterea docenti cæteri  
obedire debeant (vt quid enim docetur quod ne-  
mo audire, cui nemo obedire tenetur?) perspicue  
doceant ; spurius & rebellis Caluinus, pro eo  
quod Matris Ecclesie auctoritatem nõ secus ne-  
cessariam quàm legitimam obseruare & lectori  
cõmendare debuerat, insurgit ipse contra Eccle-  
siam, & petulciscalcibus eã verberans, acerbam  
in illam criminationem instituit. *Hinc (inquit)*  
*discamus Apostolatam non esse inanem honoris titulum, sed*  
*operosum munus ; ideoque nihil magis esse absurdum vel mi-  
nus tolerabile quàm vt sibi laruati homines vsurpent hunc*  
*honorem, qui otiose regnantes docendi munus à se rejiciunt.*  
*A Papa Romano eiusque cohorte superbè successio hæc ias-  
tatur, quasi communem cum Petro & eius collegis personam*  
*sustineant. Interim doctrinæ nihilo maior illis cura est quàm*  
*Lycæis vel Bacchi & Cereris sacerdotibus. Verùm qua*  
*fronte, olsecro, in eorum locum se subrogant, quos audiunt*  
*creatos fuisse Euangelij præcones ? Sed quamuis eos non pue-  
deat impudentiam suam prodere, tamen apud omnes sani iu-  
dicii lectores hoc vno verbo validè prosternitur futilis eorum*  
*hinc archia, quod nullus Apostolorum successor esse potest nisi*  
*gratiam in Euangelij prædicatione operã Christo impendit:*  
*Denique quisquis doctoris partes non implet, perperam no-  
men Apostoli mentitur. Ino hoc noui testamenti sacerdo-  
tium est spirituali verbi gladio homines in sacrificium Deo*  
*mactare. Vnde sequitur, de genere esse & communitatis om-  
nes*

*nes sacrificios, qui non sunt ad docendi officium intenti.*  
Huic Caluini declamationi alia respondebitur,  
sed magis sobria ac solida.

Docendi munus Apostolis & eorum successio-  
ribus à Christo commissum est cum plena pote-  
state docendi *seruare omnia quaecunque mandauit illis*  
Christus. *Hinc discamus Apostolorum, Doctorum &*  
*Pastorum in Ecclesia munus non esse inanem honoris*  
*titulum, sed auctoritate plenū, & eximia potesta-*  
*te præditum: ideoque nihil magis esse absurdum vel minus*  
*tolerabile, quàm vt sibi laruati homines vsurpent hunc hono-*  
*rem, qui non vocati à Deo sicut Aaron, nec per impo-*  
*sitionem manuum presbyterij ad hoc munus segregati,*  
*cucurrerunt, & nemo mittebat eos. A Caluino eiusque*  
*cohorte superbè & impiè hoc docendi in Ecclesia*  
*munus arrogatur, quasi communem cum Petro & eius*  
*collegis personam sustineant. Interim sanæ doctrinæ nihilo*  
*maior illis cura est, quàm Mahometanis aut Iudæis,*  
*aut quibusuis veteribus hæreticis, dum diuinas*  
*Scripturas aut nefariè deprauant, aut pestilenter*  
*corrumpunt, aut sacrilegè mutilant & detrucant,*  
*Verùm qua fronte, olsecro, in eorum locum se subrogant,*  
*quos audiunt fuisse: Euangelij præcones, aut ab ipso Chri-*  
*sto designatos, aut per impositionem manuum presbyterij*  
*postea legitime ordinatos? quos audiunt accepisse*  
*à Christo potestatem faciendi quod ipse fecit in vltima*  
*cæna, offerendi corpus & sanguinem eius in mor-*  
*tis ipsius perpetuam commemorationem? quos*  
*audiunt accepisse à Christo potestatem sic soluendi*  
*& ligandi peccata in terris, vt eadem soluantur aut ligentur*  
*in cælis? Sed quamuis eos non pudeat impudentiam suam*  
*prodere, & maxime hoc loco Caluinum, tamen apud*  
*omnes sani iudicii lectores hoc vno verbo validè prosternitur*  
*futilis eorum ministerium, quod nullus Apostolorum*  
*successor esse potest, nullus in Ecclesia Dei verbi mi-*

Contra  
Ministros  
Calui-  
nianos.

Heb. 5.  
1. Tim. 2.  
Act. 13.

Matth. 26.

Ioan. 20.

nisterio fungi debet, nisi qui suam in Euangelij prædicatione legitimam vocationem & χειροτονίαν ostendit; nisi qui vt id faciat quod Christus in Cena fecit, sacerdotalem ordinem suscepit; nisi qui potestatem remittendi & ligandi peccata similiter initiatus adeptus est. Denique quisquis has omnes partes non implet, perperam vel Apostoli vel Pastoris vel Ministri nomen mentitur. Imò hoc noui Testamenti sacerdotium est, vbi noui Testamenti nouam oblationem Christus docuit (ait antiquissimus Irenæus) quam Eccl. sua ab Apostolis accipiens per vniuersum mundum offert Deo: hoc noui Testamenti sacerdotiū est, quòd quum veteribus sacerdotibus concessum esset corporis lepram non purgare, sed purgationem probare, nostris sacerdotibus datum est, non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus: quæ verba Chrysostomi sunt. Vnde sequitur, nõ degeneres modò & commensuratio, sed impios præterea ac profanos omnes esse sectæ Calvinicæ Ministros, qui nec ad docendi officium legitimè vnquã vocati & ordinati fuere, nec ea quæ docendi officio coniuncta & propriè sacerdotalia sunt, ad præconis Euangelici munus quicquam pertinere censent. Hæc nostra est Calvinianæ declamationi respondens, & eisdem vestigijs insistens, ac demum in Scripturis & Patribus fundata declamatio. Quod autè de neglecto passim docedi officio garrat Calvinus, nec ille totum orbè terrarum, per quem Ecclesia Catholica & Romana diffunditur, percurrit, vt tantæ negligentię testis esse possit, nec si omnia oculis perlustrasset, tã mēdaci heretico, & accusati matrē spurio vlla fides adhibenda esset. Res autē ipsa & populorū credentiū fides, quæ absq; doctoribus doctis nullam esse potuit, (fides enim ex auditu) luculenti & improbi mendacij Calvinū conuincit.

20. Bapti-

20. Baptizantes eos in nomine Patris &amp; Filij &amp; Spiritus Sancti.

**D** I V I N V M hoc & omnibus credentibus necessarium Sacramentum à Christo Redemptore his verbis institutum suo profano glossemate deprauat insigniter hoc loco Calvinus; & diuinæ Scripturæ aperta doctrina penitus neglecta, sua lectori commēta & figmenta propria obrudit. Baptizari (inquit) iubet Christus qui nomen Euangelio dederint, seque professi fuerint discipulos: partim vt illis baptismus vitæ æternæ sit tessera coram Deo, partim apud homines externum fidei signum. Scimus enim Deū nobis testari adoptionis suæ gratiā hoc signo: quia nos inserit in corpus filij sui, vt nos in grege suo censet. Ideo & spirituale nostrum lauacrum quo nos sibi reconciliat, & nouam iustitiā, illic representantur. Sed quemadmodum gratiam suam Deus hoc sigillo nobis confirmat, ita quicumque se ad baptismum offerunt, vicissim quasi data syngrapha obstringunt suam fidem. Tota hæc Calvinii oratio nihil quàm prophana vocum nouitas est, quam nec diuina Scriptura tradit, nec Ecclesia maiorum docuit. Vult baptismū esse tesseram vitæ æternæ. Hanc tesseram nulla Scriptura nominat. Vult adoptionis gratiam hoc signo Deum testari. Hæc testificatio in Scripturis non legitur. Vult spirituale nostrum lauacrum & nouam iustitiā in baptismo representari. Hanc representationem nusquā Scriptura loquitur. Vult denique Deum hoc sigillo suam gratiam nobis confirmare. Hoc sigillum gratiæ in Scripturis nõ apparet. Omnia hæc cerebri Calviniani & scholæ Geneuenis placita ac figmēta propria sunt. Nos verò diuinis Scripturis in hærentes didicimus, dicimus, & credimus, baptizari omnes qui nomē Euāgelio

Commēta Calviniana circa Baptisimum.

Lib. 4. cap. 31.

Lib. 3. de sacerdotio,

Baptismi  
verus  
vſus, &  
efficacia  
vera.  
Act. 2.  
Act. 22.

Ephes. 5.

Tit. 2.

Ezech. 21

Rom. 3.

1. Pet. 3.

gelio dederunt, vt remiſſionem peccatorū conſe-  
quantur. Sic Petrus in primo credentiū baptiſmo.  
*Baptizetur vnusquisque vſtrum in remiſſionem peccato-  
rum.* Sic Ananias Paulo. *Exurge, baptizare, & ablue  
peccata tua inuocato nomine Ieſu.* Rurſum didiciamus in  
diuinis Scripturis, & credimus, baptiſmum non  
ſignum aut teſſeram, aut teſtificationē aut ſigil-  
lum gratiæ vel adoptionis noſtræ eſſe, ſed veram  
cauſam, mediū, & inſtrumentum. *Mundauit Ecce-  
ſiam ſua lauacro aque in verbo vitæ.* Eſt propoſitio cau-  
ſalis, ſiue quæ mundationis cauſam & inſtrumen-  
tum deſignat, ſicut qui diceret, *Mundauit corpus  
ſuum lauacro aquæ in Iordane.* Rurſum, *Saluos nos  
fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.*  
id eſt, per baptiſmum regenerantem & renouan-  
tem, iuxta perpetuam phraſim Hebraicam. *Virga  
directionis,* id eſt, dirigens; *gladius occiſionis,* & *dies  
occiſionis,* id eſt, gladius occidens, & dies occidens;  
*dies vltionis,* id eſt, vlcifcens, & innumera talia. Di-  
cit ergo Apoſtoloſ nos ſaluos fieri per baptiſmū  
regenerantē. Ipſe ergo regenerat, ſed vt cauſa me-  
dia & inſtrumentalis per quam regeneramur. Di-  
cente alibi Apoſtolo, *Arbitramur hominem iuſtificari  
per fidem,* rapiunt hoc libentiſſimè hæretici, vt fidē  
verā eſſe iuſtificationis noſtræ cauſam, mediū, &  
inſtrumentū doceant. Cur igitur eidem Apoſtolo  
dicenti, *Saluos fecit per baptiſmum,* ſimiliter non cre-  
dunt baptiſmū ſalutis noſtræ cauſam quandā, me-  
diū, & inſtrumentū eſſe? Rurſum ait Petrus: *Si-  
milis formæ baptiſmus ſaluos nos fecit.* Cur hic effectum  
baptiſmi non agnoſcunt, & ſalutis cauſam certo  
modo effectricem baptiſmum eſſe non aduer-  
tunt; ſicut quum aliæ Scripturæ dicunt, *fides iu-  
ſtificat,* effectū fidei obuijs vlnis amplectuntur, &  
iuſtificationis cauſam certo modo effectricē fidē  
eſſe,

eſſe, auidiſſimis animis auſcultat? An vt fanā do-  
ctrinā admittēt, fidē iuſtificationis noſtræ non niſi  
teſſeram, ſignum, repræſentationem, ſigillū eſſe?  
An huiusmodi doctrinam vt diuinis Scripturis  
contrariam non toto pectore execrabūtur? Cur  
igitur in diuinis Scripturis de baptiſmo nō ſecus  
loquentibus, eadē ſinceritate & promptitudine  
non acquieſcunt? Cur relicta propria, aperta, &  
ſæpius repetita diuinæ Scripturæ doctrina, pro-  
pria ſua ſigmenta orbi obrudunt? Planum eſt,  
Caluinum eiuſque cohortem non Scripturas ip-  
ſas venerari, attendere, aut humiliter auſcultare,  
ſed ſui tantūm cerebri ſigmenta, ſuæ ſcholæ pla-  
cita, veluti idola quædam ab ipſismet fabricata  
venerari, complecti, & colere. Porro ſigillū hoc  
totum & teſſera Caluiniana quàm ridiculum &  
abſurdum ſigmentum ſit, in epiſt. ad Rom. alia  
data occasione demonſtrauimus.

In cap. 4o  
ver. 11.

Sed non eſt hæc ſola hoc loco Caluini demen-  
tia. Aliquid habet quod in Catholica Eccleſia hīc  
etiam arrodar. Id quale ſit, paucis quoq; ex-  
pendemus. Porro (inquit) *quum Apoſtoliſ diſcretē vnā cum  
predicatione Euangeliſ mandate ſint iſtæ partes, ſequitur  
non alioſ baptiſmi legitimos eſſe miniſtros niſi qui ſdem  
ſimul doctrinam miniſtrāt. Quòd ergo priuatis hominibus,  
imò feminis permiſſa ſuit baptizandi licentia, quia Chriſti  
inſtitutioni minimè conſentaneum eſt, nihil aliud fuit quàm  
mera profanatio. Adde quum doctrina prior datur locus,  
doctrinae virtute fieri vt ſigna nouā naturam induant, ſicut  
externa carnis lotio ſpirituale regenerationis pignus eſt. In-  
cipit præeunte Euangeliſ doctrina. Atque hæc eſt genuina  
conſecratio, in cuius locū magicoſ exorcifmos Papatuſ nobis  
inuexit. Ideoque apud Marcum dicitur, *Qui crediderit &  
baptizatus fuerit, quibus verbis non modo à ſpe ſalutis ex-  
cludit Chriſtuſ hypocritas, qui fide vacui externo tantum  
ſigno**



Baptis-  
mus laico-  
rum in  
casu ne-  
cessitatis  
defendi-  
tur.

Instituz.  
lib. 4.  
cap. 16.  
num. 28.

Caluinus  
ex scripto  
refutatur.

signo inflati sunt, sed sacro vinculo doctrinæ baptismum copulat, vt hoc nihil aliud sit quam illius accessio. Hæc ille. Totius Ecclesiæ consuetudinem, qua propter huius sacramenti summam in paruulis necessitatem, feminæ & obstetrices periclitante de vita paruulo baptizare permittuntur, homo carpenti auidus carpit, & veluti meram sacramenti profanationem damnat. Cur id verò? Quia (inquit) Christi institutioni minimè consentaneum hoc est. At quare institutioni Christi hoc repugnat? An Apostolis dictum est, vt illi soli aut eorū successores baptizarent? Plane, ait Caluinus. Quum enim Apostolis vna cum prædicatione Euangelij mandata sint hæc partes baptizandi, sequitur non alios esse legitimos baptismi ministros nisi qui eadem simul doctrinam ministrant. At hæc consequentia quam multis modis infirma sit, etiã quouis Caluinista iudice, statim apparebit. Primum enim ipsius Caluini doctrina est, vt paruulorum baptismum contra Anabaptistas tueatur, hoc Christi mandatū, *Docete baptizantes*, ad solos adultos baptizandos pertinere, non ad paruulos. Sic enim alibi scribit: *Apostolos mittit Christus ad Euangelium vniuersis orbis nationibus promulgandum, vt vndique in regnum suum perditos homines doctrina salutis colligat. Quos autem illos aut quales? Certum, nullam nisi de ijs qui doctrinæ recipiendæ pares sint esse mentionem. Postea adiungit, tales, vbi instituti fuerint, esse baptizandos. An de infantibus toto illo sermone vna est syllaba?* Hæc ibi ille. Si ergo de infantibus baptizandis Christus hic non loquitur, qui doctrinæ Euangelicæ recipiendæ pares non sunt; quomodo ex Euangelicæ huius prædicationis necessitate probat Caluinus, eos solos esse baptismi legitimos ministros, qui pariter cum baptismo doctrinam ministrant? Ecce paruulis baptizandis non est necessaria,

imò

imò superuacanea prorsus est Euangelicæ doctrinæ prædicatio. Non ergo illa cogit eum qui paruulū baptizat, verbi ministrū esse. Non, inquam, verbi minister hic necessariò postulatur, vbi verbi ministerio opus nō est. Quòd paruuli ab alijs quàm verbi ministris urgente necessitate baptizantur, contra Christi institutionem de Euangelica doctrina baptismò adiungenda nihil facit, quia in paruulorū baptismò hæc doctrina Euangelica non requiritur. Ibi est necessarius verbi minister legimus, vbi verbi ministeriū necessario adhibendum. In paruulis baptizandis verbi ministerium necessariū non est. Nec ergo verbi minister. Denique de paruulis hic nulla fit mentio aut syllaba, ait Caluinus. Ergo hæc institutionis forma. *Docete baptizantes*, ad paruulos non pertinet. Si ad paruulos hæc forma non pertinet, quare in feminis ex necessitate paruulos baptizantibus hæc forma desideratur? quare contra illas profertur? Prorsus haud secus paruulorū baptismum hæc Caluini cauillatio in vniuersum aboleret, veluti meram profanationē & institutioni Christi repugnantē (quod Anabaptistæ volunt) quàm paruulorū in casu necessitatis à feminis administratū baptismū ex ea abolere Caluinus conatur. Deinde si propter hæc Christi verba, *Docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. & propter alia Christi verba, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. sacro doctrinæ vinculo baptismus copulatur*, idque adeò vt doctrinæ virtute signa nouam naturam induant, ipseque baptismus pignus regenerationis nostræ esse incipiat præcunte Euangelio (quæ omnia hic Caluinus dicit) quomodo in vniuersum baptizantur paruuli, quorum hic nulla fit mentio, de quibus Christus hic non loquitur, sed de solis adultis,

Paruulo-  
rum bap-  
tismus  
iuxta  
Caluinū  
abolen-  
dus.

adultis, qui recipiendæ doctrinæ pares sunt, ut idē Calvinus affirmat? In illorum baptismo hoc doctrinæ vinculū locū non habet, quia ei recipiendæ pares non sunt. In illorū baptismo signa nullam nouam naturam induunt, quia doctrinæ virtus illic non adhibetur. Denique in illorū baptismo nullum erit regenerationis pignus, quia nisi præeunte Euangelio (quod hīc omittitur,) tale pignus esse non incipit. Ita rursus non aduertit cæcus hæreticus quod aduersus Ecclesiasticam consuetudinem dum oblatrat, Anabaptistarum causam fortiter agit.

Occurrit quidem hoc loco huic malo Calvinus, sed ita miserè ac stolidè, ut Anabaptistæ ferociam magis accendat. Summa responsionis hæc est: *In paruulis baptizandis non separari baptismum à fide vel doctrina, quia licet pueri infantes nondū per etatem fide percipiant Dei gratiam, Deus tamen eorum parentes cōpellans ipsos etiam complectitur, dicente Deo ad Abraham, Ego ero Deus tuus, & semini tuo post te. Ne ego igitur temere baptismum infantibus conferri, ad quem Dominus eos inuitat dum se illis promittit fore in Deum.* Misera, inquam, ac stolidi hæc Calvinus defensio est, hoc maximè in loco. Nam ut demus Caluino paruulos ex illa Dei promissione ad Abraham facta pertinere ad fœdus, & esse salutis participes (quod esse absurdissimum mox docebitur) quomodo tamen absq; fide & doctrina Euangelica baptizari possunt, si fides & doctrina à baptismo separari non possunt? An quia pertinent ad fœdus Christianorū parentum infantes, idcirco in illis baptizandis institutio Christi violari potest? Aut enim ad huius Sacramenti institutionem ipsa doctrina Euangelica pertinet, ut absque illa propter sacrum doctrinæ vinculum baptismus non

Gen. 17.

Paruulorum baptismus miserè à Caluino defensio.

non subsistat, nec signa nouā naturam induant, nec esse pignus regenerationis baptismus possit nisi præeunte Euangelio; aut ad eius institutionem doctrina non pertinet, nec alia quæ adiunxit Calvinus vera sunt. Si illa omnia vera sunt, ergo paruulorum baptismus in vniuersum, (non solum quem feminæ in casu necessitatis ministrat) profanus & impius est, qui nec fidem habent, nec doctrinæ recipiendæ pares sunt, idcirco nec sacro illo vinculo gaudere, nec pignus regenerationis suæ præeunte Euangelio habere possunt: in quorum denique baptismo signa nouam naturam nō induunt, sed aqua baptismi qua abluuntur, tota profana & vulgaris est. Manent, inquam, hæc omnia iuxta Calvinus doctrinam absurda in paruulorum quocunque baptismo, tamen verum esset illos iam ad Dei fœdus pertinere, quia eorum parentes ad Dei fœdus pertinent.

Nunc autem alia hæc est & singularis Calvinus dementia, quod Christianorum parentum filij ad fœdus Dei pertinent, & de salute sua certi sunt etiam absque baptismo, propter illa Dei verba ad Abraham, *Ego ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te.* quæ hoc loco pluribus refutare ad causam presentem nō facit. Breuiter tamē tam impiæ & profanæ sententiæ tam futile fundamentū (quo semper magna confidentia & veluti fortissimo principio nititur Calvinus) refutabo. Primum verba illa ad Abraham dicta ad solius veteris populi fœdus pertinent: quod manifestè probatur ex pacto fœderis reciproco quod ibidē Deus ab Abraham & semine eius exegit. Quum enim dixisset Deus, *Statuam pactum meū inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis*

Christianorum parentum filij non baptizati ad fœdus Dei non pertinent. Gen. 17.

Fundamentum Calvinianum refutatur. Gen. 17.

E e minis

minis tui post te, dixit iterum Deus ad Abraham, Et tu ergo custodias pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Pactum reciprocum est circumcisio. Ad solos ergo circumcisos hoc pactum pertinet. Confirmatur hoc ex promissione huic fœderi adiuncta. Quum enim dixisset Deus, Ero Deus tuus, & seminis tui post te; subiunxit, Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. Ecce promissio fœderi adiuncta, iuxta quã Deus futurus erat seminis Abraham, tota temporalis erat, & quæ ad solos Iudæos pertinebat. Deinde vt demus in hac promissione terrena spirituale significari, & Deum Abraham ac seminis eius post eum, salutis æternæ fœdus innuere, cuius signum esset circumcisio; an non necessario sequitur Deum Christianorum parentum sic Deum illorum esse & seminis ipsorum, vt huius promissionis ac fœderis signum nunc sit baptismus, sicut Iudæis erat circumcisio? Id si ita est, non secus erit nunc necessarius baptismus quã tunc erat circumcisio. Et quemadmodum de illa dictum est, *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo;* sic de baptismo necessario dicendū: Parvulus qui baptizatus non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quomodo- docunquet tandem illa verba intelligantur. Atqui Calvinus necessitatem baptismi in parvulis Christianorum parentum propter hanc promissionem Abraham factam negat; & propter hanc negatam necessitatem, baptismum feminarum in casu necessitatis exagitat. De quo apud Marcum plura dicemus. Interim hoc contra Calvinum tenemus, nõ obstante confecto fœdere inter Deum

7a Marc.  
cap. 16.

&

& parvulos non baptizatos, quia Deus parentum illorum est, baptismum tamen non secus nunc necessarium esse quã fuit Iudæis circumcisio. Rursum non propter illa verba, *Deus tuus ero, & seminis tui post te;* omnes circumcisi vel de carnali semine Abraham ad hoc fœdus diuinum pertinebāt. *Non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, estimantur in semine.* Filij autem promissionis sunt soli credentes. *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham.* Nec ergo Iudæorum nec Christianorum parentum filijs secundum carnem, Deus fœdere coniungitur, nisi ijs qui fidem habent, aut saltem sacramentum fidei, olim circumcisionem, nunc baptismum. Deinde si parvulis Christianorum parentum nõ est necessarius baptismus, quia pertinent ad fœdus cum parentibus initum, & ab hoc fœdere pendere eorum salus, ergo nec eisdem adultis necessaria erit ipsa fides, vel vlla doctrina Evangelica. Si enim ratio fœderis liberat parvulos à necessitate baptismi, cur non eadem ratio liberet adultos à necessitate fidei? Planè eodem modo dictum est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum celorum;* quo dictum est, *Qui non crediderit, condemnabitur.*

Rom. 9.

Gal. 3.

Ioan. 3.

Mar. 16.

Præterea vt ex ipsius verbis Calvinum refutemus, ad illa Christi verba, *Si filij Abraham estis, opera Abraham facite;* ita scribit Calvinus: *Quum Dominus Abraham semini pollicitus esset se fore in Deum, increduli omnes hac promissione abiecta se abdicabant ex genere Abraham. Negat igitur Christus reputandos esse filios Abraham qui oblatam sibi in verbo benedictionem abijciunt, quia Spiritu renasci oportet qui sunt filij promissionis, & novas esse creaturas quicunque locum appetunt in regno Dei. Residet enim Dei electio in semine Abraham, sed libera, vt heredes vite reputentur quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Hæc ille ibi.

In Com-  
ment in  
Ioan. 3.  
39.

Calvinus  
ex seipso  
refutatur.

Ee 2

Seip.

Seipsum egregie refuravit. Promissio & electio Dei in semine Abraham non est absoluta, vt nasci paruulum ex parente fidei & fœderis que participe, promissionis capacem reddat, *sed est in Deo libera, vt hæredes vitæ reputentur quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Eodem modo in paruulis est libera Dei electio, vt hæredes vitæ reputentur quos ille Spiritu suo sanctificauit, quos in aqua & Spiritu regenerauit, quos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti saluos fecit, qui denique in Christo baptizati Christum induerunt. An ab ista conditione omnibus filiis Dei necessaria paruuli excipiuntur? An in illis solis Dei electio libera non est? An conditionem fœderis à Deo præstitam vllum humanum ingenium laxare audebit? Sapienter & grauius Augustinus. *Nulla ex nostro arbitrio præter baptismum Christi salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina omnibus humanis præferenda ingenijs.* At hoc audeat Calvinus superbo suo confusus ingenio.

De pecc.  
mer. &  
remiss.  
lib. 1. c. 23

Calvinus  
Apostolo  
contradi-  
cit.

Gal. 3. 29.

27.

Sed homo impius & audax, vide quàm ex diametro contra Apostolum disputat. Calvinus ita disputat: Paruuli Christianorum parentum sunt semen Abraham: ergo sunt Christi & ad Christum pertinet sine baptismo. Apostolus contra disputat: *Si vos Christi, ergo semen Abraham estis secundum promissionem hæredes.* Vult prius esse Christi, & sic semen Abraham; non prius semen Abraham, & ita Christi. Esse autem illos Christi, probauit eodem loco ex baptismo Christi: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.* Sic ergo Apostolus disputat. In baptismo Christum induistis, Christum induti semen Abraham estis. Ita fœderis cum Deo principium ac ianua est in baptismo Christum induere & Christi esse, non ex Christiano parente nasci.

Hæc

Hæc obiter contra impium Caluini dogma, quo baptismi necessitatem tollit, & paruulorum salutem in maximum discrimen vocat.

Nunc vt ad rem præsentem redeamus, si propter hæc Christi verba, *Docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c. doctrina Euangelica debet semper esse cum baptismo coniuncta, vicissim quoque baptismus semper debet esse cum doctrina coniunctus, vt videlicet docendum non sit nisi quum baptismus administratur. Imò magis baptismum doctrinæ quàm doctrinam baptismi Christi verba coniungunt, quum non sit dictum, *Baptizate docentes,* sed contra, *Docete baptizantes.* Quum Scriptura dicit, *Fuit Ioannes in deserto baptizans,* & *predicans baptismum penitentiae,* non docet eum in deserto semper baptizasse, aut nunquam in deserto fuisse nisi dum baptizaret; sed docet eum quum illic perpetuo versaretur, aliquando baptizasse. Sic hæc Christi verba, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c. nihil aliud nos docent, quàm prius esse docendas gentes, & in fide instruendas; iamque satis instructas esse baptizandas. Nec docent doctrinam cum baptismo coniungi debere; sed eam in adultis necessariò præcedere, vt viam ac medium ac terminum ac finem reconciliationis primæ cum Deo, siue regenerationis infidelium: nec baptismum alligant doctrinam, vt extra baptizandi casum docere non sit opus. Tanquam diuersa diuersis & suis quæque temporibus faciendâ à Christo mandantur. Hunc literæ geminum & apertum sensum nemo nisi factiosus non videt.

Iam verò si non nisi cum doctrinâ Euangelica adiuncta rectè administratur baptismus, Calvinus ipse in Ecclesia Catholica paruulus bapti-

Mar. x.  
Doctrina  
præcedit  
baptis-  
mum, nõ  
cum ea  
coniun-  
gitur.

zatus, quæ doctrinam Euangelicam non adiungit, quomodo baptizatus fuit? Si nõ rectè, rebaptizari debuit & ad Anabaptistas transire. Si rectè, falsò & ineptè hic cauillatur de sacro doctrinæ vinculo.

Sed & rursus, si non nisi à legitimis Ecclesiæ ministris administrari baptismus potest, Caluinus ab Ecclesiæ Romanæ ministro baptizatus, aut Ecclesiam Romanam verà esse Christi Ecclesiam, & ex consequenti ab eâ recedens suū nefarium schisma agnoscere, aut iterum se minime baptizarum fuisse fateri debet. Ita vndique Caluini stolidi & infulsi tergiversatio retunditur. De hoc autem postremo vide quæ latius olim à nobis disputata sunt in Opere nostro de Principijs fidei doctrinalibus.

Lib. 4.  
cap. 23.

21. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.*

Christus  
perpetuò  
cum Ec-  
clesia.  
Ioan. 17.

**L**VCVLENTA hæc est Christi Redemptoris promissio, fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Reversurus ex hoc mundo ad patrem, suisque Apostolis suas partes resignans, mittens eos in mundum, sicut ipse à Patre missus fuerat, mandans illis vt docerent omnes gentes, vt Euangelium omni creature prædicarent, vt baptizarent credentes, vt sua illis tradita mandata alijs traderent, & præfatus omnem sibi in celo & in terra potestatem datam, ne de tanto illis mandato munere vel illi vel eorum futuri successores quicquam trepidaret, quæsiue deinceps absente magistro cælesti, præsidio quoque cælesti destituti viderentur, ad certam ac firmam fidu-

duciam eorum animos erigit, dicens: *Ecce, aduertite, & in his hoc cordibus reponite; Ego ipse qui hæcenus vos docui semper, vobiscum sum, vobis docentibus, prædicantibus, mea sacramenta administrantibus adsum & adero semper, omnibus diebus, absque vlllo temporis interuallo, absque vlla eclipsi vel defectu assistentiæ cælestis, vsque ad consummationem seculi, non vsque ad centum, ducentos, trecentos annos, vt vera Euangelij mei prædicatio postea extingatur aut obliteretur, sed tot annis ac seculis, quot seculum stabit ipsum.*

Frendit ad hæc Christi verba Caluinus, nec temperare sibi potuit, quin animi sui vlcus aperiret, & frustra contra stimulum calcitraret. *Non est* (inquit) *ferenda cleri Papalis improbitas, dum sacrilegæ suæ tyrannidi hunc colorem inducunt. Neque errare Ecclesiam posse quæ à Christo regitur.* Prorsus hoc negant, Christi verbis ac promissione tam luculenta & perspicua freti: nec sacrilegæ tyrannidi suæ hunc colorem inducunt, sed pro necessaria Christianorum obedientia, hanc certam & firmam causam adducunt, Pastoribus Ecclesiæ docentibus Euangelium obediendum esse, quia cum docentibus Pastoribus Christus ipse adest omnibus diebus, nec eos in doctrina errare sinet. Quæ igitur hæc improbitas est, Christi verba luculentissima, ac promissionem perspicuam pro Sanctæ Ecclesiæ firmitate proferre? Aut quam demum ob causam improbitatis eos arguit Caluinus qui ex his verbis negant Ecclesiam posse errare? An aliquid adferre Caluinus potest, cur improbitatis argui debeât? Videamus quid possit tam acerbam criminationem in medium adfert, aut qua demum arte Christi tam clara verba eludere queat. *Quasi verò* (inquit) *Christus non secus ac gregarius quispiam miles*

Ecclesiæ  
firmitas  
defendi-  
tur.

Verborū  
fumus.

alijs ducibus mercenariam operam locavit: ac non potius auctoritatem sibi in solidum retinens, se doctrinæ suæ vindicem fore testatus sit, ut se eius ministri victores totius mundi fore confidant. In hoc verborum fumo quid succi, quid ponderis aut rationis est? Inani vœcum strepitu lectorem ludificat, Quid enim? An qui Ecclesiam errare posse negant quia à Christo regitur, illi Christum pro gregario milite habent, qui suam operam alijs ducibus locavit? Quæ huius inanissimi garritus connexio, quæ consequentia? An non profus contraria sequitur consideratio? Christum videlicet veluti Ducem primarium aut Principem potius & Imperatorem militiæ nostræ, suas vires alijs sub se ducibus ac militibus demandasse? Idcirco enim Ecclesia non errat quia à Christo regitur, quia Duce & Imperatore Christo Ecclesia militat. An igitur huic cavillo vllus hic locus erat? Planè nullus, nisi quòd in re gravissima ludere lectorem voluit. Rursum qui Ecclesiam errare posse negant quia à Christo regitur, an illi Christum sua auctoritate spoliant, ut ipse eam sibi solidè non retineat? At quæ maior Christo auctoritas tribui potest, quam ut dicamus Ecclesiam universam à Christo regi, ideòque illam errare non posse?

Sed quid tandem post hæc inanissima cavilla Christo tribuendum censet Calvinus, dicenti, *Ece ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi?* Se (inquit) doctrinæ suæ vindicem fore testatus est, ut se eius ministri victores totius mundi fore confidant. Quamvis Christus in his verbis se potius doctrinæ suæ custodem quam vindicem pronuntiet, & adesse Ecclesiæ suæ, patrocinium, presidium, assistentiam & auxilium gratiæ magis propriè notet, quam vindicationem violentam ad-

adversus Ecclesiæ suæ hostes; tamen quia penè in idem vtrunque recidit, & doctrinæ vindicem etiam doctrinæ custos ac conservator dici potest, transeat illa pars, & quo sensu doctrinæ suæ vindicem Christus se fore in his verbis iuxta Calvinum testetur, videamus. *Ut se (inquit) eius ministri victores totius mundi fore confidant.* Rectè. At quomodo tandem victores totius mundi erunt, nisi quia ad obedientiam fidei totum mundum pertrahent? De quo genere Paulus Apostolus: *Accepimus gratiam Rom. 1. & Apostolatam ad obediendum fidei, vel, ut Calvinus ac Beza verti volunt, ad obedientiam fidei, in omnibus gentibus, pro nomine eius: id est, ad gloriam nominis Christi.* Hæc autem victoria mundi quoad verbi Dei ministros, Pastores & Doctores, & hæc obedientia fidei populorum, quo tandem modo perpetua & firma erit, nisi quia nec Pastores docendo, nec populus obediendo à veritate cælestis doctrinæ aberrabunt, Christo duce ac magistro illis semper præsentè, & Ecclesiam suam regente omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi? An ergo in effectu aliud dicit Calvinus quam clerus dicit Catholicus? Videlicet Ecclesia errare non posse quæ à Christo regitur? Quòd si idem cum Catholico clero dicit, quare improbitatis non ferendæ homo improbus clerum Catholicum arguit? Quare negat ipse posse errare Ecclesiam, & alios hoc negares redarguit? Quòd si idem Calvinus non dixit, sed nescio quid aliud dicere voluit, profectò tum verborum Christi sentum prorsus deseruit, tum in suis verbis non nisi fucum & fraudem lectori facere voluit, quæ aliud in cortice, aliud in recessu habent; aliud loquuntur, & aliud sentiunt. Vtrumvis eligat Calvinus, vel improbitatis manifestæ vel frau-

442 ANTID. EVAN. IN MATTH. CAP. 28.  
dis affectatæ conuincitur. Manet interea firmum  
iuxta luculentissima Christi verba, *Ecclesiam errare  
non posse*, idéoque grauius errare ac nefario sce-  
lere se obstringere omnes, Caluinum imprimis  
cum suis Caluinistis, qui & tot sæculis errasse  
Christi Ecclesiam contra Christum blasphemât,  
& ab ea veluti fœdis erroribus contaminata im-  
piè recesserunt.

Antidotorum contra venena  
hæretica in Euangelium  
secundum Matthæum  
FINIS.



ANTIDOTA  
EVANGELICA IN EVAN-

GELIUM SECUNDUM MARCVM.

Marci Cap. I.

4. *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans bap-  
tismum penitentiæ in remissionem peccatorum.*

**N**OVELLA & profana, Chri-  
stique Ecclesie hæctenus inco-  
gnita hæreticorum hodie sen-  
tentia est, Sacramenta verbo  
prædicationis sic esse cõiuncta,  
vt nec absque eo administrari  
debeant, & ab eo omnem suam  
vim atque efficaciam accipiant. Id quum nusquam  
vel Ecclesia tradat, vel Scriptura doceat, ex huius  
loci corruptela probare contendunt. Sic igitur  
in hæc verba Caluinus. *Hæc loquendi forma (Prædi-  
cans baptismum penitentiæ) primum in genere ostendit  
quisnam rectus Sacramentorum usus: deinde quorsum sit in-  
stitutus baptismus, & quid contineat. Sacramentum igitur  
non est muta ceremonia, quæ pompâ nescio quam sine doctri-  
na ostendet, sed habet verbum Dei annexum, quod externam  
ipsam ceremoniam viuificat. Verbum intelligo non quod ma-  
gicis susurris exorcista quispiam demurmuret, sed quod clara  
& dic*

*& discreta voce pronuntiatum ad fidem ædificandam valet.* Hæc est nouella istorum hominū sententia. Verbi prædicationem externam adiungi Sacramento volunt, idque ita, vt illo verbo externa ceremonia viuificetur. Verbum autem quod Caluinus hîc reijcit veluti *magicis susurris ab exorcista quæpiam demurmuratum*, est ipsum Christi verbum baptismi ceremoniæ eo authore coniunctum, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Hæc verba externo aquæ elemento coniuncta, quæ qui baptizat inter baptizandum pronuntiat, ex Christi mandato dicentis, *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, vocat homo impius magicū susurrum à ministro baptismi veluti exorcista demurmuratum. Ita authore Caluino magicos susurros præscriptis Christus, & suos Apostolos veluti exorcistas verba magica demurmurantes, ad baptizandum instruxit. Hæc est prophana hominis & minimè ferenda impietas. Nec enim alijs verbis ministri baptismi in Ecclesia Catholica vtuntur. Et hæc quidem verba Euangelica à Christo instituta externam aquæ ceremoniam viuificant: hæc veluti forma ad materiam aquæ accedunt, vt fiat aqua sacramentalis, & ad regenerationē spiritualem efficax. De hoc verbo Euangelico ait S. Augustinus: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Quid autem sit illud verbum quo accedente ad elementum fit Sacramentum, alio in loco clarissimè explicat. Deus (inquit) adest verbis Euangelicis suis, siue quibus baptismus Christi consecrari non potest.* Et paulo post: *Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Euangelica, quibus symbolū constat, illie defuerint?* Verba Euangelica dicit quibus symbolum constat, quia hoc symbolum fidei profitentur baptizandi,

Caluini  
in Christi  
stium  
blasphemias.

Verbum  
Sacramentale  
quid  
& quale.

Traet. 80.  
in Ioan.

De baptis.  
contra  
Donat.  
lib. 6. c. 25

zandi, *Credo in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.* Que ne ex coniectura dicta videantur, ipse seipsum explicabit Augustinus. In eodē opere ita scribit: **Lib. 3.**  
*Si Euangelicis verbis, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentū, quamuis eius fides sub eisdē verbis aliud opinantis quam Catholica veritas doceat, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* Dilectè expressit quid per verba Euangelica intelligat, non sanè prædicationem Euangelij ad ædificandam fidem audientium, vt Caluinus somniat, sed formam verborū à Christo præscriptam ad Sacramenti confectionem & complementum. Et contra Caluini somnium de ædificanda fide per verbi prædicationem vnde externa ceremonia viuificetur, plurimum valet quod proximis verbis subiungit eodē loco doctissimus Augustinus. *Nam (inquit) sub eisdem verbis, id est, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, non solum Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales paruuli Ecclesie, quibus dicebat Apostolus, Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, si possent singuli diligenter interrogari, tot diuersitates opinionum fortassis quot homines numerarentur. Nunquid tamen integrum Sacramentum non accipiunt? Aut nunquid ideo si profecerint, & opinionum carnalium vanitatem emendauerint, denudò quod acceperant repetendum est? Accipit quis que secundum fidem suam, sed quantum capit, gubernante illam misericordia Dei, de qua Apostolus dixit, Si quid aliter sapitis, Deus vobis reuelabit.* Hæc Augustinus, apertè docens Sacramenti integritatem & perfectionem non ab intelligentia & instructione audientium, sed ab ipsis verbis Euangelicis debite retentis ac pronuntiatis pendere; & verbum Euangelicum non ad fidem ædificandam, sed ad Sacramentum perficiendū ex Christi institu-



institutione ac mandato proferri. Adeo verò verbum Evangelicum, quo consecratur baptismus, non est verbum prædicationis (vt acerrimè tuerentur hæretici) sed forma illa verborum à Christo præscripta, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, vt (quemadmodum scribit Augustinus) facilius fuerit inuenire hæreticos qui omnino nõ baptizarent, quam qui non illis verbis baptizarent. Vnde in eodem opere, prope finem affirmat eos omnes habere baptismum qui vbicumque & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratur sine sua simulatione & cum aliqua fide accipiunt. Hanc ob causam Ariani, qui æqualitatem trium personarum non credebant, suamque perfidiam in publico cantu Ecclesiæ exprimere nõ sunt veriti, cantantes, *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.* tamen formam hanc baptismi & verba hæc Evangelica, *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* & quæ in diuino sit baptismate inuocationem permutare non sunt ausi, idque propter nimis apertam transgressionem, ait Theodoretus. Eandem ob causam, quam iuxta decreta Concilij Nicæni Nouatiani ad Ecclesiam reuerentes per solam manus impositionem reciperentur, Cataphryges vel Pauliani similiter reuertentes baptizari præciperetur, huius discriminais causam reddens Innocentius Papa, Augustino contemporaneus, ita scribit: *Hoc in istis duabus hæresibus ita distinctum ratio manifesta declarat, quia Paulianij in nomine Patris & Filij & Spiritus S. minimè baptizabant, Nouatiani verò eisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant.* Sic Augustinus Paulianos iuxta Cõcilij Nicæni decretum baptizandos scribit, *quia regulam baptismi non tenuerunt.* Vnde & Didymus Alexandrinus vetustissimus scriptor ita scribit: *Non arbitror quemquam ita insanũ atq; recordẽ futurũ, vt perfectum baptismum putet id quod datur in nomine Patris & Filij sine assumptione*

De baptis.  
contra  
Donat.  
lib. 6.  
cap. 25.  
Lib. 7.  
cap. 53.

Hæret.  
fabul.  
lib. 4.  
Concil.  
Nic. can.  
2. & 19.

Epist. 23.  
cap. 5.

Mat. 44.

lib. 2. de  
Spiritu  
Sancto.

assumptione Spiritus S. aut rursus in nomine Patris & Spiritus S. Filij vocabulo prætermisso, aut certè in nomine Filij & Spiritus S. non præposito vocabulo Patris. In eandem sententiam copiose & grauiter disputat contra Arianos Athanasius. Ambrosius quoque his verbis: *Catechumenus nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filij & Spiritus S. remissionem non potest accipere peccatorum.* Denique Chrysostr. exponens illa Apostoli verba, *Mundans Ecclesiam suã lauacro aquæ in verbo vitæ.* In quo (inquit) verborum *In nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Hoc est ergo ex totius antiquitatis consensu verbũ Evangelicũ quo consecratur baptismus, & quo externũ elementũ viuificatur, nõ doctrina Euangelica, vt affirmat hoc loco Caluinus.

Quod autem affirmat, videamus quomodo ex hoc loco confirmet. *Non enim* (inquit) *simpliciter, Ioannes baptizasse dicitur in penitentiam, ac si gratia Dei in signo visibili inclusa esset, sed prædicasse qualis esset baptismi utilitas, vt ex verbo prædicato efficax esset signũ. Hoc autem peculiare est baptismi, quod symbolum penitentiae dicitur in remissionem peccatorum. Iam quum eadem baptismi illius significatio, vis, & ratio fuerit quæ nostri, si figura à sua veritate æstimatur, falsum diuersos esse Ioannis & Christi Baptismos.* Aduertere operæ precium est quàm tenui ac futili argumento grauisimum & constantissimũ Ecclesiæ Catholicæ dogma iste hæreticus conuellit. Maximi momenti dogma est, Sacramentorum nostrorũ vim ac naturã cognoscere, & in quibus ea vis ac natura consistat, exploratũ habere. Ex materia certi elementi, & verbo veluti forma, quo accedente ad elementũ fit Sacramentũ, tanquam ex duabus necessarijs partibus compleri & perfici quodq; Sacramentũ, credidit hactenus Ecclesia Catholica, & in Concilio generalibus ita res dudũ definita est, Concilio Florent. ac Trident.

Serm. 3.  
contra  
Arianos.  
De ijs qui  
inician-  
tur my-  
sterijs c. 4.  
Homil.  
20 ad  
Ephes.

Grauis-  
simum Ec-  
clesiæ do-  
gma futi-  
lissimo  
argumen-  
to con-  
uellit  
Calui-  
nus.

Contra

Contra aiunt hæretici verbū prædicationis illud esse quod accedēs elemento facit Sacramentū, vel (vt Calvinus hīc loquitur) *quod externā ceremoniam viuificat*. Atrem tantam ex qua natura Sacramentorum dependet, in qua totius Ecclesiæ Catholice iudicium, praxim, ac fidem, (vt ex tot antiquitatis testimonijs circa vnum baptismum, de quo hic locus tractat, iam ostendimus) sibi aduersantem habent, quo tandem argumento probat Calvinus? *Quia* (inquit) *dicitur Ioannes prædicasse qualis esset baptismi utilitas, vt ex verbo prædicato efficax esset signum*. At vbi hoc dicitur, aut quæ Scriptura hoc dicit? Dicit hoc loco Marcus, dixit & Lucas, quòd Ioannes baptizans prædicauit baptismū penitentiae; sed eum prædicasse qualis esset baptismi utilitas, idque in eum finem vt ex verbo prædicato signum esset efficax, nec Marcus, nec Lucas, nec vlla alia Scriptura dicit. Duo igitur mendacia Scripturæ Euangelicæ affinxit Calvinus. Ioannes quidem baptizauit aqua, prædicans baptismum penitentiae in remissionē peccatorum: id est, quibus prius prædicauerat baptismum penitentiae (est enim ordo inuersus, vt ipsi agnoscunt hæretici) & quos prius exhortatus fuerat ad penitentiam, (dicens, *Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum, vnde & confitentes actus suos ab eo baptizabatur*) simulq; ad suum baptismum, in signum penitentiae & nouæ vitæ; idque in remissionem peccatorum, id est, vt nec per illum baptismum, nec per illam prædicationem, sed per Christum quem Ioannes prædicabat, & per Christi baptismum ad quem ille suos præparabat, remissionem peccatorum consequerentur (Ioannes enim, ait in Actis Paulus, *baptizauit baptismum penitentiae populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum vt crederent*) illos baptizauit. Docuit

ergo

ergo & prædicauit Ioannes nec quæ esset baptismi sui utilitas, sed in quem finē eos baptizabat, & ad cuius rei significationem; nec vt ex illa prædicatione aqua eius esset efficax ad remissionem peccatorum. Nec prædicatio nec baptismus Ioannis ipsam remissionem peccatorum contulit, sed vtrumque ad Christum præparauit, à quo acciperent remissionem peccatorum, ideòque digito illis Christum demonstrauit. *Hic est Agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi. Ego baptizo vos in aqua: hic est qui baptizat in Spiritu S.* id est, in cuius baptismus Spiritus S. remissionem peccatorū largitur. Sicuti hīc de baptismo Ioannis Marcus ac Lucas, sic de ipsa Ioannis prædicatione loquitur Zacharias. *Præ-*

Ioan. 1.

Math. 3.

Luc. 1.

Ff re-

Duo mendacia Scripturæ affinxit Calvinus. Ioannis baptismus quo sensu penitentiae baptismum prædicabat.

Act. 19.

Act. 2.

remissionem peccatorum. Hunc ordinem primus Christianorum baptifmus nos docuit; Petrus quippe predicatione peracia, & animis audientium ad fidem & poenitentiam compunctis, ipsisque interrogantibus, Quid faciemus, viri fratres? respondit Petrus, Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.

Atqui, ait Caluinus, idem est baptifmus Ioannis ac noster. Vnde verò hoc constat? Nam (inquit) quum eadem sit baptifmi Ioannis significatio, vis, & ratio que nostri, falsum est diuersos esse Ioannis & Christi baptifmos. Ecce rem absurdissimam, & totius antiquitatis vnanimi consensu reprobata, ex simplici suppositione probat. Supponit eandem esse significationem, vim, & rationem baptifmi Ioannis & nostri: & inde concludit non esse diuersos. Sed quod pro comperto supponit Caluinus, hoc negat diuinitus inspirata Scriptura, hoc negat omnium veterum Patrum & concors sententia. Patrum concordem sententiam in Promptuario nostro Catholico produximus. Agnoscit eam Caluinus, & contemnit.

Caluini impudencia,

Dom. 3. Aduentus.

Institut. lib. 4. c. 15 num. 7.

Neminem (inquit) perturbet quod alterum ab altero, baptifmum Ioannis a Christo discernere veteres Patres contendunt, quorum non tanti nobis debet esse calculus ut Scripturae certitudinem quatefaciat. Proferet igitur nobis aliquam Scripturam Caluinus, cuius certitudinem ille veterum Patrum consensus quatefaciat. Subiungit, Nulla enim alia e verbo Dei differentia inuenitur, quam quod in eu qui venturus erat, Ioannes baptizat: Apostoli in eum qui iam se exhibuerat. Hæc ille impostor mendax. Impostor, quia prætextu Scripturae aliud docentis Patrum vnanimem sententiam rejicit. Mendax, quia quod de Scriptura ipse affirmat, purum mendacium est. Ecce enim duas aut tres alias ex verbo Dei differentias proferimus. Primum,

Differentia tres inter baptifmum Christi & Ioannis.

mum, quam ipse Ioannes discretissime posuit. Ego baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est, qui fortior me est, &c. ipse baptizabit vos in Spiritu S. & igni. Maxima hæc est differentia quod baptifmus Ioannis non fuit in Spiritu S. sicut Christi baptifmus: quod adeo verum est ut baptizati a Ioanne ne quidem an Spiritus S. esset audierint, ut in Actis Apostolicis proficitur. Rursum, baptifmus Christi, quem Apostoli ministrabant, fuit in nomine Sanctiss. Trinitatis, ut Christus illis præcepit. Baptifmus Ioannis cum illa inuocatione & forma non fuit. Alioqui eius discipuli & ab eo baptizati Spiritum S. ita penitus non ignorassent. Præterea, baptifmus Ioannis, ipsius Ioannis proprius erat, & ab eo nuncupatus, sic loquente ipso Christo: Baptifmus Ioannis verum de celo erat an non? Apostolorum & Ecclesie Christiane baptifmus, nec Petri nec Pauli baptifmus sed Christi dicitur: quia per illos omnes non nisi vnus Christus baptizat. Sic alias tres ex verbo Dei differentias inuenimus, & nequiter mentitus Caluinus est, ut vnanimè veterum Patrum sententiam sub prætextu Scripturae aliud docentis homo perucax rejiceret. Sed hæc est hæreticorum hodie impostura: Patrum consensum se rejicere aiunt, quia plus Scripturae deferendum. Re autem examinata, non plus Scripturae, sed plus suis proprijs placitis ac phantasiis deferunt. Denique aut Scripturam non proferunt, aut suo fermento illam corumpunt. Nec tunc quaestio est, an propter Patrum calculum Scripturae certitudo quatefacienda sit, sed quaestio est an in sensu Scripturae incerto propter nouellum cuiuslibet hæretici sensum, veterum Patrum vnanimis consensus rejiciendus sit: Postremò quaestio est vter melius Scripturas in-

1. Matth. 3. Luc. 3. Ioan. 1.

Act. 19.

2.

3.

Matth. 28

Ex puro mendaciorum Antiquitatem rejicit Caluinus.

rellexerit, vnus Calvinus ac Beza, quàm vnus August. tórque alij antiquissimæ Ecclesiæ celeberrimi ac doctissimi Patres. In qua quæstione si nouellis magistris deferimus, surgent & alij nouelli (sicut post Lutherum surrexit Calvinus) qui idem postulabunt. Ita nouo cuiuslibet doctrinæ vento perpetuò circumferemur. Sed id ne fieret, Pastores & doctores dedit Eccl. sua Christus, ad consumptionem sanctorum, id est, ad corroborationem fidei. Iam, nec id ad breue tempus, sed donec occurrantur omnes in unitatem fidei (id est, donec impleantur tempora Gentium: vt iam (ab his doctõibus & pastoribus instructi) non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrine per nequitiam & astutiam hominum ad circumuentionem erroris.

15. *Pœnitementi, & credite Euangelio.*

In Marc.  
mon. ad  
Marc. 1.

**H**AEC verba duplici cauillo conatur eludere Calvinus. *Quæri* (inquit) *potest quæ ex Euangelio pendat pœnitentiã, cur eam Marcus ab Euangelij doctrina separet.* Primum non Marcus sed Christus hæc verba dixit. Deinde Christus pœnitentiã ab Euangelij doctrina nõ separat, vt fingit Calvinus; sed ad fidem Euangelio præbendã, seu ad credendum Euangelio, viam ac præparationem necessariã esse pœnitentiã docet. At si ita est, *quomodo ex Euangelio pendebit pœnitentiã?* ait Calvinus: id est, quomodo erit meum paradoxum verum, quòd prius oportet credere Euangelio, & per illam fidem Deum sibi habere certò propitiũ, vt sic pœnitentiã serio studeatur? Sic enim alibi docet, vt alio in loco ostendimus. *Duplex* (inquit) *solutio est. Nam Deus interdum sic nos ad respiciendum inuocat, vt tantũ dicat mutandã esse in melius vitã: postea*

In Præp.  
Cathol.  
par. C.  
strag. in  
Sabbato  
Hebræo  
madat. 2.

COM 9

*conuersionem & vitæ nouitatem Spiritus sui donum esse ostendit: vt sciamus non tantũ nobis præcipi quod officij nostri est, sed obsequendi gratiam & virtutem simul offerri.* Hic Calvinus ex parte falsum narrat, ex alia parte, qua verum dicit, suis placitis contradicit. Falsum est, Deum interdum ad pœnitentiã sic inuitare, vt tantũ dicat in melius mutandã esse vitã. Semper enim peccati præteriti odiũ, & propter offensũ Deum tristitiã ac dolorẽ Scriptura à pœnitentibus flagitat. Quòd autem dicit & verum dicit, vitæ nouitatem Spiritus S. donum esse, Deusq; non solũ præcipere, sed etiam obedientiæ & exsequendi facultatem conferre, alterã Caluini hæresim funditus euertit, qua docet Dei mandata obseruari non posse, nec ad ea nos obligari, nec Spiritum Christi in adiutorium nobis dari, vt ad

Instit.  
lib. 3. c. 17  
num. 2.  
& cap. 1.  
num. 1.  
& seqq.

Pœnitentiæ ordo  
à Caluino  
inuersus.

Act. 26.

fecuti fuerint: non quia fide illā apprehenderunt, (somnia hoc Caluini est) sed quia credentibus & pœnitentibus, *dignaque pœnitentiæ opera facientibus* (vt Paulus concionari solebat) ille Spiritus regenerationis per Christum confertur; pariter & vn̄a cum ipsa remissione peccatorum. Et hoc modo pœnitentia semper præcedit ipsam regenerationem & remissionem peccatorum quam Euangelium docet, Spiritus regenerationis fide apprehensus, vt Caluinus loquitur, id est, credere quòd pœnitenti ille Spiritus à Deo impertietur, nō facit vt homo ritè pœniteat, nec quicquā in eo operatur quo nondū est, & cui nōdū collatus est, vt sic propriè industriæ defectū ille suppleat, iuxta Caluini figmentū, sed specialis Dei gratia quæ hominē ad pœnitentiā excitat (est enim & illa donū Dei singulare) humanæ industriæ impotentiam supplet, facitq; vt homo verā & legitimā pœnitentiā agat.

Sed hīc Caluinus memor se Spiritui regenerationis & nouitati vitæ plus tribuisse quā aliās solet, aut quā solius fidei iustificātis doctrina permittit, seipsum tempestiuè corrigit & dicit. *Quamquam fides quā haberi Euangelio Christus postulat, minime ad donum renouationis restringi debet, sed præcipuè ad peccatorum remissionem spectat. Coniungit enim Ioannis pœnitentiam cum fide, quia se ideo Deus nobis reconciliat, vt tanquam Pater à nobis sanctitate & iustitia colatur.* Præoccupatione hac vitur Caluinus, quia perpetua eius & suorū doctrina est, fidei iustificantis obiectum nihil aliud esse quā gratuitam peccatorū remissionem in Euangelio prædicatam à fide apprehensam. Nunc autem affirmat Spiritum quoq; regenerationis per fidem, quam Euangelio habemus, apprehendi, vt fide iustificemur. Respondet autem non ad hoc donum renouationis restringi fidem, sed præ-

Caluini doctrina ex seipso refutatur.

præcipuè ad remissionem peccatorū spectare. Quæ responsio tamen in forma recipiatur, satis adhuc eius altera sententia refutatur. Satis enim nobis est quòd ad hoc donum renouationis fides spectat. Non volumus ad hoc donū fidem restringi. Plane volumus ad remissionem quoque peccatorum fidē ampliari. Sed volumus, & vult Scriptura, vt ad vtrumque fides spectet; iuxta illud Pauli. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis* (vbi peccatorum remissio innuitur) & *renouationis per Spiritum S. quem effudit in nos abunde.* Satis nobis est, Deum se nobis ideo reconciliare, vt postea colamus eum in sanctitate & iustitia, quod hīc faterur Caluinus. Sic enim non in sola remissione peccatorum, nec in sola fide eam apprehendente, salus & iustitia nostra consistit (quod Catholica damnat Ecclesia) sed præterea in Spiritu regenerationis & vitæ nouitate, quæ altera & potior est Christianæ iustitiæ pars. Sed hoc in prioris solutionis suæ gratiā ponere & concedere coactus est Caluinus.

Posterior solutio est: *Credere Euangelio*, in his Christi verbis tantundē valere atque gratuitā iustitiā amplecti. Sæpe enim in Scripturis specialit̄ istā inter fidem & remissionem peccatorum relationem occurrere, sicut quum docet nos fide iustificari. Hęc altera solutio per se absurdissima est, & eius confirmatio penitus insulla. Absurdum & impiū est, *Credite Euangelio*, hunc sensum habere, *Gratuitam iustitiam amplectimini*: quasi Euangelium eiusque prædicatio nihil aliud credendū fidēque amplectendum contineret, quā gratuitam iustitiā, maximè in sensu Caluini, qui per gratuitam iustitiā non plus intelligit quā gratuitam remissionem peccatorum, quæ initialis & minima pars iustitiæ Christianæ est, sanè & priuatio veteris formę inter principia rei generandę miri-

Tit. 8.

Euangelio credere quā latè patet.

num & maximè improprium principium est. *Credere Euangelio*, est omnia credere quæ Euangelium de Deo, de Christo, de tota fide ac salute humana docet. Solutionis confirmatio insulsa est. Hæc enim eius vis & consecutio est: *Occurrit sæpe in Scripturis inter fidem & remissionem peccatorum relatio*, id est, sæpe in Scripturis remissionem peccatorum credere docemur: ergo hoc in loco, *Credere Euangelio*, significare debet *credere gratuitam iustitiam*, quæ est (in sensu Caluini) remissio peccatorum. Insulsa & friuola hæc consecutio est: primum, quia etsi sæpe ita se res habeat, quum etiam sæpe aliter se res habeat, & alijs in locis sapissimè fides alia quàm plurima obiecta respiciat, nulla est consecutio, vt hoc in loco ad illud vnum obiectum fides restringatur. Deinde, Euangelium multo plurimè se complectitur quàm gratuitam peccatorum remissionem. Nō ergo sequitur: *Credere gratuitam remissionem peccatorum sæpe scriptura docet: ergo quum dicitur, Credere Euangelio, idem & non aliud docere putanda est.*

Sed quomodo hoc ipsum Calvinus probat, quod fides sæpe numero in Scripturis ad peccatorum remissionem refertur. *Sicut* (inquit) *quum docet nos fide iustificari*. Egregia scilicet probatio, quæ sola nouella S. Scripturæ corruptela nititur. Nam fide iustificari in Catholica hæctenus Ecclesia, nunquam illum sensum habuit, fide amplecti gratuitam iustitiam. Nouella hæc est & horum temporum corruptela pestilens. Fide iustificamur in sensu veterum Ecclesiæ Patrū, maximè que S. Augustini, (loquendo de ipsa in se fide) quia totius iustificationis nostræ coram Deo fides, qua in Deum & Christum eius credimus, fides (inquā) sana & orthodoxa, omnia credēs quæ diuinitus ad credendum reuelata

Fide iustificari quid.

reuelata sunt, radix, principium, & fundamentum est: nec sine illa iustificari quisquam potest. Aut certè fide iustificamur (loquendo de perfectione eius) nō qualibet, sed (vt Paulus docuit) *fide per charitatem operante*. Ita vtraque Caluini solutio contra tam perspicua Christi verba, quibus poenitentiam fidei vt medium fini anteponit, varia impietate & absurditate plena est. De poenitentia doctrina à Caluino deprauata vide multo plura in Promptuarij nostri Catholici parte Quadragesimali.

Gal. 5.

Sabbato Hebræorum. 2.

## IN MARCI CAP. 3.

16. *Et imposuit Simoni nomen Petrus.*

**O**BSERVANT hoc loco Catholici (quod & nos olim fecimus) Christum noui nominis impositionem, quod antea Simoni promiserat, quum primò eum intueretur dicens, *Tu vocaberis Cephas*, eo demum tempore dedisse, quo duodecim designauit Apostolos, vt eodem videlicet momento de Capite futuro prospiceret, quo de futuris Pastoribus prospexit: quia formari tunc cœpit quasiq; in vtero Christi parturiri noua Christi Ecclesia. Obseruant quoque hoc nouum nomē illi singulariter, & soli à Christo impositum, aliquam in eo nouam & singulatè præ cæteris prærogatiuam notare: sicut in mutatis à Deo nominibus Abraham, Sarai, & Israel, factum fuisse Scriptura demonstrat, & diligenter explicat Chrysostomus. Indignè fert hoc totum Calvinus, & ait. *Ridiculi sunt Papistæ, qui ex hoc nouo nomine colligunt fundatam*

Petri nouum nomen Primatus indicium.

in eo esse Ecclesiam, ut fufius explicabitur cap. 16. *Matthæi.* Atqui eodem loco iam ostendimus non minus ridiculè quàm impiè manifestæ veritati in Scripturis renelatæ Caluinum reluctari: vanumque ac ridiculū esse quod illic reperens hic affirmat, *Christum promensura gratiæ qua Simonem instruere volebat, peculiare illi nomen imposuisse.* Sanè pro mensura gratiæ qua Christus suos iniecit, cui responderet

1. Cor. 15.

mensura operis ac mercedis, Paulo potius, qui plus omnibus laboravit, siue Ecclesiasticam prædicationem siue certamina & persecutiones eius respicias,

2. Cor. 11

qui vas electionis fuit ut portaret nomen Christi in Gentibus, cui Christus ostendit quàm multa pro nomine eius

Act. 9.

pati debuit, qui denique non ab homine neque per hominem sed ab ipso Christo de cælo vocatus Evangelium suum

Gal. 1.

accepit, peculiare hoc nomē potius quàm Simoni Petro imponi debuit. Sanè pro maiori mensura gratiæ qua instructus erat Paulus, distinguit B.

Serm. 66.

Ambrosius Paulum clauem scientiæ, Petrum clauem potentiæ accepisse. Quod ad viuos autem spiritalis templi lapides attinet, quo in sensu Petrum à lapide nomē sumpisse Caluinus vult, propter fidei videlicet feruorem, constantiam, ac virtutem, tamen id in Petro verū esset, quod & nomen eius Simon, qui pinguedinē notat, satis importat; non tamen hoc vel ad nomen Petri propriè pertinet, vel aliū sensum primatus eius excludit, sed vehementer corroborat: quando qui alijs præficiendus erat, sicuti plus alijs diligere Christum, ita fidei omniumque virtutum vigore alijs præcellere debuit. Fuit igitur viuus lapis quo ad pietatē, ut esset lapis fortissimus quo ad Ecclesiæ præfecturam.

Ioan. 21.

IN

## IN MARCI CAP. 6.

4. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem illorum.

**H**AEC apud D. Marcum verba Caluino veterum non nihil excusserunt; & ut impiam ac nefariam sententiā suam de excæcatione reproborū actiua in Deo prope modum reuocaret, saltem ut veritati orthodoxæ consona diceret, vnde illa eius sententiā necessaria refellitur, coëgerūt. Cum enim in sua Harmonia ad Matth. cap. 13. illa verba tractans, *Vobis datum est nosse mysteria, illis datum non est;* & rursum ad illa verba, *Et adimpletur in illis prophetia Isaiæ dicens, Auditu audietis, & non intelligetis, &c.* scripsit, *Christum ideo data opera obscurius loquitum fuisse, ut enigmaticus esset sermo, imò etiam sine ambagibus & figuris mentem suam explicantem hebetare auditorum suorum sensus, & stupore percutere, ut in plena luce cæcubiant;* rursum, *Deum non solum verbum suum reprobis subducere, sed etiam obstructos tenere eorum oculos & aures ne audiant & videant,* quæ omnia actiuam in Deo hominū excæcationem ponunt, & propriam excæcationis causam in Deo constituunt (quod iterum repetit Ioan. 12. & ad Rom. 11. ut illis in locis ostendemus) ad hæc tamen D. Marci verba quasi non nihil euigilans, veram & orthodoxam doctrinam, quæ pro ore illam iugular, profiteri compellitur. Sic enim scribit. *Magis emphaticè Marcus loquitur, quòd non potuerit vllam virtutem edere: Christo videlicet viuuum suorum impietate præclusam fuisse viam, ne plures*

Actiuam  
in Deo  
excæca-  
tionem  
Caluinus  
ponit.

apud

Eadem ab ipso Caluino re-  
fatur.

Dei volū-  
tas ab hu-  
mana  
non vin-  
citur.

460 ANTIDOTA EVANG.  
apud eos virtutes ederet. Gustum aliquem iam illis præbue-  
rat: vltro se ipsos obstupefaciunt, nequid percipiant. Ideo  
aperte Augustinus fidem aperto vasis ori comparat: infide-  
litatem vero dicit operculo similem esse quo vas obstruitur,  
ne infusum diuinitus liquorem admittat. Et sanè ita se res  
habet. Nam Dominus vbi virtutem suam videt à nobis  
non recipi, eandem eam subducit. Optimè & orthodoxè  
ista dicuntur, ideoque Augustinū in hac senten-  
tia (quæ vix iterū in tota Harmonia sua citauit)  
merito sibi suffragantē inuenit. Prosequitur ad-  
huc magis. Marcus negans Christum potuisse inter eos  
virtutes facere, eorum culpam amplificat, à quibus impedita  
fuit eius bonitas. Nam certè increduli, quantum in se est,  
Dei manum sua contumacia constringunt. Non quod Deus  
quasi inferior vincatur, sed quia illi non permittunt virtu-  
tem suam exequi. Hæc Calvinus præcedentē suam  
impiam sententiam ipsemet refurans, alterius  
huius loci perspicuitate conuictus. Et optimè  
quidem dicit Deum à nobis quasi inferiorem nō  
vinci quando eius manum nostra contumacia  
constringimus, id est, quando eius bonitatem &  
gratiam præuenientem & sufficienter excitantem  
repellimus, sed causam huius rei non satis expli-  
cat. Causa quippe hæc est, ideo in huiusmodi casu  
Deū ab hominis praua voluntate quasi inferio-  
rem non vinci, quia ipsa praua voluntas nō vin-  
cit in hoc casu, sed deficit. Quicūque vincitur, à  
vincente vincitur. Prava voluntas Dei gratiæ re-  
sistendo nihil vincit, sed suam impotentiam & de-  
fectum ostendit. Nō benefacere, deficere est; non  
consentire vocanti, Dei voluntatis defectus est.  
Deum non posse peccare, non arguit in Deo ali-  
quam impotentiam, sed summam perfectionem.  
Quare ita? Quia ipsum posse peccare, defectus est  
& impotentia. Eodē modo, posse resistere gratiæ  
Dei,

Dei, posse impedire bonitatem eius, nulla est praua  
voluntatis victoria aut potentia, sed summa  
miseria & impotentia. Ac per hoc Dei gratia à  
prava voluntate non vincitur. Vnde D. Augusti-  
nus: Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum  
eius Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, ve-  
rum se ipsos fraudant magno & summo bono, malisque pæ-  
nalibus implicant, experturi in supplicijs potestatem eius,  
cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas  
Dei semper inuicta est. Vinceretur autem si non inueniret  
quid de contemptoribus faceret. Hæc ille: vbi & nostram  
explicationem astruit, & aliam causam docet cur  
qui Dei gratiæ resistunt, Dei tamen voluntatem  
non vincunt.

Deinde Dei gratia sicut hæc Christi miracula,  
non procedunt ab absoluta aliqua Dei volunta-  
te & infallibili, quoad effectū ipsius gratiæ, quasi  
videlicet quomodocunque dispositos Deus sana-  
re veller, & apud quoscunque & quomodolibet  
dispositos Christus sua miracula præstaret; sed  
procedunt à voluntate Dei antecedente, qua pa-  
ratus est Deus sanare, & paratus fuit Christus mi-  
racula facere, vbi à parte voluntatis humanæ im-  
pedimentum non erat. Quare Christus in patria  
sua inueniens hoc impedimentum, id est, propter  
incredulitatem suorum, nullas virtutes fecit. Eandem ob  
causam vbi virtutes fecit, fidei & credulitati ipso-  
rum tribuit, quibus sua beneficia præstitit. Quod  
illud toties repetitum, Fides tua te saluum fecit, lucu-  
lenter demonstrat. Deus ergo ab hominum incre-  
dulitate non vincitur, quia stante incredulitate  
Deus virtutes facere non intendit. Similiter Dei  
gratia à prava hominis voluntate consensum ne-  
gante non vincitur, quia stante illa prauitate Deus

De spir.  
& lic.  
cap. 32.

Gratia  
Dei non  
procedit  
ex absolu-  
ta Dei vo-  
luntate.

per



per suā gratiam hominem conuertere non intendit, sed punire.

Dices gratiam idcirco dari vt ex praua voluntate bonam faciat. Verum sanè id est, nam & miracula ideo fiunt, vt homines credāt. Sed vtrumque fit ex vna incommutabili Dei voluntate qua obediētes conuertit, in incredulos animaduertit. Quod eodem loco annotauit August. *Scriptum (inquit) est, Semel locutus est Deus, hoc est, immutabiliter. Duo hæc audiui: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opera sua.* Voluntas igitur Dei incommutabilis & absoluta est, non quem vocat simpliciter conuertere, sed quem vocat iuxta opera sua iudicare. Rursū vtrūque fit cū ipsius voluntatis humane libera cooperatione. Quæ propter suam libertatem, etiam semetipsam cōuertere, & seipsam ex mala bona facere dicitur. Ait enim diserte August. *In potestate hominis est mutare voluntatē in melius sed ea potestas nulle est nisi à Deo detur;* nempe nisi à Dei gratia præueniente accipiatur. Atqui (dicit aliquis) idē August, docet Dei gratiam à nullo duro corde respui, quia ideo data est vt cordis duritia primitus auferatur. Verum quod hoc est, quia durum cor ab excitante & præueniente gratia infallibiliter mouetur, & hoc sensu penitus non respuitur: duritia tamen tota cordis, vt à Deo motū seipsū quoque moueat, actum conuersionis eliciendo, non semper aufercur, quia mouente cor durum Dei gratia, homo seipsam liberè mouet vel non mouet ad eliciendū actum Dei gratiæ conformem, quatenus cum effectu nō agit gratia, nisi agamus & nos cum gratia, vt alijs multis in locis apertissimè Aug. docet. Quare etsi ideo data sit gratia vt duritia cordis auferatur, quia tamen hic effectus, diuinæ gratiæ operatur.

Retract.  
lib. 1.  
cap. 22.

De prædest.  
sanct.  
cap. 8.

De corrept. & grat. ca. 2.  
Conc. 27.  
in Psal.  
118.  
Enar. in  
Psal. 77.  
Serm. 13.  
de verb.  
Apostoli.  
De nat. & gratia  
cap. 32.

ratiōi consequens quidem est, non autem proximus & immediatus vt prior ille iam dictus, idcirco infallibiliter & perpetuò non sequitur, sicuti prior effectus de quo August. dixit, à nullo duro corde respuitur. Consequentis enim effectus intentio proximi effectus certitudinē necessariò præsupponit. Deus enim intendens peccatorem conuertere si ipse velit conuerti, tangit cor eius certissimè vt conuertatur si velit. Tangit, mouet, & afficit; pulsat, excitat, & præuenit: & hūc diuinæ gratiæ tactum, motum, affectum non sentire nullum cor durum potest. Hunc pulsū, hanc excitationem, hanc præuentionem omne cor durum accipit, nullum respuit. Quibus enim visis à Deo tangamur, in nostra potestate non est. Actum autem diuinæ gratiæ tangenti, mouenti, & excitanti conformem elicere, pulsanti ostium aperire, vocanti gratiæ consentire, liberæ voluntatis est, quæ motum gratiæ modò sequitur, modò non sequitur; modò accipit, modò rejicit; modò ei consensum præbet, modò negat. Quam ob causam hortatur Scriptura, ne in vanum gratiam Dei accipiamus; ne quis desit gratiæ Dei; ne quem vocem Dei audiuerimus, velimus obdurare corda nostra: & multa alibi his cōsimilia. Augustinus quoque disertissimè scribit. *Vocationi autem Dei consentire vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Docet hæc tota explicatio causam excecationis, aut incredulitatis, aut cuiusuis peccati, non in Deo (vt apud Matth. cap. 13. Caluinus posuit) sed in propria cuiusque praua & libera voluntate ponendam esse.

(..)

I N

August.  
de lib. arb.  
lib. 3. c. 25  
& de  
Spir. &  
lit. c. 33.

2. Cor. 6.  
Heb. 3.  
& 12.

De Spir.  
& lit.  
cap. 33.

## IN MARCI CAP. 7.

33. *Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in caelum ingemuit, & ait illi, Epheta: quod est, adaperire.*

Rom. 10.

**Q**UOD Christus in sanando hoc surdo & muto, qui haud dubiè incredulum genus humanum significabat, qui nec ex auditu fidem concipere, & corde credere, nec in Dei laudem linguam laxare & ore confiteri poterant, (quorum illud *ad iustitiam*, hoc *ad salutem* im-  
 primis necessariū esse Apostolus docuit) tot præter morem suum ceremonijs, signis, ac symbolis utitur, non quasi ad eum sanandum necessarijs medijs (qui solo nutu ac voluntate sanare eū poterat) sed ad aliquid per ea significandum, illis usum fuisse Christum agnoscit nobiscum hoc loco Calvinus. *Liberè* (inquit) *usus fuit signis externis, prout hominum ferebat utilitas; sicut nunc lingue sputum aspergens, notare voluit loquendi facultatem à se vno transfundi; digitum in auriculas mittens, docuit proprium esse suum munus surdas aures quasi perforare. Quod suspexit in caelum atque ingemuit, signum fuit vehementis affectus.* Ita hæc omnia ad significationem quandam adhibita fuisse rectè adnotat. Iam verò quum in baptis-  
 mi sacramento, quo initiatur Deo quilibet Christianus, ex surdo ac muto fidem fidei que confessionem Dei beneficio accipiens, verè adaperitur omnis baptizatus, ut tam audire ac credere, quam quod credit ore & opere confiteri valeat, Ecclesia Christi Catholica iam à multis seculis (ut patet  
 ex

ex S. Ambrosio) has ipsas Christi ceremonias ac signa ad tanti beneficii maiorem expressionem, siue in adultis siue in paruulis baptizandis adhibere voluit. Displicet caluitio Calviniano hæc Ecclesiastica in baptismo ceremonia; & pro sua in Ecclesiam Christi autoritate magistrali, sic illam obiurgat. *Inter alias nugas quibus baptismum inquirant stulti homines, hic quoque histrionicus lusus agitur. Quo exemplo monemur, nullum esse licentie modum ubi homines in Dei mysterijs pro suo arbitrio lasciuunt. Cui respondeo: Inter alias Ecclesiasticas ceremonias quibus visibilibus signis* (ait S. Dionysius Areopagita D. Pauli discipulus) *diuinissimi Principes nostri, Apostoli & Apostolici viri, Sacramenta texerunt, & sub humanis imaginibus res diuinas tradiderunt, & in materiali figura spiritualem maiestatem repræsentarunt, hanc quoque ceremoniam ad Christi Saluatoris in re non abfimi imitationem usurpatâ histrio Calvinus irridet. Quo exemplo monemur, nullum esse licentie modum, ubi arrogantes hæretici in Dei mysterijs pro suo arbitrio irridendis improbè & petulantèr lasciuunt.*

De Sacr.  
lib. 1.  
cap. 1.  
Ceremo-  
nia baptis-  
malis  
faciliter  
repre-  
sentat.

Ecclef.  
Hierat.  
cap. 1.

## IN MARCI CAP. 10.

21. *Et intuitus eum Iesus, dilexit eum.*

**C**ALVINVS hic alio longè oculo intui-  
 tus Catholicos, quàm hunc adolescentè diuitem Dominus intuebatur, calumniatur & irixatur in eos. Nā Dominus eum intuitus utrumque superbum & hypocritā (sicuti Calvinus vult) certe auarum adhuc, & diuitiarū amore captum, dilexit tamen, veluti discendi ac proficiendi cupidum; sicuti apud Mattheū explicatum

G g à no-

à nobis est: Calvinus verò ad Catholicos & Doctores Scholasticos oculos suos conijciens, quos nouit ea quæ docent ac disputant, non definiendi animo sed discendi ac proficiendi studio docere ac disputare, suū in eos odij ac maleuolentiæ venenum expuit. *Quòd hinc (inquit) colligunt Papistæ opera moraliter bona (quæ non sunt Spiritus instinctu, sed regenerationem præcedant) de congruo mereri, nimis puerile commentum est.* Cui eius venenatæ calumniæ hoc breue antidotum apponimus. Quòd ait Papistas meritum congrui asserere in operibus moraliter bonis, impostorem agit: quum hæc paucorum admodum Scholasticorum, vt Scoti & qui eum sequuntur, sententia fuerit; cui multo & plures & probatiores Scholastici semper restiterunt; non autem vel Catholicorum & theologorum vlla constans & communis sententia, vel Ecclesiæ Catholicæ, quam Papistarum nomine à lectore suo intelligi vult, maximeque à Sede Apostolica approbatum dogma. Meritum bonorum operū quæ diuini Spiritus instinctu & gratia à regeneratis exercentur, docet Ecclesia Catholica, & definiuit Concilium Tridentinum: merita operū quæ moraliter tantum bona essent, nunquā docuit. Meritum ex congruo quo ad opera purè moraliter bona, paucissimi docuerūt, & est illa sententia à grauissimis theologis refutata, quū neque dispositio esse queant ad primam gratiam. Aliud quoddam meritum de congruo in operibus ex Dei auxilio speciali profectis, quæ ipsam tamen iustificationē præcedunt, vt in actibus pœnitentiæ, fidei, charitatis, sp̄ei veniæ, quos peccatores nondū regenerati vel reconciliati exercent, aliqui Scholastici posuerunt, quatenus ad ipsam iustificationē verè ista disponunt, & illorū rationē Deus frequenter

habet.

habet. Modus tamen iste loquendi grauioribus theologis displicet, & hodie reijcitur à plerisque. Imponit igitur lectori Calvinus quū ait Papistas in operibus moraliter bonis meritum de congruo asserere.

Deinde quòd ex hoc loco istud meritū ab illis colligi ait, puto eum insigniter more suo mentiri. Nam inter varia huiusmodi Scholasticorum argumenta à varijs diligenter collecta, istud argumentum nusquam inuenire potui. Neque ad rem facere potuit. Opera enim huius adolescentis diuitis, qui Dei mandata ab adolescentia sua se seruasse profitebatur, & quem sic profitemem Iesus intuitus dilexit (qui certè in re tanta mentientem non dilexisset amanter intuitus, sed aut vultu saltem tristiori mendacium castigasset, aut vultū ab eo auertisset) non erant purè moraliter bona, sed in fide vnus Dei facta, & ad Dei cultū vitamque æternam consequendā suscepta. Huius enim adipsiscendæ modum à Christo petebat, & ad hunc finem seruasse se mandata professus, adhuc rogabat: *Quid adhuc mihi desit?* Nō erant igitur eius opera pure moraliter bona ex solo rationis dictamine profecta, veluti ab ethnico & ad finem tantū naturalem destinata. Quare ex hoc loco hoc meritum de congruo nulla probabili apparentia colligipoteuit. Sed solet Calvinus, vt Catholicam & orthodoxam fidem ludibrio exponat, insulsa illi & stupida argumenta affingere, homo conscientie cauteriatæ, & qui posuit mendaciū spem suā.

Videamus tamen quā firmo argumento hanc collectionem euertit Calvinus, qui tam insulas collectiones alijs affinxit. *Nam (inquit) si ex amore Dei inferatur meritum, ranas & pulices dicemus mereri: quia Deus sine exceptione creaturas omnes amo-*

Opera  
quæ de  
congruo  
merentur.

Math. 19

Caluinū  
nequitia.

*Te prosequitur.* Quasi verò idem esset amoris gradus quò Deus quaslibet creaturas amat, & quo opera moraliter bona in peccatoribus & incredulis prosequitur, quum ethnicorum opera moraliter bona varijs beneficijs & premijs Deus remuneret, quod in Romanorum civili iustitia & æquitate

De Ciuit.  
Dei lib. 5.  
cap. 15.

Deum cumulatè præstitisse Augustinus sapienter annotauit. Quæ sanè amoris in Deo differentia longè maxima, collectionis vtriusque discrimen longè maximum ostendit; eius videlicet quam Catholicis Calvinus affingit de merito operum moralitèr bonorum quia talia opera Deus amat, & eius quam veluti similem Calvinus adiunxit, mereri quoque ranas & culices quia Deus illas amat. Amat Deus quaslibet creaturas ad hoc vt sint, & in esse suo conferuentur. Amat in hominibus necdū regeneratis opera quædā moraliter bona, ciuilia, & honesta, non solum ad hoc vt homines sint ac viuant, sed etiam vt amplioribus Dei donis ac beneficijs humanæ naturæ consentaneis poriantur & gaudeant. Qui sanè Dei amor vt in huiusmodi beneficijs egregiè relucet, ita an ad maiorem Dei gratiam hominem disponere posset, quibusdam disputandi & examinandi materiam dedit. Quod autem Calvinus in sequen-

tibus de diuini amoris gradibus disputat, id omne à Catholicis magistris accipit, qui & hos gradus multo luculentius ac neruosiùs explicarunt. Adeò nihil hoc totum contra Catholicos, quos nuper suggillauit, facit.

IN

## IN MARCI CAP. 15.

39. *Videns Centurio quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.*

**E**XPONENS hæc verba Calvinus, ait non insolitum tantum vigorem qui ad mortem sive integer perstiterat, sed potius constantem in Dei nomine inuocando perseuerantiam à Centurione laudatam fuisse. Vt cunq; hic posterior sensus minus probabilis videatur, quum hic Centurio homo gentilis & incredulus de perseuerantia in Dei nomine inuocando parum sollicitus fuisse videatur, & altera expositio prior omnium ferè interpretum communis sit, & literæ conformior, quando ille clamor ab Evangelista notatus non de inuocatione sed de ipsa expiratione Christi loquatur (ait enim Marcus, *Emissa voce magna expirauit: videns autem Centurio quòd sic clamans expirasset*, id est, tam firmis lateribus & tanto corporis vigore quasi adhuc integer animā posuisset) tamen huiusmodi est, vt à Caluino tanquam verior delectus, contra aliam Caluini blasphemiam circa Christi Passionem imprimis faciat. Si enim constantem in Dei nomine inuocando perseuerantiam Christus tenuit, quod haud dubiè est verissimum; quomodo in verbis Christi paulo præcedentibus, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* vox desperationis Christo elapsa est, & horrore correptus quasi Deo aduerso iam esset exitio deuotus illa verba protulit, quæ omnia & retriora Calvinū Christo affingere ad illa verba super Matthæum declarauimus? Hæc ipsa Caluini confessio ad alteram illam blasphemiam

Caluini  
blasphemiam  
ex seipso re-  
futata.

Ad  
Matth.  
cap. 27.  
ver. 47.

miam eius refutandam sola sufficit. Illa quoque alia hominis impij verba, quibus ait, illa Marci verba tractās, *Pater, omnia tibi possibilia sunt*, Christo in horto oranti *nihil spei fuisse, ut in rebus deploratis fieri solet*, ex eadem hac eius confessione luculenter refutantur. Si enim constans in Christo erat in Dei nomine inuocando perseverantia, profectō semper erat in Christo spes firma (neq; enim Dei nomen inuocat, qui non sperat) falsūmq; & blasphemum est, *nihil spei Christo fuisse, sicut in deploratis rebus fieri solet*, quum in horto Patrem inuocaret. Ita ad Caluini blasphemias refutandas ipse nobis Calvinus sufficit: quia aliqua interdū vera etiam mendacissimus loquitur, & suorū alioqui mēdaciōrum magistri mendaces parū sunt memores.

## IN MARCI CAP. 16.

16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

De necessitate baptismi.

**R**EPETIT hoc loco Calvinus perniciosam illam doctrinā suam quam ad Matth. cap. 28. tradiderat, quod & illo loco annotauimus, contra baptismi à Christo instituti fructum ac necessitatem. *Tenendum (inquit) est, non ita necessariū requiri ad salutem baptismum, ut perire necesse sit quicumque eum adepti non fuerint. Neque enim hic fidei adiungitur tanquā dimidia salutis causa, sed ut testimonium. Fateor quidem hominibus necessitatem imponi ne signū gratiæ Dei negligant; sed quamuis pro eorum infirmitate talibus adiumentis utatur Deus, obstrictam esse eius gratiam nego. Hoc modo non simpliciter necessarium esse dicimus, sed tantū obedientiæ nostræ respectu. Hæc ille. Si quæ contra necessitatem baptismi scribit, aperte in adultis tantum locum habere significasset, quos aliquando in Christum credentes, & baptismum toto corde expetentes, necessitas aliqua ex hac vita*

vita sustulit, nihil præter sanam & orthodoxam veritatem dixisset. Tales quippe sola fide & voto baptismi saluari possunt, *ubi mysterium baptismi (ait Augustinus) non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. In his igitur & in hoc casu verum est, non ita necessariū requiri ad salutem baptismum, ut perire necesse sit, quicumque eum adepti non fuerint. In his & in hoc casu Dei gratia suis Sacramentis non astringitur. Denique in his & in hoc casu non est simpliciter necessarius baptismus, sed tantū obedientiæ nostræ respectu: qui sanæ obedientiæ respectus facit ut adultus sine baptismi voto ac desiderio etiam articulo necessitatis exclusi, saluus fieri nequeat. Cæterum Calvinus ut hoc tacet, ac silentio inuoluit, ita ea quæ scribit, generaliter intelligi vult; ut non solum adultus articulo necessitatis exclusus etiā absque expresso voto baptismi (potest enim nō contemnere baptismū, quod solum Calvinus exigit, sine expresso eius desiderio aut voto) sed etiā ut paruulus quisque Christiano parente ortus, qui votū baptismi concipere nequit, absque baptismi Sacramento saluari queat. Hos enim in ipso utero sanctificari, & propter illam solam promissionē Dei Abrahæ factā, *Ero Deus tuus & semini tuo*, (quasi Christus pro salute paruulorum nihil egerit, nullum remedium instituerit) saluari vult. *Non ideo (inquit) baptizantur infantes fidelium ut filij Dei tunc primū fiant: sed antequam nati sunt, adhuc in utero matris filij Dei censendi sunt: dicente Deo Abrahæ, Deus ero tibi, & semini tuo post te. In hoc verbo continetur eorum salus. Proinde si in omittendo signo nec socordia est, nec contemptus, nec negligentia, tuti ab omni periculo sumus. Hæc ibi Calvinus aperte, quæ in suo hinc commentario re-ctius & parcius dicenda sibi existimauit. Cæterū**

De bapt. con. Do. nat. lib. 4. cap. 22.

Caluini sententia de baptismo.

Institut. lib. 4. c. 15 num. 20. & 22.

pestilentis hujus doctrinæ Calvinianæ (quæ cum veteribus Pelagianis ex alio capite parvulorum baptismum superuacaneum facit) fundamentum in illa promissione Abrahæ facta positum supra ad Matthæi caput 28. refutatum reliquimus. Sanè si in illo verbo Abrahæ dicto *con-*  
*tinetur parvulorū salus, ut* Calvinus affirmat; profecto pro parvulis Christus mortuus non est, aut frustra mortuus est. Dicemus igitur contra Calvinum quod contra Pelagianos dixit August. *Id agit ista disputatio, contra cuius novitatem antiqua veritate nitendum est, ut infantes omnino superflue baptizari videantur. Sed aperte hoc non dicitur, ne tam firmata salubriter Ecclesiæ consuetudo violatores suos ferre non possit.* Hæc ille. Dicemus rursus cum eodem Augustino, quia communem hinc cum Pelagio causam Calvinus habet, imò deteriorem Calvinus quam Pelagius. Ille enim sine peccato originali parvulos fidelium parentum nasci putabat ex bono nuptiarum quas Christus sanctificavit, ubi aliquid saltim Christo tribuit ad salutem parvulorum. Calvinus sine peccato originali tales nasci vult quasi in utero sanctificatos propter verbum Dei Abrahæ olim dictum; & in parvulorum salute nullas partes Christo tribuit. Rursus ille saltem ideo baptizari parvulos voluit ut regno Dei potirentur, & de bono in melius transirent, quia vidit eos sine baptisimo à regno celorum excludi propter illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum celorum,* vita tamen quam beata eos frui posse iudicabat. Calvinus non nisi ad signum & testimonium salutis iam in utero adeptæ eos baptizari permittit, & Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* contra totius Ecclesiæ sensum & consensum, ad baptis-

Institut.  
lib. 4. c. 15  
num. 20.

De pecc.  
mer & re-  
miss. lib. 3  
cap. 12.

Calvini  
hæretis  
Pelagianæ  
deterior.

Ioan. 3.

mi

ni sacramentum nihil pertinere affirmat, ut eo in loco videbimus. Deteriorem igitur hinc Calvinus causam habet quam Pelagius, ut rectissime quæ contra Pelagium scripsit Augustinus, contra Calvinum multo fortius valere debeant. Ait igitur: *Quisquis dixerit quod in Christo vivificantur parvuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, profecto hic & contra apostolicam prædicationem venit, & tota condemnat Ecclesiam: ubi propterea cura baptizandis parvulis sistitur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari non posse.* Hæc ille. Rursus alibi: *Quis audeat dicere non esse Christum infantum Salvatorem nec redemptorem? Unde autem salvos fecit, si nulla est originalis ægrotudo peccati, aut si iam in utero matris sanctificati sunt, ut Calvinus vult? Nulla igitur ex nostro arbitrio præter baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingenijs præferenda.* Hæc ille. Et adhuc semel, *Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur nisi cum venerit ad baptismum. Quomodo non caruit Israel populo Aegyptiorum, donec venisset ad Mare rubrum; sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi quum ad fontem baptismi pervenerit.* Denique eum qui credit absque baptisimo peccatorum remissionem à parvulis obtineri posse, Catholicum esse negat. In eandem sententiam scribunt alij Patres omnes, nec quicquam est in totius consensu receptum, quam ad salutem necessarium esse baptismum, ut profana hæc Calvinii novitas merito ab omnibus explodi debeat. Baptisimum verò esse salutis causam effectricem per modum instrumenti, non signum tantum ac testimonium, ideoque & ad eam necessarium, latius contra Calvinum supra disputavimus. Alias horum verborum Marci corruptelas hæreticas,

Epist. 28.

De pecc.  
mer. &  
remiss.  
lib. 1. c. 23

Tract. 13.  
in Ioan.

De Orig.  
animæ  
lib. 3. c. 2

Ad  
Matth.  
cap. 28.

tam à Caluino quam ab alijs hæreticis traditas, vide in Promptuario nostro Catholico reuulſas & repurgatas.

In feſto  
Aſcenſ.  
Domin.

19. *Assumptus eſt in cælum, & ſedit à dextris Dei.*

**H**ANC Euangelij literam nouo quodam & portentoso ſuo fermento Caluinus corrumpit. *Perinde* (inquit) *hoc eſt ac ſi vocetur Dei vicarius, qui eius perſonam ſuſtinet. Quare locum aliquem imaginari non conuenit, quum metaphorici dextera ſecundam à Deo poteſtatem ſignificet.* Ad dexteram quidem Dei ſedere, ratione ſitus ex parte Dei, non niſi metaphoricè dici, ſanum, orthodoxum, ac receptum ab omnibus theologis eſt. Cæterum in Chriſti ſeſſione nullam locum imaginari, nihil eſt aliud quam Chriſti corpus in cælo negare, & articuluſ de Aſcenſione Domini è ſymbolo eradere. Et ſane portenti inſtar eſt, Caluinum Chriſto in cælis locum negare, qui localem illam Chriſti in cælis præſentiam cum tota reliqua ſecta Sacramentaria, contra præſentiam veram ac realem corporis Chriſti in venerabili Euchariftia (quam à nobis localem poni ſtultiſſimè cauillantur) toties, tam conſtanter, tam fortiter obijcere & allegare ſolent. *Carnem* (inquit alibi Caluinus) *carnè eſſe oportet, ſpirituſ ſpirituſ: vniquodque quæ à Deo lege & conditione creatum eſt. Ea verò eſt carnis conditio, vt vno certoque loco, vt ſua diſenſione, ſua forma conſtet. Ea conditione carnem induit Chriſtus, cui, teſte Auguſtino, incorruptionem quidem & gloriam dedit, naturam & veritatem non abſtulit. Si vno certoque loco caro conſiſtit, & carnis naturam à ſua carne glorificata Chriſtus nõ abſtulit; quomodo à Chriſti corpore in cælo ſedente, locum omnem tollit Calu-*

Aug. de  
Symb.  
lib. 1. c. 4.  
& lib. 2.  
cap. 7.

Caluinus  
ſibi con-  
trarius.

Inſtitut.  
lib. 4. c. 17  
num. 24.

uinus? *Locum* (inquit) *aliquem imaginari non conuenit.* Rurſum cõtra Vbiquitarios diſputans Caluinus ita ſcribit. *Aliqui corpus Chriſti infinitum eſſe conſingunt, nec villo ſpatio contineri, ſed implere cælum & terram inſtar diuinæ eius eſſentiæ: quod ſigmentum abſurdius eſt quam vt refutatione egeat. Si abſurdum eſt nulla refutatione dignum, Chriſti corpus in cælo nullo ſpatio contineri, abſurdum quoque ſimile erit, omnem illi locum negare, quod hic Caluinus facit. *Locum* (inquit) *aliquem imaginari non conuenit.* Adhuc ſemel Caluinus ad illa verba Pauli, *Qui aſcendit ſuper omnes cælos vt impleret omnia*, ita ſcribit: *Quum dicitur Chriſtus in cælo eſſe, non ſic accipere debemus quæſiſſe ſi ſedeat inter ſphæras vt ſtellas numeret, ſed illic cælum ſignificat locum ſphæris omnibus ſuperiorem, qui poſt reſurrectionem filio Dei eſt deſtinatus: non quòd propriè locus ſit extra mundum, ſed quia de regno Dei loqui niſi more noſtro non poſſumus. Si ergo cælum quo Chriſtus aſſumptus eſt, ſignificat locum filio Dei deſtinatum, quare locum aliquem Chriſto in cælis negat? Neceum à contradictione liberat, quod propriè locum in cælo eſſe negat, à nobis autem locum vocari quia more noſtro de regno Dei loquimur. Ob hoc ipſum enim neceſſe eſt, corpori Chriſti in cælo aliquem locum imaginari, quia aliter loqui non poſſumus. Poſtremo quomodo Caluinus, Beza, & alij Sacramentarij, ex illis Petri verbis, *Quem oportet cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium*, concludunt *Chriſti corpus cælo contineri* (ſicuti & loco ad Ephes. citato loquitur Caluinus) nec poſſe à cæli loco abeſſe, ſi nunc corpori Chriſti *aliquem locum in cælo imaginari* fas nõ erit? Quis non videt manifeſtam eſſe tum contradictionem, tum etiam præſentis loci corruptelam? Cæterum Chriſtus in cælo eſt ſecundum corpus ſuum**

In 1. Cor.  
11. ver. 24

In Com-  
ment. ad  
Ephes.  
4. 10.

AQ. 3. 21.

476 ANTID. EVAN. IN MARCI CAP. 16.  
 suum naturale & glorificatum, non quidem in  
 loco qui continentia indigeat corporis caelestis,  
 quum extra & supra omnes caelos continentes  
 sit, nec etiam in loco generationis & corruptio-  
 nis, sicuti nostra corpora locantur & continetur,  
 sed est in certo loco iuxta naturalis sui corporis  
 dimensionem, sicuti & beatorum corpora in caelo  
 erunt extra mundianam hanc machinam simul  
 cum capite Christo, qui membra sua praecessit ut  
 pararet eis locum; & in domo Patris sui multas esse mansio-  
 nes, multa loca, affirmavit. Quare corpori Christi  
 in caelos assumpto locum aliquem imaginari adeo  
 convenit; ut qui illi locum neget, tum varijs  
 Scripturis contradicat, tum verum & naturale  
 Christi corpus tollat, tum denique Ubiquitatis  
 & Eucharistiae heresi necessario suffragetur. Sed  
 hoc stupore & vertigine iusto Dei iudicio fe-  
 riuntur, qui in divinis Scripturis licenter versa-  
 ri, & omnia pro libito ac libidine propria effu-  
 tire volunt.

Joan. 14.

Antidotorum super Euange-  
 lium D. Marci  
 FINIS.



ANTIDOTA  
 EVANGELICA IN EVAN-  
 GELIVM SECUNDVM LVCAM.

CAP. I.

6. Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omni-  
 bus mandatis & iustificationibus Domini sine  
 querela.



HAEC hic locus plurimum  
 contra pestilentes horum tem-  
 porum haereses. Primum enim  
 docet, observari posse omnia  
 mandata Dei; quod a nemine  
 unquam praestitum fuisse per-  
 petuo urgent horum temporum  
 haeretici, Calvinus maxime. Hic enim duo sunt  
 qui (si verum Scriptura dicit) in omnibus Dei mandatis  
 ambulabant, id est, ea omnia servabant: eo sane sen-  
 su quod observari omnia a viatoribus possunt ac de-  
 bent, & quo ea servanda esse Catholica docet Ec-  
 clesia. Secundo docet hic locus, ex mandatorum  
 observacione hominem iustum fieri seu iustifi-  
 cari coram Deo. Quum enim Evangelista dixisset  
 illos fuisse iustos coram Deo, id est, vera iustitia quae  
 apud Deum talis habeatur, causam & modum un-  
 de fue-

Tria fidei  
 docu-  
 menta.

Iustitia  
 operum.



de fuerint iusti, subiungit: *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela*. Tertio docet hic locus, iustitiam bonorum operū coram Deo talem esse, & sic in omnium mandatorū obseruatione consistere, vt à grauioribus tantū peccatis immunis sit; nō quōd tam exacta obseruatio necessariō requiratur quæ cum nullis leuioribus peccatis consistat. Ideo enim adiecit Euangelista, *Sine querela*: id est, vt S. Augustinus iuxta alias Scri-

pturas sapienter exponit, sine crimine aut lethali peccato. *Multi* (inquit) *iusti dicti sunt sine querela, quod intelligitur sine crimine. Nulla enim querela iusta est de his in rebus humanis qui non habent crimen. Crimen est peccatum graue, accusatione & damnatione dignissimum.* Vnde

In lib. de perfect. iustitiæ.

& alibi distinguit: *Aliud est esse sine peccato, quod soli Christo competit; aliud sine querela, quod de multis iustis in hac vita dici potuit.* Sic hunc ipsam locum idem sapientissimus Doctor alibi exponit, vbi & simile

De pecc. mer. & remiss. lib. 2. c. 13 Philip. 3. Philip. 2.

Apostoli de seipso confessionem introducit. *Conuersatus secundum iustitiam quæ ex lege est, sine querela.* Sed & ipse in eadem epistola Apostolus ad similem iustitiam alios hortatur. *Ut sitis sine querela, & simplices filij Dei sine reprehensione.* Rursum in alia epistola quam de seipso dixisset, *Vos testes estis, & Deus, quam sancte, & iuste, & sine querela vobis qui credidistis, fuimus.* Inuilem iustitiam alijs precatur, dicens.

1. Theff. 2

*Ipsæ autem Deus pacis sanctificet vos per orania, vt integri spiritus vester, & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Eandem illis precatur iustitiam ac sanctitatem quam de Zacharia & Elifabeta testatur Euangelium.

1. Theff. 5

Contra hunc locū mirè recalcestrant hæretici. Aliqui volunt istos fide iustos fuisse, quia gratis Deo propter mediatorem placuerunt: quæ autem de mandatorū obseruatione subiunxit Euange-

Hæreticorū pugna.

lilla,

lilla, ad iustitiam coram Deo non pertinere. Sed hos homines in alienū sensum Lucæ verba torquere ipse Calvinus affirmat. Is verò vt Catholicos alia via refellat, respondet hanc iustitiam Zachariæ & vxoris eius à *iustitia fidei fluere & illi subordinari, idcoq; alteri à nobis opponi nō debere.* Sed hæc responsio nulla est. Nō enim iustitiā operū iustitiæ fidei ex hoc loco nos Catholici opponimus, sed alterā eū altera cōiungimus, vt iustitia nostra corā Deo nō ex sola fide, sed etiam ex mandatorum obseruatione consistat. Hanc isto loco fateri & agnoscere videtur sanè prima facie Calvinus. Ait enim *veram esse hanc definitionē, Iustos esse qui vitam suam formant ad legis præcepta.* Postea quoque ostendit non propterea Christi gratiam esse superuacaneā tametsi plena legis obseruatio vitam confirmit, quia ad hanc legis obseruationem accedit gratuita reconciliatio per Christum, & quotidiana venia qua illis peccata ignoscit. Hoc certè totum orthodoxe diceretur, si in illa gratuita reconciliatione renouationem internam quæ ab altera nunquā se iungitur, completeretur, & de peccatis ac defectibus iustorū minutoribus, quibus quotidiana venia præstatur, loqueretur. Sed vaser hæreticus nihil horū intelligit. Ait enim. *Iusti ergo & irreprehensibiles censentur, quoniam tota eorum vita testatur eos iustitiæ addictos esse, regnare in illis Dei timorē, dum quodlibet sanctitatis exemplar. Sed cum à perfectione longe distet, & piū eorum studiū, non potest sine venia placere Deo. Quare iustitia quæ in illis laudatur, à gratuita Dei indulgentia pendet, qua fit vt quod reliquum est in ipsis iniustitiæ non imputet.* Attende impostoris verba. Vult in ipsis iustis aliquam adhuc iniustitiam manere. Hæc iniustitia est ipsa legis transgressio apud Calvinū, quia videlicet ex eius sententia quodlibet vel minimū peccatū est vera legis transgressio, & legem nemo

Iustus in  
sensu  
Caluini  
quis.

Rom. 7.  
Ver. 19.

Beza Cal-  
uini hy-  
pocritam  
dixerit.

Rom. 4.

1. Cor. 4.

Gal. 2.

Psal. 143.

nemo potest seruari. Rursū dicit eos cēseri iustos quia iustitiæ addicti erant, & Dei timor in illis regnabat. Iustus quippe iuxta Calvinū est, qui studium bene agendi cum aliquo Dei timore non deposuit, tamen si hoc eius studium boni desiderij effectum non sortiatur, id est, qui nōdum in profundo positus contemnit: vt ad Rom. cap. 7. alijsque varijs in locis aperte eum docere docebimus. Quare & quum hīc dicit, *pium iustorū studium longe à perfectiōne distare*, perfectiōnis vocabulo ipsam iusti operis executionē intelligit. Sed maluit hīc hypocritam agere propter præsentis loci euidentiam, quā impiam suam sententiam loco alieno proferre.

Sed Theodorus Beza magistri sui mentē (quem doctissimū interpretem semper vocat) optimē tenens, omni deposita larua, alias hoc loco Scripturas opponit, quæ iustitiam operū damnare videntur, vt illud: *Abraham si ex operibus iustificatus est, gloriam apud homines habet, non apud Deum*. Item illud: *Nullius mihi conficius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Rursū illud: *Si ex lege iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*. Quæ omnia suis locis exposuimus, & contra iustitiam operum in fide nihil facere ostendimus. Opponit & illud: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Cui loco breuiter respōderi potest: Si nemo coram Deo iustificabitur, ergo nec per suā nec per alienā iustitiā ipsi imputatā, nec per opera nec per fidem aliquis iustificabitur, ac per hoc nō operū tantum sed & fidei iustitiā, ipsaq; imputatiuam, hic locus excludet. Si autem fidei iustitia his verbis non excluditur, profectō nec operum fidei iustitia excludetur: quum eadem sit ratio radicis & fructuum, Scriptura quoque non fecus bonis operibus quā fidei iustitiā tribuat. Cæterū quod dicit Propheta Dauid, nec fidei nec

ope.

operum iustitiam veram excludit. Illud tantum docet, in Dei iudicio, qui omni prorsus peccato caret, neminem mortalium qui peccatores omnes sunt vel fuerunt, pro iusto haberi posse, si iuxta iudicium & mensuram iustitiæ diuinæ in examen vocentur. *Aperta sententia est*, (ait Augustinus) *de superiori versu illustrius declarata. Non intres* (inquit) *in iudicium cum seruo tuo, hoc est enim: Noli me iudicare secundum te, qui es sine peccato. Et quod ait, Nō iustificabitur, ad illam iustitiam retulit, quæ in hac vita non est*. Hæc ille. Eodem modo explicat lib. 2. cap. 19. de pecc. mer. & remiss. & de nat. & grat. ca. 60. Vide quoque Bernardum serm. 7. de verbis Esaiæ; qui & ipso Angelos hoc versu Prophetā completi scribit. Illi enim iusti sunt, sed ex Deo, nō corā Deo; & Dei munere, non in Dei comparatione; qui sic iustus est vt ipsa simul iustitia sit, nec vllum admixtum peccatum habeat, Comparationē igitur statuimus non in sensu Pelagiano, quasi omni prorsus peccato homo careat, & solum secundum minus à Dei iustitia differat, sed ita imperfectam vt etiam in scientia Dei & verè imperfecta sit.

In lib. de  
perfect.  
iustit.

Vide Hier-  
ron in  
Hierem.  
cap. 31.

28. *Aue gratia plena, Dominus tecum, &c.*

**V**ERBA hæc & verborum in Ecclesia Catholica vsus corrumpunt & exagitant hæretici. Negāt vocabulū Lucæ *χαριτωμένην* significare, *Gratia plena*, sed, vt Calvinus vult, *gratiā consecuta*; vt Beza verit, *gratis dilecta*; vt Erasmus peruertit, *gratiosa seu pulchra*; vt Castalio transtulit, *accepta*. Cæterum verbū *χαριτωμένην*, vnde hoc participium passiuum deriuatur, significat propriè, *gratia replere*, vt Chrysostomus græcus docet in commen. ad Ephes. cap. 1. hom. 2. vbi Pau-

H h  
lus

lus eodē verbo vsus dicit, quōd *Deus nos in Christo*  
*ἐχαρίτωσεν*, gratia repleuit, seu varijs gratiæ donis  
 tibi gratos effecit; quæ ibi multa commemorat  
 Chrysoſtomus. Eodem quoque in loco verba  
 Christianorum quibus diabolo renunciant & cæ-  
 lestia laudât, vocat Chryſost. *ἐπιπλήρη χάριτος*,  
*verba gratia plena*. Vocatur autem ab Angelo gratia  
 plena tum propter futuram filij Dei conceptio-  
 nem & partum, vt exponit Ambros. lib. 1. cap. 2. in  
 Lucam, Hieron. in epist. ad Principiam Tom. 5.  
 Athanasius in Euangel. de sanctiss. Deipara, &  
 August. hom. 44. ex hom. 50. tum etiam quia iam  
 ante hanc Angeli vocē (quæ non erat operatoria,  
 sed partim indicatiua, partim, vt iam dictū est,  
 prænunciatiua) & post ipsum partum semper erat  
 omnibus virtutibus plena, nullius peccati rea. Sic  
 plenam gratia fuisse docet Augustinus serm. 9. de  
 temp. & de sancta virginis. cap. 4. & D. Bernardus  
 homil. 3. super, Missus est. Idque omnino tum ita  
 fieri oportuisse, quia ad finem excellentissimum  
 ordinata; tum sic fuisse, quia principio gratiæ ma-  
 ximè erat propinqua; scitè probat S. Thom. 3. p.  
 q. 27. art. 4. & 5. Cetera circa hunc locū, & de huius  
 Salutationis Angelicæ recitatione quotidiana,  
 cōtra hæreticorum cauilla vide in Prompt. Cath.  
 in festo Annunciationis B. virginis.

Cauillationes tamen Caluini ad hunc locum  
 positæ breuiter diluendæ sunt. Contra inuocatio-  
 nem huius beatiss. virginis sic disputat, *Cum tota*  
*Maria excellentia sit mera Dei liberalitas, plusquam præ-*  
*postere faciunt qui ab ea petendum docent, quod aliunde nos*  
*bisum habet*. Argumenti absurditas ex simili appa-  
 rebit. Tota diuitum in hoc mundo abundantia &  
 copia mera est Dei liberalitas: ergo plusquā præ-  
 posterè faciunt qui à diuitibus subsidia tempora-

lia

lia petunt, quæ illi aliunde nobiscum habent: id  
 est, quæ illi à Deo accipiunt haud secus quā nos.  
 Contra huius Salutationis Angelicæ vsus & re-  
 citationem quotidianam ita disputat. *Nimis crassa*  
*inficitia Papista salutationem hanc quasi magico exorcismo*  
*in præculam verterunt*. Responde, Salutationē Ange-  
 licam esse ex natura sua orationem laudatoriam,  
 vt docet Athanas. in oratione in Euang. de San-  
 ctiss. Deipara, & hac ex parte gratiarū esse actio-  
 nem, sicut tam multi Psalmi sunt; esse quoque per  
 modū insinuationis precationem, sicut illa ver-  
 ba Ioan. 11. *Ecce Domine, quem amas, infirmatur*, vt do-  
 cet August. tract. 49. in Ioan. Addit Caluinus. *Aliud.*  
*Atque eo prorupit vsania, vt concionatoribus fas non*  
*sit Spiritus gratiam pro suggestu petere nisi per suum Aue*  
*Maria*. Videte stupidum Caluini argumentum.  
 Concionatores solent hoc facere, ergo non est fas  
 illis aliter facere. Nec aliqua lex cogit eos hoc  
 facere, sed pia consuetudo; nec illa consuetudo  
 alios modos aut alias preces excludit quibus  
 Spiritus S. gratia petitur, sed inter alias hæc vna  
 est, eaque tanto illo tempore aptior quanto &  
 breuior, & propter beatiss. virg. excellentiam,  
 cuius intercessio expetitur, efficacior est. Dispu-  
 tat adhuc Caluinus & dicit. *Atqui præterquam quod*  
*sola gratulatio hic habetur, temere sibi alienum officium*  
*vsurpant, quod Deus non nisi Angelo iniunxit. Bis au-*  
*tem stulta emulatio quod non nisi absentem salutant*.  
 Ad iungula tria responde. Ad primum: si esset 1.  
 sola gratulatio, piè tamen hoc solo nomine  
 vsurpari. Piè enim illa dicimus aut repeti-  
 mus, quibus de Sanctis atque amicis Dei erga  
 ipsos beneficia gratulamur. Quæquam ista gra-  
 tulatio beneficium Dei spectat non soli B. virginis  
 sed toti humano generi collarū. Ideo enim adij-  
 citur,

Hh 2

cur, *Et benedictus fructus ventris tui*. Deinde non est sola gratulatio, sed est pro maximo beneficio incarnationis Dominicæ gratiarum actio, pariterque precatio, ut iam dictū est. Ad 2. resp. alienum officium hic non vsurpari; primū, quia et si soli Angelo hoc Deus iniunxit, tamen ne eadem verba ab alijs repeterentur non prohibuit: secundū, quia quod Deus Angelo iniunxit, hoc nemo nunc facit, id est, nemo futurum virgini partum annuntiat; sed ut illud procerium Angelicū perpetuū verū est, sic perpetuū à pijs affirmari potest.

3. Tertio, quia et si solis Angelis iniunctū videtur ut Christo recenter nato cantarent, *Gloria in excelsis Deo*, &c. tamen eadem verba à pijs rectè vsurpari nec ipse Calvinus negauerit. Postremum quod dicit, infidelitatis Calvinianæ argumentum est, qui Sanctos in celo regnantes pro mortuis habet, & mortuos vocare solet. Si enim apud Deū Sanctos viuere Calvinus credit, facile intelligeret illos nobis non esse semper absentes, sed quādo piè invocantur, presentissimos, sicut Paulus *corpore absens, spiritu presens erat* in excōmunicando Corinthio fornicario, & Elizeus *spiritu presens erat* quum feruus eius Giezi munera acciperet à Naamā Syro: nisi fortè dicant hæretici ad puniendos malos Sanctorum spiritus adesse, & ad iuandos pios adesse non posse.

1. Cor. 5.  
4. Reg. 5.

34. *Quomodo fiet tibi istud? quoniam virum non cogit.*

Votum  
B. Virginis.

**B**EATISSIMAM virginem virginis votum ante Angeli salutationem iam dudum voti hæc verba confirmant: quod his verbis ostendit S. Augustinus. *Virginitatem*  
Maria

*Marie Deo dedicatam indicant verba quæ sibi factum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. quod profectū non diceret, nisi Deo virginem ante vouisset.* Hæc ille. Idem docet Greg. Nyss. in serm. de Natiuit. Domini. Nempe proflus inceptè & impertinenter hanc difficultatem proposuisset, si ad futurum respexisset; id est, quod virum nunquam esset cognitura: maxime dicente Angelo, *Ecce concipies in vtero*, & non dicente, *Ecce concepisti in vtero*. Idem alij Patres ex hoc loco colligunt. Recalcitrat tamen Calvinus & ait. *Quod ex eius verbis suspicari sunt quidam perpetua virginis conceptum habuisse votum, nimis infirmum est, imò profus absurdum. Perfide enim passa fuisse se marito collocari, sanctumque coniugij fedus non sine Dei ludibrio profusa. Nec ipsi Papistæ permittunt uxori continentiam vouere suo arbitrio. Deinde puerile commentum est, monachismum fingere inter Iudeos.* Hæc ille. Sed ad hoc totum argumentum variè olim responderunt Patres, quos omnes contemnit Calvinus ut homines absurdos & pueriles. Nullum inter Iudeos fingunt Patres monachismum, nec B. virgo ex more Iudeorum continentiam vouit, sed ex singulari sua pietate ac puritate hoc fecit, nesciens se Dei matrem futuram, sed ex puro Dei amore pura eius sponsa fieri desiderans. Totum hoc pulchrè docet S. August. *Quia (inquit) virginis votum Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violenter ablaturus, sed potius contra violentos custodituro quod illa iam vouerat. Poterat quidem et iuberi virgo permanere in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet, sed exemplo sanctis futura virginibus virginis votum Deo dicunt, quum adhuc quid esset conceptura nesciret.* Desponsata igitur B. virgo, & tamè continentiam vouens, nec ipsi coniugio

Lib. de  
virginæ.  
cap. 4.

Calvinus  
contra  
Patres.

nec viro suo iniuriam fecit, vt colligit Calvinus. Non viro, quia illo planè conscio & consentiente hoc fecit, qui illam non nisi ad virginittatis custodiam accepit. Non ipsi coniugio, quia ad essentiam coniugij non copula carnalis (vt putare videtur Calvinus) sed obligatio mutua pertinet. Ideoque coniuges esse non desinunt qui ex mutuo consensu à copula carnali siue ad tempus (vt Paulus hortatur) siue in perpetuum abstinent: de quo lege August. lib. i. cap. ii. de nupt. & concupisc. Deinde si fœdus coniugij violauit B. virgo vouens continentiam, vt Calvinus ait, debuit secundum eum etiam post filij Dei partum viro copulari. Atqui hoc ipse Calvinus non admittit, qui eius perpetuam virginittatem asserit. Videre ergo debuit, quòd sicuti conscio & consentiente viro perpetua virgo fuit de factò, sic eodem conscio & consentiente hanc perpetuam virginittatem vouit, sicuti eius ad Angelum verba manifestè conuincunt. Quid ergo ad hæc verba Calvinus? *Soluendum* (inquit) *est obiectum illud quòd virgo in futurum tempus respiciat, idcoque significet nullam sibi fore cohabitationem cum viro. Hæc verò coniectura & probabilis est & simplex, quòd rei magnitudo vel potius maiestas virginem perculerit, vt sensus omnes admiratione ligatos haberet ac restrictos. Quam audit nasciturum esse Dei filium, aliquid non vulgare concipit: atque hæc ratio est cur coitum virilem excludat. Hinc attonita exclamat. Quomodo erit istud?* Hæc Calvinus (vt vocat) coniectura aliquid probabile sonaret, si tantummodo dixisset, *Quomodo mihi fiet istud?* Hæc enim admirantis vox est, & ad magnitudinem futuri partus referri potest; quem quia diuinum fore audiebat, merito interrogare potuit quomodo illa creatura simplex & vulgaris Dei filium & in domo Iacobre-

2. Cor. 7.

Calvinus ex seipso refutatur.

Calvini coniectura ex textu refellitur.

gnaturum parere posset. Nunc autem non hoc tantum dicit, *Quomodo mihi fiet istud?* neque ibi terminatur interrogatio, sed in causa admirationis quam subnectit. Addit enim suæ admirationis causam, *Quoniam virum non cognosco.* Non dicit, *Quia pauperi & vulgari viro despõlata sum, quasi quæ tam nobilem partum generare se posse admiratur;* sed dicit, *Quia viro non sum copulanda, nec viri coitum expertura.* Quomodo igitur concipiam & pariam? Et ad hanc questionem respondet Angelus, ostendens quòd loco virilis seminis *Purissimæ virg. de superueniet in eam & illabatur Spiritus S. & loco virilis amplexus obumbrabit & complexabitur illam virtus altissimi:* vt sit propterea de sua virginittate securus; cui soli metuebat purissima virgo, audita partus mentione; & conseruandæ virginittatis studio hanc questionem proposuit, quasi quæ nec propter filij Dei partum futurum, virginittatis suæ propositum violare libenter voluerit. Assensum itaque suum cohibuit ac suspendit, donec de eius conseruatione aliquid certum haberet. Quæ quidem virginittatem suam vbi ex Angelo integram sibi mansuram intellexisset, quia viri officium Spiritus S. & virtus altissimi suppleret, ipsoque Elizabethæ sterilis & vetulæ exemplo proposito, etiam virginem parere posse intelligeret, cõfestim absq; vlla alia difficultate assensum suum præbuit, dicēs: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Non ergo magnitudo partus aut ipsius magnitudinis admiratio ratio est, *cur coitum virilem excludat,* vt Calvinus comminiscitur, ne sanctæ virginittatis propositum in purissima virgine fateretur; sed partus ipse futurus, quem sine coitu virili fieri posse necdum intellexerat, ratio fuit cur coitum virilem à se remoueat, dicens, *Quoniam virum non cognos-*

Purissimæ virg. de conseruanda sua virginitt. anxietas.

*scō, id est, virum non sum cognitura, vt Beza hoc loco vertit. Nuptura igitur erat sine proposito confu-  
mandi matrimonij. Sic efficaciter & necessariò  
probat hic locus votum virginittatis à B. virgine  
conceptum firmiterque decretū fuisse, antequam  
eam Angelus salutarer; & conuincuntur impij  
hæretici, qui huiusmodi votum à nemine emitti  
posse aut debere dogmatizant.*

Alia Bezae  
corrupte-  
la reij-  
citur.

Beza Caluinum hoc loco se sequi profiteretur,  
quem & *optimum suum parentem, & præstantissimum  
theologum* vocat, & hunc esse sensum ait: *Quandæ  
quidem in eo quod polliceris, nullus locus est vulgari & con-  
suetæ matrimonij coniunctioni, age, qua tandem ratione fiet  
quod narras?* Fingit ergo Beza B. virginem de no-  
ua partus ratione inquirere, eo quòd in tam ex-  
cellenti partu, vulgari & consuetæ matrimonij  
coniunctioni locus non sit. Atqui nec hic sensus,  
Caluini commento parum conformis, verbis  
B. virginis quadrare potest. Non enim querit no-  
uam partus rationem, sed omnem à se futurum  
partum excludit. Non dicit, quomodo sine viri  
copula pariam: quæ est cõsuetæ matrimonij con-  
iunctio: sed dicit, quomodo concipiam in vtero,  
& pariam filium: quia viri copulam non sum ex-  
pertura. Notandum quod dicit virgo, *Quomodo fiet  
istud?* id est, res ipsa quam narras, partus quæ mihi  
annuncias. Non dicit, *Quomodo fiet tale, talis  
partus, aut tantæ prolis cõceptus?* Dicit *τοῦτο* non  
*τοῦτο*. Simpliciter de partu interrogat, sicut causa  
interrogationis subiuncta demonstrat, *Quia virum  
non sum cognitura* id est, quia ab omni partu sibi alie-  
na. Nam B. virginè de aliquo alio partus genere  
quàm de virili & consuetæ adhuc cogitasse, inani  
planè & futile coniectura est. Deinde si de  
nouo partus genere præter virilem & consuetum  
in-

interrogaret, non fuisset opus addere, *Quia virum  
non cognosco.* Nihil enim hoc ad rem faceret. Sine  
enim virum cognitura fuerat, siue nor, nouus il-  
le partus præter viri commercium, locum habe-  
re potuisset. Ita planè B. virginis quæstionè, dum  
verum eius & germanum sensum peruertunt hæ-  
retici, futilem & absurdam & impertinentem  
sensum habere conuincit. Quam etiam quæstio-  
nis absurditatem innuere vult Caluinus, dum ait  
virginem ita percussam & attonitam fuisse, *vt  
sensus suos omnes admiratione ligatos & constrictos habe-  
ret.* Vult ergo illam quasi vix sui compotem sine  
sensu & iudicio quæstionem proposuisse. Hæc est  
Caluini impietas, quam sese libenter imitari pro-  
fiteretur Beza. Talem enim certè quæstionis sen-  
sum excogitarunt, qui nihil ad rem præsentem fa-  
ciens, minimèque coherens, verè sine sensu pro-  
lata videatur. Cæterum beatiss. virgo absque vl-  
la sensuum constrictione, prudèter & sensatè in-  
terrogauit, cui propterea Angelus grauitè & di-  
uinè respondit, non ita responsurus si illam  
sine sensu & iudicio aliquid interrogare per-  
spexisset.

B. Virg.  
quæstio-  
nem quæ  
indignè  
tractant  
hæretici.

48. *Reflexit humilitatem ancilla sua.*

**A**CRITER hoc loco contendunt hæ-  
retici, humilitatem non pro virtute ani-  
mi & submissione in B. virgine, sed pro  
vni & abiecta conditione in paupere & ignobili  
puella accipi. *Humilitas hic* (ait Caluinus) *non sub-  
missionem vel modestiam vel animi habitum significat, vt  
stultè putarunt indocti & barbari homines, sed tantandem  
valet ac vilis abiectæq; conditio, quatenus excellentiæ opor-  
nitur, quod ex Græca voce liquet.* Caluino applaudens

Humili-  
tas B. Vir-  
ginis quæ

Beza, eandem cantilenam canit: *Significat ταπεινωσις humilitatem, id est, vilem & abiectam conditionem, qualis est nimirum vilium servularum. Itaque inepti sum, qui modestiam ceterasque Mariae virtutes hoc loco praedixit, quasi ταπεινωσις illud sit quod Graeci ταπεινοφροσύνην vocant: quasi denique Maria vlla sua merita, ac non potius infinitam Dei misericordiam collaudet.* Moxque Theophylacti in hunc locum verba ab Erasmo notata repetit, quibus ait virginem non propter suam virtutem beatam se dicendam esse, profiteri, sed quia fecit illi magna Deus: addens *Rome hunc commentarium impressum fuisse, ut praeposteri Mariae cultores intelligant sacris hominibus nunquam placuisse has praeposteras Mariae laudes.* Erasmo subscribit Cornelius Iansenius, & Didacus Stella: qui verbum ταπεινωσις pro virtute humilitatis apud Graecos nunquam accipi affirmant.

Probatur humilitas B. Virginis quod vera virtus esset.

Sed erravit ille errans-mus Erasmus, aliósq; in errorem abduxit. Nam in hoc ipso cantico ubi dicit virgo, *Exaltauit humiles, & ελάτωσεν ταπεινους*, eodem verbo utitur: & opponuntur humiles *superbis* mente cordis sui, & pauperes spiritu significat, ut ipsemet Beza annotavit. Quó Christus in Evangelio dicit Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*, vox Græca est, *ταπεινός τῆ καρδίας*. Quum idem dicit, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*, vox Græca est, *ὅτι ταπεινώσῃ ἑαυτὸν*, Matth. 23. & *ὁ ταπεινῶν* Luc. 14. & 18. Rursum quum Christus dicit, *Qui non se humiliaverit sicut vnus ex parvulis istis*, vox græca est, *ταπεινώσῃ*, Matth. 18. Lucas quoque Act. 8. citans Esaiæ verba de Christo, *In humilitate iudicium eius sublatum est, & non aperuit os suum*, utitur verbo *ταπεινωσις*. Iacobi cap. 4. & 1. Pet. 5. Superbis resistit, & humilibus dat gratiam, est verbum *τοῖς ταπεινοῖς*. Item Iacobi eodem

dem cap. *Humiliamini in conspectu Domini*, vox Græca est, *ταπεινώθητε*. Sed & apud Paulum, quem humilitatis virtutem non nisi vocabulo *τῆς ταπεινοφροσύνης* exprimere Iansenius affirmat, huius apud Lucā dictionis *ταπεινωσις* coniugatum pro virtute humilitatis accipitur. Rom. 12. *Non altius sapientes, sed humilibus consentientes, τοῖς ταπεινοῖς συναπιγόμενοι*. 2. Cor. 7. *Qui consolatur humiles, consolatus est et nos: ὁ παρηράλῃν τοῖς ταπεινῶς*. Iam ad Philip. 2. de Christo, *Humiliauit semetipsum factus obediens, & ταπεινώσῃ ἑαυτὸν*. Temeritatem igitur & ignorantiam Erasmi alij interpretes temere sequuti fuerunt. Nec barbari aut indocti sunt (vt Caltinus garrir) qui virtutem humilitatis hoc loco exponunt, quasi vox Græca id non permittat, sed certè inconsiderati sunt qui virtutem humilitatis hęc accipi posse negant, quum tamen multis in locis in Græco Mattheo, Luca, Paulo, Iacobo, Petro, illa vox auteius coniugatum eandem virtutem significat. Loquitur igitur B. Virgo non vt paupercula, aut contemptibilis aliqua puella, sicuti Lutherus primus nugatus est in Pottilla huius Evangelij, aliósq; nugari fecit, sed vt pia & humilis virgo, Deo gratias agens, quod quum tam parua in oculis suis esset, ad tantam dignitatem Deus illam exaltauit. Sic Lia vxor Iacob mulier diues & locuples, quum prole à Deo donata esset, gratias Deo egit dicens. *Vidit Dominus humilitatem meam*. Prius enim à viro suo contempta videbatur. Sic ipse David Rex. *Vide humilitatem meam & laborem meum*. Et iterum. *Rispeixisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam*. Sūt quippe labor & necessitates cum humilitatis virtute in priorū animis coniunctæ. Hanc B. Virginis humilitatē quæ se omni honore indignā reputabat,

In Com. Concord. Euang.

Gen. 29.

Psal. 44.

re-

Matth. 23 respexit Deus: *exaltans humilem*; vt in Euangelio promittit Christus, & in hoc ipso cantico B. virgo repetit. Qua in re non suam virtutē, sed Dei erga se beneficia prædicat. Non quòd humilis fuerit, gloriatur; sed quòd humilem & demissum animū suum Deus respexerit, gratias agit, *exultans in Deo salutari suo*. Et sic verum est quòd Theophylactus dicit, quòd non propter suam virtutem beatam se dicendam esse virgo prædixit, sed quia fecit illi magna Deus. Magna quippe fuit & valde magna huius humilis virginis tanta exaltatio. Quare humilitatem pro vera animi virtute in hac beatiss. virgine hoc loco exponunt Patres. Imprimis Origenes homil. 8. in Lucam: August. serm. 2. de assumpt. B. virginis: Beda in hunc locum: Bernardus homil. 1. super, Missus est, & homil. 1. de laudibus virg. Rupertus lib. 1. in Cant. Denique omnes illi Patres qui Mariam Euæ, obedientem inobedienti, humilem superbæ opponunt, vt Irenæus lib. 5. Tertull. in lib. de carne Christi. Augustinus serm. 18. de Sanctis. Hieron. epist. 22. ad Eustoch.

Qui humilitatem pro vili & abiecta conditione accipiunt, planè extra rem philosophantur, Nulla enim Scriptura docet, Deum talem conditionem quatenus talem respicere, sed animi abiectionem virtutem. *Beati pauperes spiritu. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & trementem sermōnes meos: Reuelasti ea paruulis.* Tameñ plerique Apostoli piscatores erant, non tamen pauperes & abiectæ conditionis fuerunt. Matthæus diues & pecuniosus, Philippus & Bartholomæus nobiles viri fuerunt. Nec paupertatem nec diuitias in bonorum suorum distributione Deus respicit, sed *humilibus dat gratiam, superbis resistit.*

Patres  
contra  
Calui-  
num.

Matth. 5.  
Esaï, 61.  
Matth. 11.

Inc. 4.

74. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

QUVM hic locus ad necessitatem bonorum operum, quæ omnibus in Christum credentibus incūbit, perspicuè demonstrandam plurimum valeat, dupliciter illum hæretici corrumpunt atq; deprauāt. Primum illud, *sine timore*, exponunt de certitudine gratiæ, quam fingunt; & animi tranquillitate ac securitate, quā iam in Christo reconciliati concipiunt: vt timor anxietatem & ægritudinem animi seu dubitationem de salute, & de propitio erga nos Deo hoc loco significet, quia cum hac dubitatione, & sine certa fiducia salutis, Deo liberè & hilariter seruire non possumus. Deinde, *seruire Deo in sanctitate & iustitia*, ad animi gratitudinē referunt, quæ deceat filios Dei; non ad necessariam obedientiam, qua ad vitam æternam perueniatur. Sic Caluinus & Beza hunc locum peruertunt, totūque Scripturæ sensum inuertunt. Caluini verba sunt: *Quod dicit, vt sine timore seruiamus, significat non posse nisi tranquillis animis ritè Deum coli. Quum igitur Deus homines sibi in Christo reconciliet, quum eiusdem præsidio ipsos tueatur vt securi sint ab omni metu, quum eorum salutem in eius manum & custodiam deposuerit, meritò Zacharias nos eius gratia predicat à metu liberari. Sic & Beza: Significat hoc loco timor futuri mali ægritudinem, quæ pugnat ex diametro cum fiducia illa filiorum Dei, qui fide iustificati pacem habent. Seruire omnibus diebus Deo in sanctitate & iustitia, exponit Caluinus hoc modo: Quum sibi in perpetuum homines Deus adoptet, non debet caduca vel exigui temporis corū esse gratitudo. Et paulo antè: Sicut efficiēs (inquit) causa salutis nostræ gratuita Dei bonitas fuit.*

Operum  
bonorum  
necessitas  
defenditur.

In Har-  
monia.

In Annot.  
in hunc  
locum.



ita finalis est, vt homines piè sancteque viuendo nomen eius glorificent. Callida hæc & impia est textus Evangelici corruptio, ad statuendam hæreticorū fiduciam, & ad tollendam obedientiæ mandatorum necessitatē. De quo timore loquatur Zacharias, ex verbis eius adiunctis aduertendum est. *Vt seruiamus* (inquit) *sine timore, de manu inimicorū nostrorum liberati.* Hæc verba & horum tractationē penitus omisit Caluinus, vt facilius fucum lectori faceret. Nec illa etiam tractauit Beza. Isti autē inimici, è quorum manu ac potestate liberati, seruiamus Deo absque timore, sunt ipse Satanas eiusque copix, vt in superiori versiculo, *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos,* Caluinus ipse exposuit. Seruire igitur sine timore, hoc loco nihil aliud significare potest quam non timere amplius diabolū aut copias eius, & non timere penam quā ille reprobis infert, non timere insidias quas ille struit. Cum illo enim perpetua nobis pugna est. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum harum.* Ille est aduersarius cum quo consentiendum est dum adhuc in via sumus, ne trahat nos ad Iudicem: qui *semper circuit sicut leo rugiens, quærens quem deuoret.* Hunc timere amplius non debemus, sed contemnere, eique resistere: iuxta illud Iacobi. *Resistite diabolo, et fugiet à vobis.* Christus enim *dedit se nobis,* natus est nobis, passus est pro nobis, vicit diabolū tentantem, vicit moriendo, vt *per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolū, & liberaret eos qui timore mortis* (id est, timentes semper quid de anima fieret post mortem) *per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Ab hoc timore mortis, & ab hac seruitute diaboli liberauit suos Christus, vt ab hoc timore seruii, & ab hac seruitute diaboli & peccati,

Ar. Caluini.

Seruire Deo sine timore quid.

Eph. 6.

Matth. 5.

1. Pet. 5.

Iac. 4.

Heb. 2.

catiliberati, ita demum seruirent Deo in iustitia & sanctitate, &c. Hoc paucioribus verbis dixit Paulus. *Liberati à peccato serui facti suis iustitiæ.* Non agitur hic de pace aut tranquillitate, sed de puritate & libertate conscientiæ. Christus dedit se nobis vt primum omnem timorem seruilē, seu spiritum seruitutis in timore, qui status erat filiorum veteris testamenti, excuteremus, nec diabolū, nec mortem, nec peccati iugū aut duram consuetudinem timentes; deinde vetustate omni sublata, & de manu inimicorum illorum liberati, ita demum spiritum adoptionis filiorū Dei acciperemus, *seruientes iustitiæ,* vt Paulus loquitur; siue *seruientes Deo in iustitia & sanctitate,* vt hic Zacharias loquitur. Porro hoc ipsum seruire Deo in iustitia & sanctitate, non est (vt Caluinus fraudulenter scribit) *causa finalis salutis nostræ,* sed est causa finalis redemptionis per Christum factæ, & vna causa efficiens salutis nostræ, quatenus vitā æternam significat. Christus enim *dedit se nobis,* vt hic Zacharias loquitur, vel, vt Paulus plenius scribit, *De lit semetipsum pro nobis vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabile, sectatorem bonorum operū.* Hic est finis proximus passionis Christi, vt liberaret ab iniquitate & à manu inimicorum nostrorum, & sic mundaret sibi populum acceptabilem, &c. id est, sua gratia nouum spiritum conferret, nouā charitatē diffunderet in cordibus nostris, quos spiritu gratiæ accepto & qua charitate in corde diffusa, seruiremus Deo in sanctitate & iustitia. Christi passionis hæc finalis causa fuit, non autem salutis nostræ. Salutis quippe nostræ, siue vt saluemur, Deoque in æternum fruamur, primaria quidem efficiens causa est gratuita Dei bonitas, meritoria Christi passio,

Rom. 6. Conscientiæ puritatem in securitate vertit Caluinus.

Tit. 2.

lio,

sio, instrumentalis causa, quæ ad efficientem reducitur, est ipsa iustitia & sanctitas qua serui-  
mus Deo omnibus diebus nostris. Per hanc enim  
Dei seruitutem, siue per obedientiam mandatorum  
Dei, in qua & secundum quam seruimus Deo, quasi  
per viam necessariam & à Deo præscriptam, per-  
uenimus ad vitam æternam, iuxta clarissima Chri-  
sti verba: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Serui-  
mus igitur Deo non solum per modum gratitudi-  
nis, ne simus filij ingrati, nec tantum per modum  
liberalitatis, quasi cultu spontaneo Deum colen-  
tes; nec denique ob illud tantum finem vt Deus glori-  
ficetur, quæ omnia hinc Calvinus ponit vt aliquid  
pro pietate dicere videatur; sed præterea per mo-  
dum necessariæ obedientiæ: necessariæ dico, tum  
quia sine ea ad vitam æternam non ingrediemur,  
tum quia hinc finis est & proprius effectus passio-  
nis Dominicæ, siue causa præcipua cur dedit se  
nobis Christus, vt hinc Zacharias loquitur, & Pau-  
lus expressius docuit. Tenemus iam quam impiè  
& fraudulenter totum hunc textus Evangelici  
sensum Calvinus deprauauit. Notandum quo-  
que verbum seruire hoc loco, apud Lucam esse  
*λατρεύειν*; quo vocabulo cultus latriæ Deo pro-  
prius notatur. Vt hinc intelligamus vitæ sancti-  
tatem atque iustitiam proprium esse Dei cultum,  
quem Deo debemus præcipuè & necessariò: ideo-  
que bonis operibus, non sola fide, Deum proprie  
atque imprimis coli.

77. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum.*

**H**UNC sibi locum valde propitiū & opor-  
tunum existimauit Calvinus, ex quo im-  
putatiuam suam iustitiam fabricaret. *Præcipuum*  
(inquit)

(inquit) *Euangelij caput nunc attingit Zacharias, dum scientiam salutis in remissione peccatorum positam esse docet. Nam quum nascamur omnes filij iræ, sequitur natura damnatos esse ac perditos. Hæc porro damnationis causa, quoddam iniustitiæ rei sumus. Quare non aliud effugienda mor-  
tis remedium est, nisi vt nos sibi Deus reconciliet, peccata nobis non imputando.* Hæc hæc hactenus omnia vera sunt, si per illam non imputationem peccatorum, ve-  
ram & non imputatiuam remissionem significat, vt verè tollatur peccatum ab illis qui Deo recon-  
ciliantur, facti noua creatura in Christo, vt Scripturæ nos docent. Nunc autem venenū aspergit suum: *Atque hanc vnicam coram Deo iustitiam restare, ex Zachariæ verbis colligere promptum est.* Hoc est eius pestiferum venenum: Salus nostra per Christum est in remissione peccatorum: ergo illa est vnica iusti-  
tia nostra coram Deo. Tam insulsa consequentia vide quot impietates doceat: *Spes saluæ facti sumus.* Ergo vnica iustitia nostra coram Deo spes est. *Qui facit iustitiam, iustus est.* Ergo vnica iustitia nostra coram Deo in bonis operibus consistat. Rursum: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Ergo vnica salus & iustitia nostra coram Deo est, credere hunc articulum de resurrectione Christi. Iam verò alia Scriptura dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ergo nunc fides cum baptismo est vnica iustitia nostra coram Deo. Et quam multæ Scripturæ proferri possunt, quæ varijs partialibus causis salutem nostram tribuunt, quæ non propterea vnicae causæ sunt, solæ, & integræ, sed ex aliqua parte salutem conferunt! Perpetuum hoc hæreticis est, vt ex vna veritate aliam de-  
struant, & ex parte totum inferant. Sed hanc consequentiam ex verbis Zachariæ colligere se posse

Ephes. 2.  
& Gal. 5.  
Remissio  
peccato-  
rum non  
est vnica  
& tota  
iustitia  
nostra cor-  
am Deo.  
Rom. 8.  
1. Ioan. 3.

Rom. 10.

Mar. 16.

Hæretico-  
rum per-  
petuus  
dokus  
malus.

Calvinus ait. Audiamus quomodo, & qua ratione? *Vnde enim salus, nisi ex iustitia?* Transeat hæc propositio, quia reuera nulla salus est sine iustitia; & vnde saluamur, inde quoque iustificamur. Sequitur. *Quod si filius Dei aliam cognoscere salutem quam ex remissione peccatorum fas non est, sequitur non alibi querendam esse iustitiam.* Iam hæc propositio minor falsa est. Falsum, inquã, est nõ aliam esse cognoscendam salutem quã ex remissione peccatorum, & probare ac concludere Calvinus hoc debuit, quod nunc pro medio & argumento ponit. Dicit quidem Zacharias *scientiam salutis esse ex remissione peccatorum*: sed non dicit ex sola illa esse, vel non aliam esse salutem quã ex remissione peccatorum. Vafre igitur & fallaciter Calvinus pro argumento ponit, & pro vero & certo subsumit, quod ille sibi probandum & concludendum accepit. Deinde si ex sola remissione peccatorum est salus, vt hic vult Calvinus, ergo nec ex fide est salus. Fides enim non est ipsa remissio peccatorum, sed via ad illam, sicuti spes, pœnitentia, charitas est. Ita rursus suis placitis repugnat Calvinus, & nescit quid affirmat.

Calvinus  
ex suis  
placitis  
refutatur.

Vite no-  
uitas vna  
salutis  
causa.

Iam verò ex ipsis verbis Zachariæ planè contrarium apparet. Apparet, inquã, nõ in sola remissione peccatorum esse salutem ac iustitiã nostram per Christum, sed etiam in novo lumine gratiæ, quo perfusi in nouitate vitæ ambulemus. Addit enim: *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Christus stella matutina & oriens (substantiuum enim est apud Lucam, ἀνατολή, non adiectiuum) visitauit nos ex alto, descendit de caelo homo factus, vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, seu

seu omnes homines in peccati & ignorantia tenebris antea sedentes; id est, noua luce gratiæ perfunderet, vt ea luce dirigerentur affectus humani, non iam amplius ad iniquitatem & opera tenebrarum, in quibus nullus ordo, nulla pax est, *sed in viam pacis*: id est, in illam sanctam totius vitæ conuersationem quæ pacem adfert, cū Deo, cum proximo, cum sua cuiusque conscientia. De qua alia Scriptura dicit, *Non est pax impijs: & Viam pacis non cognouerunt.* Quis nunc nisi proteruè impius ex verbis Zachariæ colligere potest in sola remissione peccatorum salutem ac iustitiã nostram consistere? Quis nisi proteruè impius negare poterit venisse de caelo Christum, non solum vt nos Deo reconciliaret remittendo peccata per viscera misericordiæ suæ, sed præterea per eadem viscera misericordiæ, (vnde ait Zacharias, *In quibus visitauit nos, &c.*) visitasse nos nouo lumine gratiæ, vt ambularem in præceptis eius, in viam pacis? Proteruè igitur & impie Calvinus ea infert quæ apud illuminatam sequuntur. *Ita iustitia quam superbi homines ex operum meritis conserunt ac fabricant, nihil aliud est quàm iustitiæ imputatio, dum nos gratis à reatu Deus absoluit.* Proteruè & impie & contra aperta Zachariæ verba infert iustitiã nihil aliud esse quàm iustitiæ imputationem. Quom enim salus sit ex iustitiã (vt Calvinus iam arguebat) hanc autem salutem Zacharias descripsit in illuminatione per Christum facta, vt dirigerentur pedes nostri in viã pacis, id est, vt ambularem in via iustitiæ, & abnegantes (vt Paulus explicat) omnem impietatem, & secularia desideria, iustè, piè, ac sobriè in hoc seculo viuamus; manifestum est ex verbis Zachariæ, salutem & iustitiã nostram non esse vllam iustitiæ imputationem per solam gratuitam à reatu absolutio-

Isai. 48.  
Psal. 13.

Tit. 1.

nem, sed esse inherenter nobis ex Christi gratia bonorum operū iustitiam, procedente veterum peccatorū gratuita remissione, veterisque hominis morte ac sepultura, vt Paulus alibi describit.

Rom. 6.

Quod vero garrat de superbis hominibus qui ex operum meritis iustitiam confiant ac fabricant, nihil aliud est quam malè sani cerebri spectrum à turbato phantasinate suo confiatum ac fabricatum. Nisi enim veteres Pelagianos designet, somnium suum narrat. Operū merita Scriptura perspicuè docet, vt suis in locis perspicuè demonstrauimus. Sed eadem merita nec sine fide nec sine speciali Christi gratia ponuntur. Ex quibus radicibus profecta verā iustitiam constituunt, non qua ex impijs Deo reconciliemur, sed qua iam Deo reconciliati magis iustificemur, vitamque æternam adipiscamur. Sed nihil absque calumnia & morsu candidum Caluini petere proferre potest. Addit adhuc aliqua quæ dissimulanda non sunt.

Operum merita.

*Ad hæc notandum est, Zachariam non de extraneis sed de populo Dei habere sermonem. Vnde sequitur non modò iustitiæ principium ex peccatorum remissione pendere, sed imputatiuè (vt ita loquar) iustos coram Deo in finem esse fideles: quia aliter coram eius tribunali consistere nequeunt, nisi quotidie ad gratuitam reconciliationem se conferant.* Hęc ille. Primum omnino falsum est Zachariam de populo Dei, qui propriè ac verè talis est, habere sermonem quum dicit, *Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorū*, quū planū ac manifestū sit de illis eum loqui de quibus statim subiūgit, *eiis scilicet diuinę misericordię effectū prosequens, Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent*, quos plane extraneos adhuc fuisse, nec ad populum Dei pertinere posse, nec ipse Caluinus

Caluini paralogismus refutatur.

ne-

negauerit. Esse autem eiusdem misericordię erga eosdem prosecutionem, vt dixi, verba Zacharię perspicuè docent. Dicit Ioannem filium suū precituum ante faciem Domini parare vias eius, ad dandā scientiam salutis plebi eius in remissionē peccatorum eorum per viscera misericordię Dei nostri, in quibus (sup. visceribus misericordię, id est, in qua eadem misericordia) *visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & umbra mortis sedent*. Tota igitur hæc misericordia Dei quam Zacharias hic prædicat, tam quoad remissionem peccatorū quam quoad illuminationem gratiæ Christi erga illos homines fuit *qui in tenebris sedebant*, &c. id est, qui Messiam ignorabant, quem Ioannes prædicauit, & qui in grauibus peccatis erant. Nā & Iudæi ipsi ad quos Ioannes prædicauit, propter incredulitatem qua laborabant, & propter peccata enormia quibus abundabant, erāt *populus sedens in tenebris & in umbra mortis*, tamen quoad externum fœdus & circumcisionis pactū, populus Dei erāt denominationē tantū, vnde & hic dicitur, *plebi eius*. Erant, inquā, populus Dei secundū carnē tantū, quatenus ex semine Abrahę secundū carnem, sed quia *nec fidem Abrahę sciebantur, nec opera Abrahę faciebant*, non erant verè & propriè populus Dei. Nō enim qui ex carne sunt, sed qui ex fide sunt (ait Apostolus) *sunt filij Abrahę*, & tanquam populus Dei, *benedicuntur cum fidei Abraham*. Increduli autem Iudæi, ad salutem quod atinet, prorsus extranei erant, & sedentes in tenebris atque umbra mortis, non secus quàm Gentes quę ignorabāt Deum. Quare in causa salutis & iustificationis coram Deo pares eos facit Paulus Gentibus quę ignorabant Deum. Zacharias igitur non agit de populo Dei verè & propriè dicto, de quo populo hic disputat

Rom. 4.

Ioan. 8.

Gal. 3.

Rom. 2.

&amp; 3.

Calvinus. Agit enim Calvinus de Christianis iā in Christo regeneratis & iustificatis, qui non amplius in tenebris sedent, sed in luce gratiæ ambulant; nec in ymbra mortis, sed in vita iustitiæ. Ad hos Zachariæ hęc verba non pertinent. Hic primus est Calvini error aut certè dolus malus, quo in errorem alios adducit. Torum igitur quod ex hoc principio deducit, penitus concidere necesse est: videlicet imputatiuè esse homines iustos coram Deo per remissionem peccatorum perpetuam.

Remissio  
peccatorum  
quomodo  
perpetua  
iustitiæ  
pars.  
Gal. 4.

Deinde est quidem ita vt non solum principium iustitiæ ex remissione peccatorum pèdeat, sed & progressus eius, sed non in sensu & iudicio Calvini principium iustitiæ ex remissione huiusmodi peccatorum est, quæ inimicitias inter Deum & nos ponebant, quæ talia sunt, vt *qui illa agunt, regnum Dei possidere nequeant*, qualia commemorat Paulus multa, sũntque letifera omnia & graua. Ex quorum perpetua remissione si nostra constat iustitia, vt hęc Calvinus docet, volens propterea vt ad gratuitam reconciliationem oculos semper conijciamus, nec nisi imputatiuè (id est, propter iustitiam Christi nobis imputatam) iusti simus, profectò Christiani hominis iustitiam ponit Calvinus cum perpetuis sceleribus & flagitijs coniunctam, quæ perpetuò nobis à Christo remittantur, & sua nobis imputata iustitia obtegantur. Quam quidem esse reuera impiorum horum hominum altè animis infixam sententiam, multis in locis Beza prodidit in suis ad Paulum annotationibus (quod suo loco ostendemus) apertè tamen & rotundè dicere adhuc reformidant, ne vt profusus Epicurei & insani homines à pijs omnibus explodantur. Progre-

gressus autem iustitiæ Christianæ est quidè cum remissione peccatorum perpetua coniunctus, propter quam quotidie dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, sed illorum peccatorũ quibus *debitum* vita non caret, & cum quibus vera iustitia consistit: de quibus S. Ioannes dixit: *Stulice est in his qui peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* & D. Iacobus: *In multis offendimus omnes.* Absit autem vt hi sancti Apostoli aut iustitiam fuerint, aut illa graua peccata semper haberint, quæ *qui agunt, regnum Dei non possidebunt*, vt ex illorum perpetua remissione, & ex gratuita semper reconciliatione, iusti coram Deo essent. Nec denique propter hæc leuia aut quotidiana peccata imputatiuè iustos esse opus est. Christus ad illa delenda & propter illam imperfectionem iustorum, orationem quotidianam docuit, imputatiuam iustitiam non docuit. Quæ sanè, imputatiua iustitia adeò nusquam in Scripturis legitur, adeò noua & barbara vox est, vt ipsemet Calvinus hoc loco; hac voce cum correctione qualique petita venia vratur. Ait enim, *Imputatiuè (vt ita loquar) iustos.* Sanè si Scriptura ita loqueretur, audacter ita loqui Calvinus potuit, nec in reiecta parenthesi, locutionem hanc suam a lectore deprecari opus habuit. Sed ipsa prophanæ vocis nouitas quasi suo se forex iudicio seipsum prodidit. De hac quotidiana remissione peccatorum quæ iustis est necessaria, nec iustitiæ Christianæ contraria, alio in loco latè contra hereticos disputauimus.


(. .)

Ii 4

IN

Imputatiua iustitia vox noua & barbara.

De iustificatione lib. 6. c. 3. & 22.



## IN LVCÆ CAP. 2.

14. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis.*

Incarnati-  
onis  
Domini  
cæ finis.

**I**NCARNATIONIS Dominicæ quasi finem & scopum hic cantus Angelicus tribus verbis exprimit. Primum est *Dei gloria*, ad quæ omnia diriguntur. Secundum est, *pax in terra*, non temporalis sed spiritualis & felicissima, inter homines videlicet & Deum: facta reconcilia-  
tione humani generis cū Deo, & illa animorum pace constituta, quam Christus ex mundo abiturus suis dedit, dicens *Pacem meam do vobis*, &c. Ter-  
tiū exponit quibus hæc pax per Christū cōferenda sit. Nempe non omnibus hominibus, nec credentibus tantū, sed *hominibus bonæ voluntatis*, rectis & simplicibus, quales isti pastores erant. Bona autem voluntas sola ponitur, vnde quis rectus & bonus dicatur, quia voluntas cæteras potentias mouet ad operandum, & principium actuum ac proximum totius boni operis est bona voluntas.

Bona vo-  
luntas  
hoc loco  
quæ.

Displicet hæc Euangelica doctrina hæreticis nostri temporis, ideoque hanc lectionē nostram ab Erasmo admoniti vitiosam & corruptam esse clamitant. In Græco quippe, non in genitiuo sed in nominatiuo legitur illa vox quæ noster interpres vertit, bonæ voluntatis: *εὐδοκία*. Sed & ipsam vocem Græcam negant profus auctore Erasmo significare in Scripturis bonam voluntatem in homine, sed vel ipsum Dei beneplacitum erga homines, vel certè mutuam quandā inter homines amicitiam, idque rarissimè. Sed non omnia vidit Erasmus, quem hoc in loco infeliciter ite-  
rum

rum sequutus est Cornelius Iansenius; disertè affirmans hanc vocem nunquam tribui hominibus respectu Dei. Nam ad Philipp. cap. 1. vbi legimus, *Quidam propter bonam voluntatem Christū prædicant*, (quæ haud dubiè bona voluntas fuit respectu Dei, & propter honorem Dei) Græcè est *ἡ εὐδοκία*: & ad Roman. 10. vbi Paulus dicit, *Voluntas quidem cordis mei, & obsecratio pro illis fit ad Deum*, vbi de sua bona voluntate puraq; erga Iudeos charitate, non amicitia humana, loquitur, Græcè est *ἡ εὐδοκία τῆς καρδίας ἐμῆς*. Falluntur ergo qui Erasmus sequuti vocem Græcam hoc loco non bonam in homine voluntatem, sed Dei tantum erga homines beneplacitum, significare volunt. Exclamat quidem hoc loco Calvinus & dicit. *Vnde factum sit vt obreperet genitiuus casus nescio. Certè lectio vulgata quæ habet, Hominibus bonæ voluntatis, non modò tanquàm adulterina repudiari debet, sed etiam quia totum sensum corrumpit.* Sed contra Calvinum Beza ipse sic scribit. *Ad me quod attinet, quamuis in omnibus exemplaribus Græcis legerim εὐδοκία in nominatiuo, & ita sim interpretatus, tamen Origenis, Chryso-  
stomi, veteris interpretis auctoritatē, ipsam denique rationem sequutus, non recusè legere εὐδοκίας in genitiuo, & totam hanc orationem in duo membra partiri, hoc modo: Gloria in celis altissimis Deo, & in terra pax in hominibus dilectis vel complacitis.* Hæc ille, exponens verbum *εὐδοκίας* de bona voluntate & beneplacito Dei erga homines; nō de bona voluntate in ipsis hominibus. Cæterū Græci illi Patres à Beza citati, Origenes homil. 13. in Lucam, & Chryso-  
stomus homil. 36. in Matth. in serm. de ascensione Domini, & homil. de Natiuit. Domini, quibus adde eundem Origenem homil. 1. in Matth. & contra Celsum lib. 1. & eundē Chryso-  
stomum homil. 2. in Matth. ope-  
ris

Caluinū  
Beza cor-  
rigit.

ris imperfecti, & homil. 35. de natiuit. Christi, D. quoque Hieronymum in cap. 2. Esaiæ, & August. ad Simplic. lib. 1. q. 2. nō solū in genitio legunt sicut noster textus habet, sed præterea de bona voluntate in hominibus exponunt, docentes pacem quam Christus attulit, non nisi in bonæ voluntatis hominibus residere, quia ista bona voluntas in credentibus effectus est pacis quam Christus attulit. Sanè in genitio casu omnes veteres Latini Patres conformiter hæc verba legunt, quoties hunc locum tractant, vt ipsemet fatetur Beza. Non igitur lectio vulgata, sed impius Calvinus alijque nouatores totum huius loci sensum corruperunt.

37. *Non discedebat de templo, ieiunij & obsecrationibus seruicens die ac nocte.*

Ieiunium  
ad Dei  
cultum  
pertinet.

**D**O C E T hic locus ad Dei cultum ieiunia pertinere non secus atque obsecrationes, quam de vtroque dicatur Anna vidua Deo seruasse, id est, Deum coluisse. Vtitur enim Lucas verbo λατρεύσας, vnde latria, quæ cultum supremum & Deo proprium significat. Non tulit huius loci doctrinam Calvinus, ideòq; eius puritatem suo fermento contaminare voluit. *Superest* (inquit) *scrupulus, quod videtur Lucas partem diuini cultus in ieiunij statuere. Sed notandum est, ex operibus quæ ad Dei cultum spectant, alia simpliciter requiri, & per se esse necessaria; alia verò quæ accedūt, referri in hunc finem, vt prioribus illis subserviant. Precationes ad Dei cultum propriè faciunt, ieiunium verò inferius subsidium est. Sic hæc distinctio vera: ex ea tamen disertè sequitur, partem diuini cultus in ieiunij poni, quia subsidium quoddam est precationū quæ simpliciter ad Dei cul-*

cultum requiruntur. Vtrunque autem hoc genus, affirmat Calvinus, ex operibus illis esse quæ ad Dei cultum spectant. Nō ergo scrupulum, quem ponit Calvinus, exemit, sed magis confirmauit. Nunc autē ieiunium opus est Deo gratum ex se, & ad Dei cultum ex se pertinet, non solum subsidium est precationum. Imò ait Calvinus: *Ieiunium non aliter Deo probatur, nisi quatenus precandi studium & ardorem adiunat.* Id si ita est, huius Annæ viduæ ieiunia Deo probata non erant. Ait enim de illis Calvinus eodem hoc in loco: *Non dubium est quin ieiunia sua retulerit sancta mulier ad lugendam, quæ tunc erat, Ecclesie calamitatem.* Si ad hunc finem sua ieiunia retulit hæc sancta mulier, aut Deo hoc nomine probata non erant, aut falsum est quod prius Calvinus dixit, *Deo non probari ieiunia nisi quatenus precandi studium & ardorem adiunant.* Ita ad refutandum Calvinum, ipsemet Calvinus & vnus sufficit. Hic videlicet est spiritus vertiginis quem patiuntur ipsi Archihæretici, vt infra paucas lineas pugnantia doceant. Magistri mendaces meminisse nunquam possunt, mendacem oportere esse memorē, Nā & alibi idē Calvinus, vbi hæc verba Lucæ eodē modo deprauat, tres tamē ieiunij fines, ob quos Deo probantur, disertè assignat, vnam *ad macerandam ac subigendam carnem ne lasciuat*, secundam *vt ad preces ac sanctas meditationes melius firmis comparati*, (quā hic vnicam & solam affirmat, cætera excludens) tertiam *vt testimonium sit nostræ coram Deo humiliationis, dum volumus reatum nostrum coram ipso confiteri.* Qui vltimus ieiunij finis non minus propriè ac simpliciter ad Dei cultum pertinet, quàm precatio. Sicut enim ieiunium testimonium est nostræ humiliationis coram Deo, sic & precatio: & sicut ieiunio confitemur reatum nostrum, sic & precatione.

Calvinus  
ex seipso  
refutatur.

Iustific.  
lib. 4. c. 12  
num. 154

Vtraque

Vtraque à Deo veniam petimus, vtraque nos coram Deo humiliamus, vtraque reatum nostrum confitemur: idque eo magis ieiunio quam precatione, quatenus ieiunium magis pœnale est, & nõ vocalis sed realis oratio, non voce sed factò Deum deprecans. Si ergo precatio ad cultum Dei pertinet, non secus ieiunium pertinebit.

At enim si nullum Dei cultum in ieiunio repernat Calvinus, eo minus mirum videri debet, quia tale ieiunium definit, quod nomine ieiunij à Deo probari non potest: quum neque ad macerandam carnem, neque ad precandi studium atque ardorem quicquam conferat. Ieiunij quippe qualitatem & quantitatem seu partitionem describens,

Ieiunium  
Calvinianum  
victus  
moderatus.

Vbi supra  
num. i. 8.

*Qualitas* (inquit) *in eo sita est, ut absint omnes lautitia, ac plebeijs vilioribusque cibis contenti palatum delicatis non irriterentur. Quantitatis ratio in hoc est, ut parcius ac lenius solito vescantur, tantum ad necessitatem, non etiam ad voluptatem.* Hæc ille Ieiunium ergo Calvinianum est,

à delicijs tantum abstinere, nec ad voluptatē sed ad necessitatem vesci. Sic Calviniani semper delicatē vitant, & ad voluptatem vescuntur, nisi quando ieiunant. Quod quia perrarò faciunt, gula apud eos in nullo peccato ponitur, nisi forè *delicatis cibis palatum irritare, & ad voluptatem vesci, ad gulæ vitium pertinere negabunt.* Moderatio victus à bonis viris perpetuò tenenda (qua videlicet ad necessitatem non ad voluptatem vescuntur) ieiunium Calvinianum est.

Ieiunij  
Calviniani  
varia  
absurditas.

1.

2.

3.

4.

5.

Denique hoc modo rustici & inferioris conditionis homines, qui plebeijs ac vilioribus cibis vescuntur, perpetuò ieiunant. Omnes etiam qui in lautiore fortuna necessarijs contenti sunt, Calvino ieiunant. Quasi verò viliores & plebeij cibi nõ secus ventrem replent ac stomachum grauent, quam cibi de.

delicati: aut quasi qui ad necessitatem vescitur, & carnem suam macerare dicendus sit. Sanè moderatus victus omnium Medicorum iudicio proliferationi magis idoneus est quam delicatus. Unde & rusticos ac mediocris fortunæ homines prolibus abundare cernimus, quibus Magnates sepe numero carent. Denique non carnem macerat sed optimè nutrit, qui ad necessitatē tantum vescitur: nec alij magis succulentij aut robustij sunt, quàm qui perpetua victus moderatione vsi ad necessitatē tantum vescuntur. Medicorū præceptum est, ad corporis robur ac vires seruandas, cibus magis parabilibus vesci, & ad necessitatē tantum, qualisq; adhuc esurientem à mēsa surgere. Nihil ergo, vt dixi, mirum, si Calvini iudicio ad Dei cultum ieiunia non pertinent. Sanè quippe ad corporis cultum illa pertinent, non ad Dei. Philosophica illa sunt ieiunia, non Christiana. Ad corporis bonum statum & *bonitas* illa spectant, non ad castigationem. Non illa carnem macerant, sed impingunt, nec castigant, sed roborant. Christianorum autem ieiunia quæ corpus etiam necessarijs ad tempus priuant, quæ cum fame & siti, cum abstinentia non lautiorum modò ciborum sed & omnis cibi coniuncta sunt, illa carnem macerant & castigant, illa ad precandi studium plurimum conferunt, illa hominem coram Deo humiliant, iuxta illud Davidis, *Humiliaui in ieiunio animam meam*; illa denique ad cultum Dei pertinent.

Psal. 34.

52. *Proficibat sapientia & ætate.*

**Q**UIA Lucas ponit profectum sapientiæ in Christo sicut profectum ætatis, nomine sapientiæ hoc loco necessariò videtur in-

Sapientiæ  
profectus  
in Christo  
qualis.

in-



intelligi debere, nō vna & eadem semper sapientia quę per effectus magis ac magis se demonstraret, sicut non vna & eadem ætas in Christo semper erat, nec experimentalis quędam cognitio in qua proficeret sine vlla nouę scientię secundum habitum acquisitione aut incremento, (verum enim fuit in ætate incrementum) sed ipsemet habitus scientię acquisitę in Christo suscipiens incrementa simul cum corporis ætate & statura. Nam sicuti fiebat accessio Christi corpori in quãtate, secundum quam corpus maius ac maius erat; sic etiam fiebat accessio in sapientia acquisita, per quam ipsemet sapientię habitus ad plura extendebatur. Sic explicat D. Ambros. lib. de Incarnationis Dominicę sacramento cap. 7. & D. Thom. 3. p. q. 12. art. 2. & q. 15. art. 3. & 8. Beda & Euthymius in hunc locum: & Epiphanius in Anchorato: qui *figmentum in Christo futurum fuisse* ait, si ab ipsa pueritia sapientiam & scientiam acquisitam, quam reuera haberet, dissimularet. Vide Medina in 3. p. q. 12. art. 2. Quod autem Lucas de gratia dicit, intelligendum est illam in Christo eandem & inuariabilem semper fuisse, nec in ea aliter profecisse quã quod eam magis ac magis per actus excellentiores demonstraret & explicaret: vt docet D. Thom. 3. p. q. 7. art. 12. Quã etiam ob causam, gratiam posuit Lucas vltimo loco & post ætatem, volens insinuare non iuxta ætatem in ea profecisse, sed in externa tantum demonstratione *apud Deum & homines* faciens videlicet opera Deo & hominibus magis ac magis grata. Erasmi explicationem de augmento donorū Spiritus S. in Christo absurdam & temerariam sequitur Calvinus: quam refutat Medina loco citato. Nec putet Calvinum ignorantiam positiuam ponere in Chri-

Christo, quę accedente cum ætate sapientia informaretur, quia etiam mortē subiit peccati pœnam. Atqui mors nec plenitudini gratię nec plenitudini scientię quę in Christo fuit, opponitur, sicut ignorantia. Vide Medina 3. p. q. 15. art. 3. Sed vti- nam sola rerum theologicarum ignorantia laborasset Calvinus, ac non plęraque studio & cautiata conscientia deprauasset!

## IN LUCÆ CAP. 3.

## II. Qui habet duas tunicas, det non habenti, &amp;c.

QUVM Ioannes Baptista ijs quos ad pœnitentiam agendam suis concionibus iam adduxerat (dicebant enim, *Quid ergo facimus?*) hoc pœnitentię genus quasi generale iniunxit (turba enim erant & tota promiscua auditorū concio quibus hoc iniunxit) vt opera charitatis erga proximum facerent, ex suis videlicet superfluis tam quoad victum quã quoad vestitum indigentibus largiendo; bonus Calvinus hos esse vult *dignos pœnitentię fructus*, qui etiam à Christianis relapsis exigere debeant, nec aliquid à nobis excellentius aut perfectius in hoc genere postulari oportere. *Fruolulum* (inquit) *cauillum est, hic rudibus tantum elementa tradi, quę longè infra Christianã perfectionem subsident. Ioannis munus fuit plebem Domino perficere optare. Nec dubium est quin fideliter in hoc totum incubuerit.* Atqui argumentum quo suã confirmat sententiam, etiam ipsius Caluini iudicio fruolū cauillum esse ostenderur. Quod enim primo capite de Ioanne dictum erat, *Parare Domino plebem perfectam*, ipse Calvinus exponit iuxta vim verbi Græci quo Lucas vsus est, non ad perfectionem sed

Pœnitentię fructus.

Calvinus ex seipso refutatur.

sed ad præparationem & instructionem populi à Ioanne faciendam ea verba pertinere. Sic enim ad eum locum scribit. Participiū *κατασκευασθέντος* (quo Lucas hic utitur) non tam perfectionem sonat Græcis quàm formam & concinnitatem qua res ad usum suum aptantur. Que significatio præsentis loco non male quadrabit, quòd scilicet mittendus sit Ioannes ad plebem Christo aptandam vel formandam, que aliàs rudis & impolita nunquã se docilem præbuisse. Hæc ibi Calvinus, suum hoc loco friuolum cauillum digito demonstrans. Fatetur enim iam Calvinus munus Ioannis fuisse, vt rudem illum populum & impolitem aptaret & formaret, vt se Christo docilem præberet, eiusque audiendæ doctrinæ (vt supra eodem loco dixerat) redderet intentum. Argumentum igitur Caluini ab istis verbis desumptum, quòd parare Domino plebem perfectam, Ioannis officium fuit, adeò non probat Ioannem penitentiæ formam perfectam tradidisse, aut rudibus elementa non tradidisse, vt omnino probet atque demonstret, Ioannem in tota prædicationis suæ forma rudibus tantum elementa tradidisse; rudem & impolitem populum aptasse atque formasse ad Christum recipiendum, eiusque perfectiorem doctrinam capessendam. Sic sententiam orthodoxam adeò non probauit Calvinus friuolum esse cauillum, vt suo friuolo argumento eandem sententiam pulchre confirmasset. Hic est ille tantus magister, in cuius verba tot hodie populi & prouinciæ iurare debeant. Sanè Beza propter verbi Græci proprietatem verit hoc loco: *Vt pararet Domino populum instructum. Calvinus vt commodius falleret, antiquam versionem retinuit.*

I N

## IN LVCÆ CAP. 4.

16. *Intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagoga, & surrexit legere.*

**A**R RIPIT hic occasionem Calvinus (vt nullam prætermittere solet) Catholicam toto orbe Ecclesiam taxandi. Quam enim ex hoc loco appareat in singulis sabbatis, quibus dies Dominica successit, Scripturas legi in Synagogis & exponi solitas fuisse, hanc adnotationem apponit Calvinus, non vt diuinam Scripturam (quod profiteretur) exponat, sed vt suo stomacho malevolentia pleno indulgeat. *Iam si temporum fiat comparatio, facile vel ex præsentis loco constabit, scilicet hodie & magis deformes esse Papalis hierarchie corruptelas, quàm apud Iudæos sub Anna & Caipha fuerunt. Nam Scriptura lectio que tunc vigebat, non modò supra obsoleuit, sed ferro & igni à templis arcetur: nisi quòd lingua incognita, quod visum est, in ludibrium cantillant.* Hæc ille. Primùm peregrinè mentitur dum amplificatione rhetorica usus, Scripturarum lectionem ex Ecclesijs Catholicis ferro & igni arceri declamitat. Tametsi enim in templis Catholicorum ante hoc schisma exortum, dormientibus Pastoribus, rarior alicubi fuerit verbi prædicatio, illam tamen interdicitam aliquando fuisse ne fieret, nullus hæreticus docere potest, multo minus eam ferro & igni prohibitam & abactam fuisse. Deinde rarior illa prædicatio verbi in diebus Dominicis, non omnium templorum fuit, nec in omnibus prouincijs, sed quorundam, & in quibusdam: quæ sane nunc omnes huius negligentia pœnam satis

Prædicatio verbi rarior supra modum taxata.

K k

acer-

Pastorum  
negligentia  
quid  
succes-  
serit.

acerbam Inerunt : grassantibus & prævalentibus hac maximè de causa tot hodie sectis & hæresibus ; quæ legitimis eiectis Pastoribus , lupis rapacibus omnia impleverunt. Deinde quid tandem, obsecro, in hanc Pastorum negligentiam successit? Primum diuini verbi ab hominibus indoctis, audacibus, spurcis ac libidinosis, nulla vel auctoritate, vel pietate, vel solida eruditione præditis, fœda deprauatio, & venenata tractatio. Satius autem esset nullo pane vesci quàm venenato; maximè iam aliquo modo saturis, & bene pastis: quum hoc præfens exitium adferat, illo tantisper carere natura possit. Quum iam alta Ecclesiæ pax esset, omniumque Christianorum vox vna, & labium vnum, vna mens, vnum cor credentium omnium, fides simplex ab Apostolo laudata, tam accuratæ & frequentes verbi Dei explanationes adeò necessariae non erant ; quum suo quasi succo acceptæ à maioribus fidei, cui indubitanter adhærebant, fideles visitarent ; & ipsa totius vitæ simplicitas atque integritas adhortationibus ac stimulis adeò frequentibus minus indigeret. Demustamen, quod omnino negari non debet, magnam fuisse Pastorum negligentiam: quid nunc noui isti magistri attulerunt? *Singulis* (inquiunt) *Dominicis diebus Scriptura legitur, non lingua incognita* (hæc enim Calvinum offendit, quum illa lectio non ad populi doctrinam sed ad inuocationem, quam totius populi nomine Pastor facit, pertineat) *sed vulgari & quam omnes intelligant*. Verba quidem omnes fortasse intelligunt : sensum autè quotusquisq; tandem ex rudi populo intelliget? Imò absurdissimos sensus sibi plerique contingunt, eosque contra suos Ministros audacter tuentur. Atqui accedit explicatio & verbi prædicatio,

Illā

Illā sanè initio feruebat, tametsi (vt dixi) venenata & impia. At nunc ille feruor in nostra Anglia & alibi (vt audio) vehementer deseruit ; eiusque loco homiliæ quædam ex codice leguntur. Denique si tot seculis hic nouus seu Calvinismus seu Lutheranismus templa occuparet, quot à Catholicis occupata fuerunt (quod nunquam futurum apertè in Scripturis promissiones certum nobis faciunt) quis dubitat in altissimum somnum præsentem concionandi ac docendi feruorem non secus desitutum? Non est ergo quòd Calvinus de suis tam feruidis initijs gloriatur, aut aliquem in opere tam longo somnum, tot, inquam, seculorum, Ecclesiæ Dei obrepisse declamitet.

## IN LVCÆ CAP. 6.

35. *Mutuum date, nihil inde sperantes.*

**A**B omnibus ferè theologis hæc sententia contra vsuras quæ vltra sortem ex mutuo capiuntur, applicatur : vt in ea consilium sit ac præceptum. Consilium quoad mutuum dandum, præceptum verò quoad nihil vltra sortem ex mutuo sperandū : Nihil, inquam, quasi debitum ratione mutui : gratuitam tamè beneficentiam posse sperari : sed tanquā gratuitam, non tanquam debitam, ne & ibi aliqua sit vsura mentalis. Quibusdā tamè visum est, vt post Erasimum Cornelio Iansenio, vsuras hoc loco à Christo directè non interdici, vtpote quæ in veteri lege prohibita fuerant. Calvinus vltra progressus ait. *Hæc sententia perperam restricta fuit ad vsu-*

*vsura sub  
præcepto  
prohibita.*

ras. Rationem adfert, quia hic *Christus tantum hortatur ad gratuita officia, quia mercenaria nihil gratie coram Deo habent.* Et hoc ex superiore Christi sermone liquere ait. *Postquam enim exposuit Christus quid impij facere solēt, nempe quod mutuum dant similibus suis, ut paria deinde ab illis recipiant, subiicit quanto plus à suis requirat, nempe ut gratis dent mutuo.* Eandē rationē sequitur Iansenius, exponens illud *nihil*, nullā simile vicē, aut beneficiū aliquod: nō quod hoc peccatū sit, sed quod plus à nobis exigit Christus beneficentiæ quā quæ ab ethnicis præstabatur. Ceterum si hæc sola ratio spectetur, sequeretur quoque Christum hoc loco voluisse, ut ne quidem fortem ipsam se recepturum speret qui mutuum dat. Ethnicos enim mutuum dantes ipsa sorte contentos fuisse Christus antea dixerat. *Peccatores peccatoribus mutuum dant, ut recipiant equalia.* Et sic sensus erit, ut Ethnicorum beneficentiā superemus, *Nihil inde sperantes*, id est, ne quidem fortem ipsam sperantes, aut quasi reddendam expectantes, ramet si reddatur accepturi: alioqui donatio esset, non mutuum. Non est igitur opus à communi theologorum sententiā recedere, quasique cornicum oculos configere. Sensus igitur est: Postquā docuit Christus Ethnicos amicis suis benefacere & mutuum dare sola sorte contentos, subiungit, *Veruntamē diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date* (etiam inimicis vestris) *nihil*, id est, nullum lucrum, aut aliquid ultra fortem, *inde*, id est, ratione mutui, *sperantes*, id est, vel ipso solo animo intendentes tanquam debitum: *& erit merces vestra multa.* Sic mutuum dare etiam ipsis inimicis, consilium est & materia mercedis multæ. *Nihil inde sperantes*, præceptum est quod hic repetitur, & Ethnicorum exemplo confirmatur.

ur. Sed amplectitur perlibenter Calvinus, quicquid ad veterum Theologorum reprehensionem facere potuit.

## IN LUCÆ CAP. 7.

47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

**V**ARIA est huius loci interpretatio. Aliqui considerantes dilectionem Dei quatenus primæ iustificationis causa est, neque illam præcedens ut dispositio, neque consequens ut perfectio, sed formalis, quia infusio diuinæ gratiæ qua peccator formaliter iustificatur, est ipsa ex parte charitatis infusio; horum verborum sensum valde perplexum reddunt. Secundum illos enim hic est sensus: Dilectio ponitur causa remissionis peccatorū, quia quoad remissionem culpæ, est causa perficiens (perfecte enim tollitur inimicitia ubi noua ponitur amicitia) & quoad remissionem pœnæ, est causa meritoria. Caritas enim hoc sensu (aiunt illi) operit multitudinem peccatorum. Sed quum hæc dilectio sit habitus à Deo infusus, Christus autem de illa dilectione loquutus sit quam hæc mulier exercuit, id est, de actuali; tota hæc speculatio à sensu literæ prorsus aliena videtur. Alij sic exponūt: *Remittuntur ei peccata multa: quoniam*, id est, idcirco dilexit multum, ut quadret parabolæ à Christo propositæ. Sic didacus Stella, de Græco aduerbio *ὄτι* non rectè disputans. Rursum alij sic: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit*, id est, quod hinc cōstat quia dilexit

Dilectio  
quomodo  
remiss.  
peccato-  
rum  
causa.  
1. Sen-  
tentia.

2. Sen-  
tentia.

3. Sen-  
tentia.

Dilectio-  
nis ex  
gratia  
actus ad  
remiss.  
peccat.  
disponit.

Patrum  
consen-  
sus.

Caluini  
corru-  
pela.

multum. ut dilectio multa signū & nota sit, non causa remissionis peccatorū. Omnes hi sensus ideo inuēti sunt, quia quū remissio peccatorū sit gratuita, durum videtur causam eius ponere in dilectione præcedente. Sed remissioni peccatorum gratuita nihil repugnat, aliquos actus præcedentes ponere, qui ad eam necessariō aut saltem ordinariē disponant, & causæ sint disponentes, non autem meritorix. Sicut ergo fides, spes veniæ, odium peccati, tota pœnitentia, sic & ipsa dilectio Dei, nondum ut habitus infusi, sed ut actus boni ex speciali Dei gratia profecti, disponunt hominem ad remissionem peccatorum, ut iuxta manifestas Scripturas docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. Talis fuit Magdalena hoc loco dilectio: non qualis est in iustificatis, sed qualis est in pœnitentibus. Quod aliarū interpretationum, quæ sanè hæreticis fauent, authores imprimis aduertere debebant. Pœnitentis personam hîc agit Magdalena, & eius dilectionem laudat Christus, sicut cætera pœnitentiæ eius opera, quæ omnia ex magna dilectione profecta sunt, ut peccatricis pœnitentis opera, non ut iustificationis adeptæ fructus. Sic Patres omnes, qui hoc Euangelium tractant, exponunt: Gregorius homilia 33. in Euangelia, Ambros. libro 6. in Lucā, Augustinus homilia 23. ex homilijs 50. Bernardus in serm. de 4. modis orandi, vbi ait. *Rigans lachrymis pedes Christi, &c. ostendit quod omnino iam proposuerat in corde suo à peccato deinceps abstinere: & multo copiosius in serm. in festo B. Marię Magdalena.*

Sed contra hos omnes Patres impudenter hoc loco Caluinus. *Mirum (inquit) est plerofque interpretes tam crasse hallucinatos esse, quæsi hæc mulier veniam lachrymis, unctiōe, & osculis pedum promerita sit.* Cauilator

lator putidus pro eo quod interpretes dicūt, consecuta est, ait eos dicere, *promerita est.* Nemo vel veterum interpretum vel recentium, verbo *promerendi* vsus est; aut, si vsus est, aliter intellexit, quàm consecutionem de facto. Sed probare Caluinus vult, nec meritum nec causam vllam subsecutæ remissionis fuisse, quæ hîc Magdalena præstitit. *Nam (inquit) argumentum quo vitur Christus, non à causa sed ab effectu sumptum est, quia & prius ordine est beneficium accipere, quàm habere gratiā, & causa mutui amoris hîc notatur gratuita remissio.* At contrā Patres exposuerunt, argumentum Christi ab effectu non à causa sumptum esse: quia prius ordine est pœnitentiam agere, quàm remissionis beneficium à Deo accipere, & causa acceptæ remissionis hîc notatur multa dilectio, causa, inquam, non meritoria, sed ad eam disponens. Est quidem prius ordine beneficium accipere quàm *habere gratiam*, id est, gratias agere: sed illa quæ fecit hæc mulier, non erant de accepto beneficio gratiarū actio, aut mutui amoris, quem gratuita remissio excitauit, declaratio; sed ideo fiebāt, ut remitterentur peccata. *Quare fecit illa omnia* (ait Augustinus) *nisi ut sibi dimitterentur peccata. Et tu quoque plurimum dilige* (ait Ambros.) *ut & tibi remittantur peccata. Incendit plene peccati rubiginem* (ait Gregorius) *quia ardet valide per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.* Sed & D. Bernardus. *Sine vlllo intervallo (inquit) coniunguntur & lachrymæ peccatoris, & misericordia saluatoris.* Quare ineptè & absurde Caluinus, quicquid hîc Magdalena fecit, adeptæ iam iustitiæ signa fuisse, & ad testandam suam gratitudinem exhibita affirmat.

Multo quoque ineptius & impudentius post

Vbi supra.

Bezae de-  
prauatio.

eum Beza. *Qui hoc loco (inquit) abutuntur ad euer- tendam gratiam ex sola fide iustificationem, non modo summam impudentiam sed etiam infantiam suam patefaciunt. Qui sic, bone Beza? Negat enim (inquit) Christus hanc esse peccatricem, sicut iste Phariseus temere iudicarat. Si hoc negat Christus, ergo nescit ut sit est Lucas, qui de ea dicit, Mulier peccatrix attulit alabastrum unguenti. Nam Lucam eam sic nominasse quia talis tunc erat, non quia talis olim fuerat, contra Erasmus ipse Caluinus docet. Erasmo placuit (ait Caluinus) tempus verbi plusquam prateritum, ne quis putaret eam tunc adhuc fuisse peccatricem. Sed à genuino sensu discessit. Voluit enim notare Lucas qualis esset mulieris conditio, & quid de ea omnes sentirent. Hæc contra Erasmus Caluinus: qui, tametsi postea idem dicat quod hic Beza, pariter tamen cum illo errauit. Primum, quia Lucas eam designat qualis tunc erat. Deinde, quia Simon non ideo à Christo redarguitur, quod malè iudicasset illam esse peccatricem, sed quod peccatricis penitentiam non aduerteret: nam hanc ob causam singulos nobilissimæ penitentiae actus sigillatim ei commemorat: & per parabolam ostendit ideo illam tot dilectionis signa ostendisse, quia plurimum se debere sciebat. Sic Augustinus loco citato: *Quare dixit multum, nisi quia debebat multa?* Eandem quoque ob causam non contentus Christus remissionem peccatorum illi conferre, dicens, *Remittentur tibi peccata tua, siue in presenti siue in preterito illud verbum exponas, quod certè in presenti intelligebant qui illud audiebant; (stacim enim dicebant, Quis est hic qui peccata dimittit?)* adiecit præterea, *Quia dixit multum: ut intelligeret Phariseus hanc mulierem ex**

hu-

humili agnitione debitorum suorum, multaque propterea dilectione, peccatorum remissionem consecutam fuisse.

## IN LUCÆ CAP. 8.

50. *Noli timere, tantum crede, & salua erit.*

**A** BVT VNTVR hoc loco hæretici vt so- lam fidem à Christo exigi doceant ad salutem consequendam. *Excluduntur his verbis* (ait Flaccus Illyricus contra Iudocū Tiletanū in Apologia cap. 6. pag. 157.) *omnes alie huius Archisynagoga cogitationes ac sollicitudines, & iubetur in sua preccatione fidem constantem habere, quia fides sola suppliciter à Deo misericordiam implorans, omnia bona ab eo impetrat.* Respondet huic hæretico D. Tiletanus, ex ipsi hæretici verbis constare præter fidem, supplicem quoque & constantem orationē necessariam fuisse: ex quo statim conficitur, non solam fidem iustificare. Rectè hoc quidè, sed paulo plenius mox. *Docemur hoc loco, ait Caluinus, non posse nos modum credendo excedere: quia nunquā centesimam diuinæ bonitatis partem fides nostra quantumuis ampla capiet.* Hæc ille, vt doceat homines quantumcunque impios ex sola fide & apprehensione misericordiae diuinæ, absque vlla aut penitentia aut bonorum operum necessitate tum remissionem peccatorum tum vitam æternam consequi posse. Sed vtrique hæretico & alijs omnibus hoc loco pro sola saluante fide abuentibus, breuiter & efficaciter responderi potest: Si hic locus solam fidem iustificantem ac saluantē probaret, sequeretur non so-

Sola fides  
non sta-  
tuitur.

P. 210. b.

Kk 5 lum



bonorum animas in corpora transmigrare, magis declarat Antiq. lib. 18. cap. 2. eorum sententiam fuisse, quod bonorum animæ facile ad corpora redirent, .i. ex mortuis resurgerent, vt hîc de illis Lucas refert. Tameñi verò Iudæi hodie hoc errore laborant, non sequitur vlllo modo etiam Christi tempore eodẽ errore eos laborasse. Recentiores quippe Iudæi non bonorum tantum sed & impiorum animas transmigrare existimant, multisque alijs erroribus laborant à quibus Iudæi Christo veniente immunes erant. Est igitur vanum & fabulosum, Iudæos, Christo veniente, errore hoc Pythagorico laborasse.

54. Domine, vis dicamus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?

**A**RRIPIT hîc occasionem Calvinus eorum pietatem taxandi qui Sanctorum Patrum exempla imitari student. Hîc (inquit) videmus quod nos impellat stulta sanctorum patrum imitatio. Quare v erò istud? Obtundunt (inquit) Iacobus & Ioannes Eliæ exemplū, sed non attendunt quantum ab Eliâ differant. Non bene examinant zeli sui intemperiam: ad Dei vocationem non respiciunt. Hæc ille. Sed primū apertè mentitur, quum ait Apostolos obtundere Eliæ exemplum. Nullam Eliæ mentionem faciunt: ergo eius exemplū non obtundunt. Illud quippe obtundimus quod ad facti nostri vel rationem vel excusationem disertè proferimus. Deinde etsi conijcere liceat ad exemplū Eliæ eos hoc petiisse, tamen neque ex coniectura fas est Apostolos condemnare, neque hæc coniectura firma est. Elias quippe ad suam tutelam, suoque voto in regios milites, qui ad eum capiendum venerant,

SS. Patrum  
imitatio  
defen-  
ditur.

nerant, ignem de celo impetrauit. Apostoli neque suam sed magistri sui causam agunt, neque ad suum votum sed ad Christi beneplacitum ignem de celo perunt. Vis (inquiunt) vt dicamus vt ignis descendat de cælo? Rem totam voluntati Christi relinquunt. Hoc discrimen Calvinus eludere conatur. Quamquam (inquit) dubium est, putentne sibi in manu esse potentiam, an sibi à Christo dari petant; mihi tamen hoc magis probabile est, quod stulta fulcra elati, modò armat Christus, ad exequendam vindictam se armatos esse non dubitent. Hæc ille. Contra aperta Apostolorum verba in dubium vocat, an ignem è cælo deuocandi potentiam sibi in manu esse putent (sicuti in manu Eliæ erat, hanc illi potentiam Deo concedente) an sibi à Christo dari petant: & illud prius magis probabile existimat, quum disertissimis verbis hanc à Christo potentiam perierint. Dixerunt enim, Vis vt dicamus, id est, placetne tibi vt nos iubeamus. Si enim tibi placet, & tu fieri id vis, nos illud exequemur. Elias autem, cuius exemplum Apostolos hîc obtundere Calvinus mentitur, quum milites regios occidere vellet, nō dixit, Domine, vis vt dicam vt ignis descendat de cælo; sed dixit, Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo. Elias ergo simpliciter, quatenus homo Dei est, hoc iubet. Apostoli si Christus velit, non aliter, iubere parati sunt. Nō dicūt, Si nos Apostoli sumus, descendat ignis. Sed si tu vis vt dicamus, quod ignis descendat, parati sumus hoc dicere. Planum igitur & perspicuum est, quod à Christo hanc sibi potestatem dari petunt, non eam sibi in manu sua esse putant.

Deinde non ideo Christus Apostolos reprehendit quod quasi Eliæ imitatores esse vellent, & Patrum suorum exempla præposterè sequi; sed quod

Apostoli  
contra  
procacitatem  
Caluini  
defen-  
duntur.

2. Reg. 1.



Patrum  
imitatio-  
nem  
Christus  
non re-  
prehendit.

Conse-  
quentia  
Caluina-  
na ab-  
furditas.

quod non aduerterent se huiusmodi Patrum non esse filios, nec ad illum spiritum pertinere quem illi acceperunt, seueritatis scilicet, quæ in timore suos contineret (quæ fuit veteris populi disciplina) sed ad spiritum mansuetudinis & misericordie, quæ per amorem alliceret, qui Euangelicus spiritus est. Sic enim illorum temeritatem corrigi: *Nescitis cuius spiritus estis*, id est, nescitis quem spiritum habere debeatis, videlicet Euangelicum, non legalem; mansuetudinis, non seueritatis; denique ad ædificationem, non ad destructionem. Nam & ego magister vester *non veni animas perdere, sed saluare*. Hic est germanus huius loci sensus. Nulla igitur est ista consequentia: Apostoli & noui testamenti ministri non debent veteris testamenti Patres in eo quod illius testamenti statum concernit imitari, quia diuersus est vtriusque testamenti spiritus, diuersa ratio: ergo filij noui testamenti, Christiani fideles, non debent imitari pia exempla Sanctorum Patrum eiusdem testamenti. Hæc est Caluini consequentia vana & improba. Nos, quum Sanctorum Patrum exempla sequimur, eiusdem testamenti & status Patres sequimur, qui eundem Spiritum acceperunt quem nos; ideoque quum eos imitamur, dici nobis non potest: *Nescitis cuius spiritus estis*. Ac per hoc factum istud Apostolorum nihil prorsus contra fideles Christianos facit, qui Sanctorum Patrum exempla pie ac studiosè imitantur. Adiungit alium locum ex Ioan. 4. cap. de Samaritanis, qui suorum Patrum pretextu idololatriam suam fucabant. Sed quum ad eum locum ventum fuerit, ei respondebitur.

I N

## IN LVCAE CAP. IO.

16. *Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.*

**I**NSIGENS est in his verbis autoritatis Ecclesiasticæ commendatio: ex quibus ista sequuntur. Primum, per Ecclesiæ Præpositos Christum loqui, ideoque illis non secus ac Christo obediendum. Deinde, Ecclesiæ vocem infallibiliter esse veram, quia Christi vox talis est. Tertio, Ecclesiæ vocem sine exceptione aut conditione esse audiendam. Sic enim audiri Christus debet. Quarto, Ecclesiæ vocem esse medium necessarium & efficax, cooperante cum ea Spiritu S. ad fidem ingenerandam. Tale enim medium Christi vox erat quum Iudeis prædicaret. Denique quicquid in ratione docendi ac ea quæ ad salutem pertinent præcipiendi Christus Iudeis fuit, idem Christianis Ecclesiæ: & quamcumque apud eos fidem & autoritatem Christus habere debuit, eandem nunc apud Christianos habet vox, doctrina, & præcepta Ecclesiæ.

Caluinus agnoscit hoc loco docere Christum, *præstantissimum hunc esse Dei cultum, & optimi odoris sacrificium, ac idcirco ipsum ore hominum loquentem; & nos eius verbo non secus subijcere, quod per homines adfertur, quam si descenderet ipse de celo*. Addit tamen conditionem, *si Ecclesiæ fideliter sui munus exequitur; & ait: Sicuti magnifice extollitur Pastorum dignitas qui sincere & fideliter munus suum exercent; ita ridiculus est Papa cum suis, dum hoc pretextu tyrannidem suam fouet*. Sed non videt cæcus hereticus hanc exceptionem

Ecclesiastica autoritatis commendatio.

Caluini euasiones contra ipsum militant.

in

in illum & in quoscumque Pastores retorqueri. Ridiculi sunt Ministri prædicantes cum suis, dum prætextu externi ministerij hic à Christo magnifice cõmendati suas hæreses mûdo obrudunt. Exceptione enim hac semel admissa, si fideliter Ecclesia docet, non veræ tantum Ecclesiæ Præpositi, sed quarumlibet sectarum Ministri, omni prorsus auctoritate & fide, quam Christus hic illis dat, spoliabuntur. Certum quid est, Ecclesiæ obediendum esse quatenus fideliter docet: sed an fideliter doceat, non est nostrum in dubium vocare. Certum est, Iudeos debuisse Christo obedire quatenus testimonium perhibebat veritati: sed an illud faceret, non erat Iudeorum in dubium vocare, sed simpliciter credere. Quare sicut Christo Iudei, sic nos Ecclesiæ simpliciter credere debemus; non quidem siue vera doceat siue non, sed siue id nobis constet siue non. Dubitandum non est, quin sicut Pater mittens Christum, & iubens eum audiri, sic Christus mittens Ecclesiam, & iubens illam audiri, sua sapientia disposerit ut sine vilo periculo erroris tam Ecclesia à nobis quam Christus à Iudeis audiretur.

Audiamus tamen Caluini cavillum in contrarium. *Certum est* (inquit) *non ita loqui Christum ut ius sibi à Patre datum hominibus resignet, sed tantum ut à contemptu vindicet suum Evangelium.* In his paucis verbis mentitur & fallit impostor. Purum mendacium est, quod dicit Christum ius sibi à Patre datum hominibus non resignasse. Illa enim resignatio quo ad docendi munus, de quo hic agitur, conceptis verbis apud Ioan. legitur. Ait ibi Christus. *Ego te clarificavi super terram: Opus consummaui quod dedisti mihi ut faciam. Manifestavi nomē tuum hominibus.* Paulopost. *Ego dedi eis sermonem tuum. Sanctifica eos in veritate; ser-*

Ecclesiæ  
simplici-  
ter ab  
omnibus  
creden-  
dum.

Caluini  
menda-  
cium.

Ioan. 17.

*in tuas veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego eos misisti in mundum.* Dicit apertè se munere suo iam defunctum, idem in Apostolos resignasse. Sed & hoc loco duos gradus ponit Christus doctrinæ ad homines allatæ. Primum quod Pater illum misit & docuit, cui obedire oportuit. Secundum quod ille mittit Apostolos, quibus est obediendum. Quare quum dixisset, *Qui vos spernit, me spernit;* adiecit, *Qui spernit me, spernit eum qui misit me.* Sicut ergo Christus in Evangelio dicit, *Omne iudicium dedi Pater Filio;* sic Chrysolomus dicit, *Hoc autem totum video datum sacerdotibus.* Atque hoc quidem Caluini mendacium est.

Fallit impostor, quum dicit, Christum ita loqui ut à contemptu vindicet suum Evangelium. Id enim non nisi consequenter facit Christus hoc loco. Sed ita loquitur Christus immediatè & proximè, ut à contemptu vindicet Evangelij ministros & prædicatores. Non enim dicit, *Qui Evangelium audit, me audit;* sed Ecclesiæ ministros alloquens dicit, *Qui vos audit, me audit.* Obediendum immediatè personis loquentibus est, quia *fides est ex auditu.* Doctrinæ Evangelicæ creditur mediante voce Ecclesiæ. In hoc fallunt & falluntur hæretici.

Sed inuertit penitus alius hæreticus hæc verba hoc modo: *Qui vos audit, me audit:* id est, verbum meum non vestrum loquimini. Intelligit autem verbum scriptum. Sed hoc commentum verba ipsa evertunt. Neque enim adhuc scriptum erat verbum istud, quod nunc Scripturam vocamus; neque Scripturam audimus quatenus Scripturam, sed legimus; neque prædicatio Apostolica alia est, quam vox audita. Hanc vocem Christus esse suam dicit, quæ per Apostolos loquitur. Sic Ecclesiæ vocem, Dei vocem esse dicimus, quia Deus per

Christus  
docendi  
munus in  
Ecclesiam  
resigna-  
uit.

Ioan. 3.

Caluini  
impo-  
sura.

Rom. 10.

Melanch-  
thonis  
cualio.

Ecclesiam loquitur; & quia Ecclesiam non suū sed Dei verbum infallibiliter accipit, tenet, docet. Præterea manifestè dixit Christus hæc verba in eum finem, vt Apostolorum autoritatem declararet & commendaret; ideoque statim adiunxit: *Qui vos spernit, me spernit.* Debent ergo illa verba, *Qui vos audit, me audit,* similem sensum habere; neque sic intelligi, quasi præscriberent Apostolis, quibus verbis in docendo vti deberēt, scripto videlicet vel scribendo potius Christi verbo, vt iste nugator intelligit, (hoc enim & alibi eos perspicue docuit, & hic nihil minus tractat) sed sic intelligi, vt euidenter demonstrent, quantam verbis Apostolicis, & consequenter alijs Ecclesiarum magistris ipsorum successoribus, (alioqui enim stultus iste cauillator nihil de his verbis sollicitus esset) autoritatem deferre atque tribuere debeamus. Et dicit Christus, sic illos esse audiendos, & cum tanta auctoritate, ac si Christum ipsum loquentem audiremus. Vt autem huius cauillationis vanitas adhuc magis perspicua fiat, pone Regem aliquem qui Prætorem constituens, ei dicat: *Qui tuam sententiam audit, meam audit;* & qui tuam spernit, meam spernit. Si hic rebellis aliquis aut pertinax litigator audiat contra se Prætoris sententiam ferri, quæ tamen non sit ipsa lex scripta regalis, sed legis ipsius expositio prætoris, quero an litigatoris esset bona exceptio dicentis: *Tua interpretatio & sententia me obligare non potest, sed Regis tantum imperium.* Quod enim tibi Rex dixit, *Qui tuam sententiam audit, meam audit,* ideo dixit, quia tu non debes nisi verba Regis & leges regias & imperiū Regis loqui. Quare, nisi Rex me condemnet, adhuc mea causa bona est. At vt nemo est hodie hereticus alicuius cere-

bri,

bri, qui non aperte videat hanc cauillationem friuolam esse, & merā improbi hominis euasione, vt Prætoris autoritatem declinet; sic planè in ipsis hereticis respectu Christi & Ecclesie eius se res habet.

27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, &c.*

**P**ROPTER huius præcepti verum sensum non intellectum heretici hodie omnes tam hoc præceptum quàm totam legem ad obseruandum esse impossibilem docuerunt. Quorum vestigijs insitens hoc loco Caluinus, ita scribit. *Certum est in lege præscribi hominibus quomodo vitam formare debeant, vt salutem coram Deo sibi comparent. Quod autem lex nihil aliud quàm damnare potest, non sit doctrinæ vitio, sed quia impossibile nobis est præstare quod iubet. Ergo quanquam ex lege nemo iustificatur, continet tamen lex ipsa summam iustitiam: quia non falso salutem promittit suis cultoribus, si quis plenè obseruet quicquid mandat.* Hæc ille. Docet impostor in lege summam iustitiam describi, & legem suis cultoribus salutem promittere, sed sub conditione nobis impossibili. Hoc est dicere, falso & ridiculè. Quis eum legislatorè suis subditis falsam & ridiculam legem dare negabit, qui magno proposito præmio illud iubeat, quod à nemine subditorū impleri posse optinè nouit? vt si sic pauperi & infirmo dicat: *Si regnum mihi proximum subiugaueris, mei regni te hæredem constituam.* Alienum quidem regnum subiugare summa fortitudo ac virtus foret: sed nunquid tamen domini sui regnū falso & ridiculè illi promittitur qui hoc nullo modo præstare potest? Putant hæretici se satis legi tribuere, quod summam iustitiam doceat, & salutem suis cultoribus pro-

Lex Dei  
an præci-  
piat quod  
prestari  
nō potest.

Ll 2 mit-

mittat. Sed non vident se legiflatore & ridiculū & mēdacē facere, quādo à nemine docēt legē impleri posse. Absurdū hoc eludere conatur Calvinus. *Hæc* (inquit) *docendi ratio nobis absurda videri nō debet, quōd Deus primō iustitiam operum requirat, deinde gratiam offerat sine operibus.* Sed quare & quam ob causam absurda videri non debet? Attendamus rationem quam adfert. *Quia* (inquit) *necesse est homines iuste suæ damnationis convinci, ut ad Dei misericordiā confugiant. Ideo apud Paulum, Rom. 10. 5. utriusque iustitiæ comparatio ponitur, ut sciamus nos ideo gratis iustificari à Deo, quia propria iustitia destituimur.* Hæc ille. Fallit improbèle etorem, & ut ego sanè arbitror, ex composito. Lex est pædagogus ad Christum, quia convincit homines non suæ damnationis, quasi nemo mortalium legem impleret, ut vult Calvinus, sed suæ infirmitatis, quia sine gratia Dei per Christum nemo illam implere potest, ut iuxta Scripturas perpetuò docet Augustinus. Paulus autem ad Rom. 10. 5. *iustitiam quæ ex lege est, operum iustitiæ quæ ex fide est*, quia illa quæ ex lege est, docet tantum quid facere debemus; sed illa quæ ex fide est, habet gratiam Christi in corde, quæ facit nos facere quod lex iubet: & sic docet nos propria quidem iustitia destitui, ut gratis iustificemur (ut hîc Calvinus ait) respectu primæ iustificationis qua ex impio aliquis fit iustus, aut qua impius Deo reconciliatur, (de qua iustitia lex non loquitur) sed non docet nos illic Paulus propria iustitia destitui respectu illius salutis quam lex suis cultoribus promittit, nempe vitæ æternæ; nisi quatenus propria illa iustitia intelligitur, quæ proprijs viribus ex sola legis doctrina comparatur, qualem Iudæi in Christum non credentes habere volebant, ut in fine præ-

Lex quomodo pædagogus ad Christū.

cedentis capitis Paulus docuit. Nam verba Pauli in loco à Caluino notato planè & perspicuè docent quòd iustitia ex fide facit servare legem Dei. *Quæ ex fide est iustitia, sic dicit*, id est, de iustitia ex fide sic Script. dicit: *Nec dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum?* &c. id est, ne putes legem tibi credenti & converso ad Deum esse difficilem, aut vires tuas superantem. *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo*, id est, res tota facilis est tibi iam converso & credenti, & diligenti Deū. Moyses enim (à quo hæc verba Paulus desumpsit) quum primum dixisset, *Circūcidit Dominus Deus tuus cor tuum, ut diligas Dominum Deum tuum* (quod ad credentes & conuersos loquitur) paulo post subiungit: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, neque procul positum, neque in cælo situm, &c. sed iuxta te est valde sermo in ore tuo & in corde tuo, ut facias illud.* Hæc ibi. Quare illa verba tractans August. ait. *Conuersus quisque sicut ibi præcipit, ad Dominum Deum suum, ex toto corde suo, mandatum Dei non habebit graue.* Sic ipse locus à Caluino notatus luculenter probat quod Calvinus negat, nempe legem Dei non esse impossibilem: videlicet credenti & conuerso. Manet ergo absurditas illa maxima iuxta doctrinam Caluini, *Deum operum iustitiam primò querere, & postea gratuitam offerre sine operibus.*

Sed tota Caluini & aliorum hæreticorum contra tam apertam veritatem lucta est huius præcepti legalis praua intelligentia. Diligere enim Deum perpetuò actualiter, & sic ex toto corde ut nihil præter Deum diligatur, & ille tantum diligatur quantum diligibilis est, nemo in hac vita potest, & hoc sensu August. in lib. de perfect. iustitiæ, & post eum Bernard. serm. 50. in Cant. docent hoc præceptum in hac vita non impleri, nec

Iustitia ex fide facit servare legem.

Deut. 30.

Lib. de nat. & grat. c. 69.

Dilectio Dei ex toto corde quomodo intelligenda.

sub prævaricationis pœna obligare, sed per modum doctrinæ, quò cõtendere debeamus, ordinare. Verùm diligere Deum habitualiter, & per opera dilectionis externa, in omni sua operatione retinendo habitualem Dei dilectionem, & sic toto corde, vt præcipuè Deus diligatur, homo in hac vita potest & debet. Et sic intelligendum esse hoc præceptum, illa alia Scripturæ verba manifestissimè docent: *Onus meum leue est, Mandata eius graua non sunt*, & alia huiusmodi.

Matth. 11  
1. Ioan. 2.

29. *Hoc fac, & viues.*

Opera  
bona vitæ  
æternæ  
causa.

QVVM horum verborum manifestus & perspicuus hic sensus sit, Hęc dilectio Dei & proximi illa opera sunt quæ facere debes vt vita æterna viuas, vt sic quæstioni legisperiti satisfaceret Christus, qua quærebat et si animo tentandi, *quid faciendo*, id est, per quæ tandè opera, *vitam æternam possideret*; totum hunc sensum prorsus inuertit Calvinus, & vult *consilium Christi fuisse calumniam diluere*, qua sciebat apud rudes & indoctos *se grauari, quasi legem, quatenus perpetua est iustitiæ regula, euertetur*. Sed totum hoc merum figmentum est. Consiliũ Christi fuit, non rudium & indoctorum calumniam diluere, de qua nihil in textu apparet, & à Caluino fingitur vt aliò lectoris animum auertat, sed istius legisperiti quæstioni satisfacere, qua tentare & experiri volebat, an legis Moysaicæ mandata Christus approbaret, de quo apud ipsos Scribas & doctos Iudæos sciebat se in suspicionem & calumniam trahi. Hoc falso posito fundamento, ait hoc loco Calvinus: *Non ideo nos gratis iustificat Deus quia lex non ostendit perfectam iustitiam, sed quia in eius obseruatione deficiamus omnes: ideoque nos ab ea vitam conse-*

qui

qui *negat Christus, quia infirma est in carne nostra*. Hęc ille. Non solum fabulam narrat à contextu Evangelico alienissimam, sed etiam, si rectè attendatur, Christi verbis manifestè contradicit. Fabula est, & à contextu præfenti alienissima, cuius nec minimum in textu apparet vestigiũ, nos gratis iustificari à Deo quia in lege deficiamus omnes, & non quia lex non ostendit perfectam iustitiam: Nos autem à lege, id est, à legis obseruatione vitam non consequi, aut Christum hoc negare, differtissimis Christi verbis ex diametro contrarium est. Dicit enim Christus: *Hoc fac, & viues*: id est, faciendo mandata legis viues. Ait Calvinus Christum dicere: *Faciendo legem non viues*. Sic eius interpretatio textum destruit, & Christi verba penitus inuertit.

Iam verò si hęc verba, *Hoc fac, & viues*, non continent expressum Christi mandatum de faciendo quod lex iubet, & disertam affirmationem quòd eam faciendo vitam cõsequemur, tunc etiam illa alia Christi verba ad eundem legisperitum, *Vade, & factu similiter*, non erit aliquod Christi mandatum de faciendo quod fecit ille Samaritanus, sed erit tantum regula iustitiæ ad imitandũ quod nemo imitari potest. Vnde sequetur non nisi fabulam à Christo recitatam fuisse, & non solum talem aliquem Samaritanum nõ fuisse, sed nec esse potuisse. Nam si vnus Samaritanus sic facere potuit, cur non & alius quilibet idem possit facere? Ergo si, *Vade, & factu similiter*, præceptum est eius quod fieri potest ac debet; illa quoque verba, *Hoc fac, & viues*, præceptum similiter continebant eius quod fieri potest ac debet, cum adiuncta promissione vitæ æternæ.

Taxat postea Calvinus, sub nomine defenso-

L 1 4 rum

Mendacium, & aperta verborum Christi contradictio.

Patres à  
Caluino  
sine causâ  
data accu-  
sati,

536 ANTIDOTA EVANG.  
rum liberi arbitrij, doctiss. Patres Augustinum,  
Ambrosiû, & alios, qui affirmant sub typo huius  
vulnerati Samaritani curantis eum, describi sta-  
tum hominis post lapsum, & restorationem per  
Christum. Nec ullam causam reprehensionis ad-  
fert, nisi quòd dicat *maiores Scripturæ habendam re-  
uerentiam quàm ut germanus eius sensus hac licentia trans-  
figuretur*. Sed habetur à Patribus maxima Scriptu-  
ræ reuerentia; quia & germanus ac literalis sensus  
de habendo pro proximo qui nostra ope indiget,  
eoque opere diligèdo, diligentissimè retinetur, &  
mysticus quoque sensus in eo latens enucleatur.  
Sed vnus Caluinus licentia hæretica ipsam diui-  
næ Scripturæ literaturam alijs innumeris in locis,  
tum hîc maximè penitus transfigurauit, corru-  
pit, inuertit, Christi que verbis disertissimis clara  
& impudenti voce cõtradixit, vt iam ostensum est.

## IN LVCÆ CAP. II.

41. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia  
munda sunt vobis.*

1. **C**H R I S T V S in his verbis, nec ironicè  
loquitur, vt quidam putat, quasi opinio-  
nem Phariseorum irrident, qua dicuntur  
exiit malle per solas eleemosynas omnia peccata  
purgari, vel saltem rapinas condonari quando ex  
illis eleemosynæ fiunt (neque enim vel tanti eleē-  
mosynarij isti Pharisei erant, vel tam stulta eorū  
sententia vsquam legitur) nec solet Christus iro-  
nicè docere, maximè quū dicit, *Et ecce*; nec etiam  
docet per solas eleemosynas (vel cætera pietatis  
opera negligendo, vel in peccatis perseverando)

om-

omnia peccato ribus condonari, quam quorun-  
dam suo tempore opinionem refutat sæpe Augu-  
stinus in lib. de fide & operibus per totū, in En-  
chir. cap. 75. & deciuit. De lib. 22. cap. nec deni-  
que (vt Caluinus hîc somniat) *eos rite ac legitime vesti-  
pane suo qui eleemosynas erogant, qui que ex sua abundan-  
tia pauperum inopia subueniunt* (hæc enim expositio,  
eorum verborum, *Ecce omnia munda sunt vobis*, nul-  
lum sensum adfert, nec causam aliquam reddit,  
quod tamen imprimis expendendum erat, quum  
Christus non simpliciter eleemosynas erogare iu-  
beat, sed hanc etiam promissionem subnectat,  
*Ecce omnia munda sunt vobis*, non panis tantum ait aut  
cibi vsus: sed docet eleemosynam esse proprium  
remedium contra morbos Phariseorum, rapinâ  
& iniquitatem, quos hîc nominatim taxat. Hu-  
iusmodi quippe peccata quorum propria purga-  
tio est debita restitutio, per eleemosynam aptissi-  
mè purgantur; non quia ea sola totam purgatio-  
nem adfert, & plenam remissionem consequitur;  
sed quia hæc noua liberalitatis & charitatis affe-  
ctio animū rapinis debitū ab illo vitio expurgat;  
quo vitio sublato, ad cætera omnia penitus emun-  
danda aditus & via facta est. Eleemosyna igitur  
auaros per omnia mundat, quatenus emundatio-  
nis principium quoddam est, & pro veteribus de-  
lictis satisfactio debita. Hic sensus à D. Basilio  
traditus est in Regulis breuioribus ad q. 271. Et si-  
milis hic locus est ei quod dixit Regi rapaci Da-  
niel. *Peccata tua* (que maximè erant rapinæ) *eleemo-  
synis redime.* Verba autem illa (*quod superest*) nec  
significat quod ex rapinis vestris reliquū est, quasi  
dixisset Lucas τὸ λοιπὸν; nec pro copia præsentis  
accipitur, vt Caluinus vult, quasi dixisset Lucas  
τὸ περισσόν; sed significat simpliciter iuxta ver-

4-  
Eleemo-  
syna quo-  
modo in  
Phariseis  
munda-  
bat om-  
nia.

Dan. 4.

bū *ἡ ἐροῦντα*, quo Luc. utitur, ea quæ vobis adsunt, ut ipse Beza vertit, id est, ea quæ iam habetis, siue iustè possidetis, date in eleēmosynam, id est, iuxta facultates vestras, subaudiendo *ἡ ὑμῶν*. Sic Theo. phylactus exponit: *ταῦτα ὑμῶν ἡ ἐροῦντα ὑμῶν*. Sic & textus Syriacus vertit, *id quod est*. Nempe ex eo quod iuste & rectè vestrum est, facite eleēmosynas.

Proterè Calvinus hoc loco Catholicos taxat dicens. *Quòd hinc inferunt Papista eleēmosynas esse satisfactiones quibus mundamur à peccatis, stultus est, quàm ut longa refutatione opus habeat. Neque enim Christus hinc differit, quo pretio nos peccatorum remissionē acquirere oporteat, sed eos purè vesti pane suo qui partem erogant pauperibus. Sed hunc superbum hæreticum textus ipse refutat, ut iam ostensum est, & S. Basilius loco citato exemplū simile adfert in Zachæo publicano, qui pro veterum peccatorum satisfactione professus est: Si quem fraudauero, reddo quadruplum. Christus hoc loco non quidem agit de pretio quo acquirenda est remissio peccatorum, neque Catholici satisfactiones ponunt tanquam pretia acquirendæ remissionis, sed vel tanquam media placandi Deum, ut ad remissionem consequendam homo sit dispositus, vel tanquam pœnæ peccatis iam remissis debire exolutiones. Iuxta priorem sensum docet hinc Christus eleēmosynas, non quidem pretium, sed modum esse mundandi rapaces & auaros: quia hoc modo & pro pristinis peccatis satisfaciunt, sicut Zachæus; & ad Dei misericordiam Christi que sanguinis beneficium obtinendū (quo plena fit cordis emundatio) eo magis disponuntur.*

Luc. 19.

Satisfactions  
quo sensu  
ponuntur  
à Catholicis.

IN

## IN LVCÆ CAP. 12.

14. *Quis me constituit Iudicem aut diuisorem inter vos?*

**Q**VVM Christus in causa iustitiæ, & que ad fouendam concordiam inter fratres faciebat, rogatus operam suam interponere, id facere recuset, quaritur an Episcopi & Pastores, qui Christi locum tenent, subditorum suorum litibus circa temporalia bona dirimendis hoc exemplo penitus abstinere debeant. Anabaptistæ hodie hoc Christi exemplum ita rapuerunt, ut penitus Christianis interdictum putarent aut hæreditates partiri, aut forensibus negotijs se interponere, aut aliquod deniq; civile munus obire. Calvinus verò in hunc locū contra Papā & cōsequenter omnes Episcopos debacchatur, quorū hic ait *latrocinium damnari, quòd quum Ecclesie Pastores se esse obtendant, terrenam ac profanam iurisdictionem inuadere ausi sint*. Alij adhuc interpretes Catholici docent ex hoc loco non debere Episcopos negotijs ac litibus secularibus audiendis ac dirimendis vacare, (tamen Augustinus Episcopus id studiose fecerit, ut tam ipse met de seipso commemorat de opere monachorum cap. 29. quàm in eius vita Possidonius) videlicet quia hodie fora secularia sunt Christianorum fora & tribunalia. Sed aliqua adhibita distinctione, & error omnis facile vitabitur, & ipsa veritas tenebitur. Vacare audiendis & dirimendis subditorū litibus Episcopus aut Pastor non solum licitè potest, sed ex officio pastoralis debet, quando nec propter lucrum temporale, sed propter spem vitæ æternæ id facit (ut August. se fecisse scribit) nec reliqua officia pastoralia propterea

Anabaptistarum error circa iudicia secularia.

iudicia secularia Pastores quatenus exercere debent.

pterea intermittit, & ad lites inter subditos grauiores rescindendas id officium præstat, ipsique subditi non ex auaritia sed ex necessitate aut honestate Pastoris arbitrium experunt. Christus hic recusauit diuidere, tum quia nisi ab vna parte rogatus, arbiter adhuc delectus non erat; tum quia ex auaritia hoc ab eo petebatur, vt sequens disputatio demonstrat, tum quia prædicationem verbi hæc hominis postulatio interpellauit. Sic Paulus de negotijs secularibus Christianorū cognoscere noluit, quia, ait August. loco citato, *Apostolatus eius discussus aliter se habebat*. Errat absurdissimè Anabaptistæ, quia Christi verba non ad omnes Christianos sed ad solos Pastores pertinere possunt. Errat malitiose Calvinus, quia nec iurisdictionem temporalem, nec possessiones temporales, in quolibet Episcopo hic locus prohibet, sed de sola cognitione & iudicio circa alienas causas & bona aliena Christus loquitur. Errant & alij, qui propter fora & tribunalia Christianorū, licere negant Episcopis aut Pastoribus secularia tractare iudicia, sicut August. fecit, & sicut propter honorem sacerdotij à iudice forensi ad Episcopos in causa ciuili appellare pij Imperatores permiserunt. Theodosius Canis. 11. q. 1. c. Quicumque &c. volumus, & Carolus M. vt est apud Bertrandum in libello de Iurisdictione Ecclesiastica. Nam & illorum omnium tempore fora & tribunalia penes Christianos erant. Sed in tota hac causa modus ille tenendus est quem diximus.

48. *Qui nō cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

**D**EXTERE sunt hæc verba intelligenda, ne ignorantia eorum quæ ad salutem pertinent,

Caluini  
insulsa  
crimina-  
tio.

ment, fauere ac patrocinari hic locus videatur. Si enim qui fecit digna plagis, id est, grauius crimina perpetravit, paucis tamen vapulabit, quia non cognouit voluntatem Dei; satius & oprabilius videtur esse, voluntatem Dei penitus ignorare, & in hac ignorantia persistere, quàm ei cognoscendæ operam dare. Sed non loquitur Christus de ignorantia affectata, qualis eorum est qui dicunt, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*; nec de ipsius ignorantia leuiori pœna disputat, (non enim dicit, Qui non cognouit voluntatē Domini, ideo vapulabit paucis,) sed de illorum peccatorum pœna agit, quæ cum ignorantia voluntatis Dei coniunguntur, non ex ea proficiuntur. Ait enim, *Et fecit digna plagis*. Est igitur sententia comparatiue intelligenda: videlicet ex duobus, quorum alter cognouit voluntatē Domini, alter non cognouit, id est, tam amplam & clarā scientiam non habuit, cæteris paribus ille propter peccata grauius, iste leuius punietur: non quia iste non etiā grauius, sed quia ille grauius peccet. Ignorantiæ igitur voluntatis Dei hic locus non patrocinatur, quia nec de ignorantia affectata sit fermo, nec ipsa ignorantia simpliciter excusatur, aut à pœna liberatur, sed ignorantis peccata in comparatione minus, per se verò plurimum punienda docentur. Qui autē propterea ignorantiam fouendam iudicat, perinde facit ac ille qui febris laborans curari nolit, ne forte postea recidians grauius ægroter. Hic Calvinus SS. Patrum ignorantiam quā supponit, & quam à nobis obtendi fingit, taxare voluit. *Hinc apparet* (inquit) *quàm putida sit & friuola eorum tergiversatio, qui clarā Euangelij doctrinā hodie respicientes, tali pernicacie Patrum inscitiam obtendunt: quasi verò ad repellendū Dei iudicium sufficiat*

Ignoran-  
tia quo-  
modo  
pœnam  
minuat.

Iob 21.

Caluini  
insulsa  
crimina-  
tio.



*sufficiat ignorantia clypeus.* Nempe Catholici non hodie dogmatibus & hæresibus (quæ claram Evangelij doctrinam vocat Calvinus) subscibere recusant, verbi gratia, soli fidei iustificanti, imputatione iustitiæ, & certitudini gratiæ, eo quod apud Patres hanc doctrinam non inveniunt. Hæc recusationem iustissimam, pernicaciam vocat Calvinus, & Patrum in his ignorantiam frustra obtendi ait: additque postea, *utcumque illorum ignorantie parcat Deus, nunc tamen sponte peccantibus*, id est, Evangelicam veritatem à Caluino & sodalibus eius mundo inuestam repellentibus, *eandem veritatem sperari non posse.* Sed nos ignorantiam Patrum non obtendimus, quasi aliquid circa fidem ignorarent. Istas novas hæreses ab illis penitus ignoratas agnoscimus, & hoc solo nomine illas damnamus: quia veritatem Evangelicam ignorare tam diu Ecclesia Christi non potuit. Aut, si tam diu ignoravit, unde certi esse poterimus, quod nunc eam Ecclesia teneat? Curnon posterius nostri nos etiam veritatem ignorasse affirmare poterunt: vt sic nulla aetate, nullo seculo, Pastores ac Doctores habuerit Ecclesia, quorum antiquam doctrinam tenere liceat, ne circumferamur omni vento novæ doctrinæ.

(. . . .)

(. . .)

(. .)

IN

## IN LUCÆ CAP. 13.

*Doctrinæ compendium. Cap. 13.*

**S**VNT in hoc capite quædam doctrinæ capita annotatione digna. Primum humani ingenij errorem perstringit, quo iudicant temere homines, grauiam in mundo passos grauius deliquisse. Hic error in toto libro Beati Iob accuratè refutatur: & duobus exemplis propositis à Christo euidenter refellitur. Alterum caput est de penitentiæ agendæ necessitate, quam ex aliorum castigatione discere oportet, vt iuxta illud Cypriani in serm. de lapsis, *tormēta paucorū exempla sint omnium.* Tertium est de cauendo diuinæ gratiæ abusu, exemplo arboris infrugiferæ, quia Dei patientia nimitum laxa vertitur in furorē. Quartum est de diaboli potestate in corpora humana simulque malitia, exemplo mulieris inclinatæ totis 18. annis. Quintum est de hypocrisi & superstitione cauenda, ne pretextu seruandi sabbati opera charitatis erga proximū intermittantur. Quæ tria posteriora loca in Prompt. Morali aliquoties tractata sunt. Sextum est de necessitate honorum operū vt salui simus, dicente Christo, *Discedite à me omnes operarij iniquitatis*, id est, iniquis operibus addicti. Aliud est enim operari iniquitatem (quod nisi actū significat), aliud esse operariū, quod habitū qualique professionē notat. Secundū & postremū caput contra hæreticos modernos notanda sūt, circa quæ Calvinus in suis ad hæc loca cōmentarijs prorsus silere maluit, quā vel suis dogmatibus contraria aliquo modo explicare, vel contra tam apertam veritatē frustra reluctari.

Vnum

7. Vnum hic est quod in exemplum trahi non debet. Christus Herodem principem vulpem vocat, non ex contemptu magistratus, sed ex auctoritate Spiritus, quā nemo imitari debet. Demonstrat quippe propriam sibi potentiam, quod opus legationis suo toto inuito mundo perficiet usque ad constitutum à Patre tempus. Hoc proprium Christo fuit.

## IN LVCAE CAP. 14.

14. *Returbetur enim tibi in retributione iustorum.*

Bonorum  
operum  
merces.

**V**ALET hic locus euidenter pro retributione bonorum operū apud Deum. Opponit enim Christus retributionem humanam, qui mutuam cōpensationem in suis conuiujs venantur, retributioni quæ à Deo futura est in resurrectione iustorum. At illa alia veri nominis retributio est; ergo & ista. Hæretici hunc locum tractantes, imprimis Calvinus, nihil aliud à Christo hic doceri volunt, nisi in conuiujs illis humanis non exerceri charitatem, nec ad probandam charitatem illa sufficere. At Christus docet inuitationem pauperum non solum esse opus charitatis Christianæ, sed etiam opus cui à Deo retribuetur in resurrectione iustorum, id est, in illa generali omnium iustorum glorificatione. Sic hæretici bona pietatis opera nihil nisi fructus quosdam fidei & charitatis, signaq; & notas filij Dei esse volunt: aliquid apud Deum valere, vel ad salutem conferre, contra euidentissimas Scripturas nolunt.

23. *Com*

23. *Compelle eos intrare.*

**T**A METSI ad literam de ipsorum prædicatorum verbi Dei ingenti studio, feruore, & adhortatione hæc verba intelligi debeant; nō est tamen improbanda S. Augustini expositio (vt eam hoc loco Calvinus ipse nō improbare se dicit) quā adhibet contra Donatistas epist. 48. vt probet *piorum principum edictis ad veri Dei cultum & fidei vnitatem licitè cogi præfractos & rebelles hæreticos*. Hæreticorum tamen nuncupationem non exprimit hoc loco Calvinus, quia ipse meritalis erat. Solum præfractos & rebelles nominat. Et rationem subiungit ex August. defumpam, *quia etsi voluntaria est fides* (melius dixisset, libera) *videmus tamen ijs medijs vtiliter domari eorum peruicaciam, qui non nisi coacti parent*. Plura hac de re in Promptuario nostro Catholico diximus.

Hæretici  
ad officium  
cogendi.

Dominus  
post  
Epiph.  
text. 3.

33. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

**O**PERÆ precium est, insignem huius loci corruptelam ac deprauationē Calvinianam obseruare, vt verus ac germanus literę sensus purius retineatur. Clarum & perspicuum est, Christi verba sic vt sonant intelligi debere, & veram eorum quæ possidemus abdicationem faciendam, omnibus diuēditis & in eleemosynam datis, vel in communē vsū concessis, vt Christi discipuli simus, id est, Euangelicæ perfectionis statum arripiamus. Sic Apostoli ipsi fecerunt relinquētes omnia. Sic primi Christiani, Iudæi maximè cōuerfi, ex singulari fidei feruore etiā ipsa consilia Euangelica veluti præcepta amplectentes, omnia sua vendebant, & ad Apostolorū A. 4.

Euangelica  
perfectionis  
proprietas  
abdicatio.

M m pe.

pedes deponerent. Vide August. de doctr. Christ. lib. 3. cap. 6. Postea illa perfectio ad paucos redacta est, qui à vita solitaria monachi dicti sunt, de quo vide Aug. in libello de moribus Eccle. Cath. Tom. 1. Nunc totum hunc sensum depravat Calvinus. *Præposterè* (inquit) *faciet si quis literam præcisè urgeat, quasi nemo su Christi discipulus nisi qui in mare proiecerit quicquid possidet, adeoque diuortium fecerit cū uxore, & liberis valedixerit. Talibus figmentis ad monachatum inducti sunt stulti homines, vt ad Christū accedere volentes, ab humanitate differant. Atqui nemo veritas renuntiat omnibus quæ possidet, quam qui singulis momentis relinquere paratus, totum se quasi liber & solutus Domino impedit, & omnibus obstaculis superiorū vocationem suam persequitur.* Hæc ille. Impositor improbus dum statum monasticum reprehendere vult, alia fingit quæ nemo monachus facit. Nemo futurus monachus in mare proijcit quicquid possidet. Nemo cū inuita coniuge diuortium facit. Nemo sic liberis valedicit, vt eis prius, quârum in se est, non prospiciat. Nec conjugatus nec liberorum pater ad monachatum professionem aliter admittitur. Sic solet Calvinus sententiam Catholicam quam refellere vult, qualis est in proprijs terminis nunquam aut per rorò proferre; sed mutato controuersia & questionis statu, non sententiam Catholicam sed suū figmentum refutare. Mentitur ergo Calvinus affirmans homines ab humanitate deficere vt ad Christum accedant. Quod postremo dicit, ita falsum & impium est vt Apostolos & omnes primos Christianos stultitiae & impietatis cōuincat, qui de facto omnia sua reliquerunt vt Christum verius sequerentur. Alius ille modus quem Calvinus ponit, bonus quidem est renuntiandi modus, & omnibus Christianis necessarius, qui sic debent *vti hoc mundo*

Caluini  
crimina-  
tiones in-  
falsæ.

Caluini  
nequitia  
singularis.

1. Cor. 7.

quæst

*quæsi non videntur, sed quòd verior & melior modus non sit, solum Apostolorum exemplū sufficienter demonstrat.*

## IN LVCE CAP. 15.

10. *Gaudium erit in celo & coram Angelis Dei.*

**S**OLENT hæretici Sãctos in celo mortuos Sancti in celo non  
stra cog-  
noscunt. vocare, & eorum quæ hîc aguntur penitus ignaros asserere, vt sic eorū inuocationem planè ridiculã esse ostendãt. Sed quum de Sanctis dicat infra Christus, *quòd erunt æquales Angelis Dei.* Luc. 20. hîc autem conuersione pœnitentiũ ad eò Angelis notam affirmet vt de ea in cœlis gaudeãt, manifestè sequitur, beatis quoque in celo regnantibus eandem esse notam. Nulla autem ratio est, cur iustorum preces & vota non cognoscant, qui peccatorũ pœnitentiã cognoscere, & de ea latari possunt. Nec æquales Angelis Sãcti esse, nisi in eodè saltè sciẽtiæ genere paritas & similitudo foret.

24. *In se reuersus dixit, &c. Surgã, & ibo ad Patrẽ meum.*

**H**ÆRETICI hodie, vt solius fidei iustificantis dogma stabiliãt, ne ipsã quidem pœnitentiã ad remissionẽ peccatorũ necessariã esse volunt. Docet quippe pœnitentiã ex fide iustificãte nasci, & neminẽ pœnitere posse nisi qui iam sit filius Dei, & per fidẽ specialẽ Deũ sibi prohibitũ credat. Sic latè & accuratè Calvinus Inst. lib. 3. cap. 3. num. 1. Hæc hæresim hæc sola parabola de filio prodigo luculenter conuincit. Hic enim in exẽplo maximæ misericordiæ Dei quod à Christo proponitur, ea nõ confertur, nisi reuerso prius peccatori in se per odiũ peccati, & spem

M m 2 ve.

venia concipienti, quod vtrūque illis verbis expressit, *Quanti mercenarij, &c. Ego autem fame pereo:* Nec nisi cū emendationis proposito, & invocatione Dei, quod expressit quū diceret, *Surgā, & ibo ad Patrē meū,* quod est relinquere peccatū, & ire ad Deū, & dicam, *Pater peccavi, &c.* Tunc demū accurrat Pater, & audita confessione peccati, iubet *reddi stolam primam.* Rursum quum idē Calvinus penitentia ponit in solo quotidiano profectu iultorū, eodē lib. & cap. num. 8. vt sic penitentiæ necessitatem & vsum, qualē servat Ecclesia, explodat, verba Christi in hoc cap. illam euidenter refutant vbi dicit: *Quā super 99. iustis qui non indigent penitentia.* Hic enim necessariū fatēdū est, aliquā esse penitentiam peccatoribus necessariam, qua iusti non indigent. Deinde quotidiano profectu omnes iusti indigent. Vide atq̄ priorē hac de re contra Caluinū disputationē in Prompt. nostro Catholico.

In parte  
Quadragesim. in  
Sabbat.  
hebdō. 2.

## IN LVCÆ CAP. 16.

9. *Vt cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.*

Eleemosynarum  
retributio  
aeterna.

Caluini  
cauillatio  
duplex  
reijciat.

Quv m duo hic locus doceat, eleemosynis retribui vitā aeternā, & Sanctos pro nobis intercedere, vt SS. Patres docent in Prompt. Cath. in Dom. 8. post Pentec. à nobiscitati, vtrunq; conuellit Calvinus. Prius, quia Christus humano more loquitur, nos vā videlicet humanitatē oportuni fugij nobis instar fore, sicut aduerso casu percussus ab illis sustinari solet quibus in prospera fortuna benefecit. Posterior, quia hoc modo periret omnis eleemosyna quae indignis impenditur. Ili enim pro nobis intercedere non possunt. Sed vtraque cauillatio insulsa est. Prior, quia Christus non solūm humano more loquitur de aliquo refugio oportuno humanitati nostrae reddendo, sed diuino

diuino praeterea more ac modo loquitur, promittens beneficentiae nostrae non quodlibet refugium, sed ipsam vitam aeternam. Docet illos quibus benefecimus, *recipere nos in aeterna tabernacula,* id est, Christum propter illos, nō solū ratione operis ipsius, sed etiam ipsis intercedentibus, reddere vitam aeternam, vt clarē docet Aug. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 27. Sanē S. Ambros. non solū eos quibus benefecimus, sed & alios Sanctos pro eleemosynarijs intercedere affirmat. Sic enim hunc locum exponit. *Ideo ait, Facite vobis amicos de mammona, vt largiendo pauperibus, Angelorum caeterorumque Sanctorum gratiam comparemus.* Vnde posterior Caluini cauillatio diluitur. Nā & quum indignis praestatur eleemosyna, nō solū ratione operis fit retributio, sed iuxta Ambros. Sanctorum gratia comparatur, videl. vt pro nobis intercedant. Quamquā Christus praecipuē pios pauperes intelligit quando eleemosynis tantam mercedem repromittit, vt causa ab illo subiuncta manifestum facit. *Quicquid enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25. Manet ergo firma Catholica doctrina, Caluini cauillationibus nequicquam impugnata.

Lib. 7. in  
Lucam.

## IN LVCÆ CAP. 17.

10. *Quum feceritis omnia quaecunque praecepi vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quae debuimus facere, fecimus.*

INSULTANT hoc loco haeretici contra meritum operum, maximē de condigno. *Præuē ex condigno de-* *meritum*  
*arrogantiae* (ait Calvinus) *damnantur hic omnes qui* *condigno de-*  
*se apud Deum quicquam mereri fingunt.* Postea desinit, *condignit.*

M m 3 ex

ex legis pacto mercedem operibus statui, non pro dignitate. Moxque concludit, detestabile esse *Sophistarum commentum, qui meritum de condigno fabricare ausi sunt*. Vbi duo notanda sunt. Primum, meritum de condigno ab hæreticis penitus explodi. Secundò, ideo explodi, quia ex sola Dei promissione pendet ratio meriti, non ex aliqua operum dignitate. Quod ex hoc loco probare volunt, quia qui omnia fecit præcepta, adhuc seruus inutilis est: ergo ratione operis ipsius, quantumvis ex gratia Spiritus S. proficiatur, nullum potest esse meritum. Qui enim meretur præmium à Domino suo, inutilis seruus non est. Adde quòd Christus seruum inducit, cui omnia imperata facienti nullam gratiam dominus habet. Opus ergo hominis iusti non meretur gratiam, sed merces indebita (vt hinc ait Calvinus) ex solo Dei beneplacito promittitur. Hoc autem consequenter docet Calvinus, negans hominè diuinæ gratiæ liberè cooperari; sed quicquid boni ab homine fit, ex sola Dei efficaci gratia promanare. Institut. lib. 2. c. 3. Sed hic locus hanc hæresim nihil iuuat. Totus Christi scopus hoc loco est, auferre iactantiã bonorum operum. Seruum quidem introducit, cui dominus gratiã non habet: sed in applicatione exempli suæ intentioni, non ita infert, Sic & vobis, quum feceritis omnia, Deus nullam habebit gratiam. Non sic infert Christus, sicuti eum inferre Calvinus vult, voluntque alij qui meritum de condigno negant. Sed Christus ita infert: *Sic vos, quum feceritis omnia, &c. dicite, quia serui inutilis sumus*, id est, Nolite vos ipsos iactare quasi seruos bonos & fideles. Iactationem prohibet: rem non negat, quam alibi apertè asserunt, dicēs, *Engel serue bone & fidelis*, &c. Causam quoque subiungit cur veraciter hoc dicere possimus:

Matth. 25.

Quod

*Quod debuimus facere, fecimus*. Hoc quippe respectu serui Domino nostro inutiles sumus, quia absque mercede proposita seruire Deo oportuit: non tamen simpliciter serui inutiles, qualis ille fuit qui in tenebras exteriores projicitur, præceptum Domini non faciens. De ipsa igitur bonorum operum dignitate vel vilitate in se nihil hinc Christus determinat, sed de ipsorum conditione respectu naturalis obligationis nostræ, & respectu Domini Dei, cui seruimus, Christus disputat; vt vanam iactantiã tollat. Sumus quippe natura serui Dei, & sic omnia faciendo nihil meremur singularis gratiæ: sed sumus *adoptione filij Dei, templa Spiritus S. diuinæ naturæ consortes, membra Christi*, de quibus hinc Christus nihil agit, & quorum respectu est in operibus iustorum dignitas quædã, ex cuius consideratione, & non ex solo beneplacito Dei aut promissione facta, iusti merentur vitam æternam ex condigno, vt rectè docet D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 3. Vide Bartholomeum Medina ibidè, & D. Iansenium ad hæc verba, qui latè & erudite sententiã Catholicam explicat. Consequètia illa; *Qui fecit omnia, est seruus inutilis*, ergo ratione operis ex Spiritu S. profecti nullã est meritum; nõ valet: quia Christus de seruorũ operibus non filiorũ loquitur, & de naturali operũ obligatione nõ de supernaturali dignitate disputat. Deinde non sequitur: *Qui bene operatur, est seruus Deo inutilis*; ergo est simpliciter inutilis, & nihil meretur. Potest enim nihilominus ex alio capite mereri, & sibi esse vtilis, quia opera eius habent dignitatem ad præmium consequendum, & sunt Deo grata, etsi non sunt vtilia. In summa, iactantiã operum tollit Christus, quoad ipsos operantes; dignitatem & mercedem

Rom. 8.

1. Cor. 7.

2. Pet. 1.

1. Cor. 12

Mm 4 operum

operum non tollit, quo ad Deum remunerato-  
rem & iustum Iudicem.

13. *Isu Præceptor, miserere nostri.*

**D**O CENT hæc verba, docetq; prompta horum obedientia, quum necdum mundati iubente Christo ad sacerdotē irent, vt se mundos ostenderent, præclara fide istos leprosos imbutos fuisse. Christi opem implorant, Magistri titulo insigniunt, nullū sanitatis signum videntes promissioni credunt, & fidei impulsu (ait Calvinus) *proficiuntur*. Ex decem tamen illis iuxta fidem suam sanatis, vnus tantū regressus est dans gloriam Deo. Reliqui nouem ex sententia Caluini fidē amiserunt. Potest igitur amitti fides accepta. Reluctatur hic Calvinus, *quod Spiritu adoptionis adhuc regnati non erāt, & quod principia tantū & semē aliq̄ quod fidei acceperunt*. Sed neutra cauillatio eū iuuat. Spiritu adoptionis spiritualiter eos fuisse regnatos, & filios Dei fuisse, dubitari non debet; quum Christus corpus sine anima nunquā sanauerit, nec sacramentum regenerationis adhuc institutū fuit. Non principiu tantū aut semen aliquod fidei, sed magna & fortis fides erat, qua necdum mundati ibant tamen ad sacerdotem, corā quo nisi mundi apparere nō debebant; certo credentes se per obedientiam verbo Christi præstitam mundandos.

14. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.*

**A**D hunc locum eadem garrir & repetit Calvinus contra confessionē sacramentalem in Ecclesia Catholica, quæ supra adnotati. cap. 3. garruerat. Cuiquæ eo loco responsa sunt, & hæc respondere debet. Vnū tamē hic addit quo acerbius Catholicos perstringat, idque

Fides  
amitti  
potest.

Confessio  
Saramentalis  
adceditur.

mira-

mirabili, vt sibi videtur, acumine, sed insigni admodū, vt ostēdemus, stupore. *Bis* (inquit) *stulti sunt nō reputantes quā turpem infamie maculam suæ confessioni aspergant. Bene scilicet agitur si ex tota eorū caterua qui ad sacerdotes profecti fuerint, tantū decima pars ad Christum redeat, reliqui vero omnes impiè alienentur. Neque enim obtendere poterūt confessionis suæ titulū, quin profectū hūc viciissim regere liceat, nullos à sacerdotibus reuerri gloriā Deo daturus.* Hæc ille. Sed vt hominis impietate præteream, qui eodē cauillo Christi quoq; sanantis gratiam ludibrio exponit, à quo quum decem sanarentur, decima tantū pars dedit gloriam Deo, stuporem eius, quo percussus videtur, annotabo. Hoc ipso quippe in loco aliud subiecit, quo seipsum pulchrè refutauit. Ait enim, *Quamquam nouem leprosis nihil in salutē profuit carnis sanitas, sed tantū pro fluxa & caduca fide temporale donum adepti sunt; sub hoc tamen typo nobis ostensum fuit quā efficax futura sit vera fides.* Hæc ille, priorē suam stupidā cauillationem ipsemet refutans. Eodē enim modo quamquā nouem istis leprosis nihil profuit carnis sanitas, sed tantū pro fluxa & caduca obediētia eūdi ad sacerdotes, vt Christus iussit, temporale donū adepti sunt; sub hoc tamē obediētiæ typo nobis ostensum fuit quā efficax futura sit vera Christianorum obediētia, qui verè cōtriti adēūt sacerdotes, qui soluendi & ligandi potestati acceperunt, vt ab illis soluantur. Sic in eadem pagina sui præ stupore oblitus, seipsum refutat. Quemadmodum nihil præiudicat aut verē fidei, aut Christi sanatis virtuti, istorum nouem incredulitas: sic nihil præiudicat veræ in Ecclesia Catholica peccatorum confessioni, aut sacerdotali absolutioni, istorum nouem typica ingratitude, vel ad vomitum reuersio.

Caluini  
scomma  
in Chri-  
stum re-  
dundat.

Caluinus  
ex seipso  
refutatur.

## IN LVCÆ CAP. 18.

II. Deus, gratias ago tibi, quia nō sū sicut ceteri homines.

Operum  
vera iusti-  
tia defen-  
ditur.

**M**VETIS verbis contendit hoc loco Calvinus, ut veram operum iustitiam quæ ex Spiritus S. gratia procedit, à Christo damnari doceat. *Iste* (inquit) *Pharisæus Dei gratie ascribit quod iustus est; & quanquam Deo gratias agens fateatur quicquid bonorum operum habet merum esse Dei beneficium, quia tamen operum fiducie inuititur, seque alijs præfert, cum sua precatione rejicitur; unde colligimus non rite neque in solidum humiliari homines (quamvis se nihil posse reputent) nisi operum meritis simul diffisi, salutem suam in gratuita Dei bonitate collocare discant.* Et paulo post. *Reprehenditur in ea parte Pharisæus, quia meritis suis inuititur, ut Deum propitium habeat, quia dignus est. Sciamus ergo, quamvis bonorum operum laudem Deo quis ascribat, si tamen eorum iustitiam imaginatur salutis suæ causam esse, vel in eam recumbit, peruersa arrogantie damnatur.* Hæc omnia Calvinus, totam historiam Evangelicam peruertens. Christus hanc parabolam introduxit, non ut doceret nullam salutis causam esse veram operum iustitiam, aut ut omnem bonorum operum fiduciam damnaret, quod utrumque Calvinus dicit; sed ut illam fiduciam bonorum operum damnaret, qua putent se aliqui facisiam iustos esse ac plenos iustitia. Hoc enim est, quod Lucas dicit, *Ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti; id est, qui sibi persuaserant (ut Beza vertit) se iam satis iustos esse.* Unde August. de Pharisæo isto dicit, *quod in operum suorum iustitia confidebat, quasi eius iam plenitudine saturatus.* Rursum ideo hanc parabolam proposuit, ut illam fidu-

De pecc.  
mer. & re-  
mill. lib. 2  
cap. 5.

fiduciam damnaret quæ cum aliorum contemptu coniuncta erat: id est, falsam & vanam iustitiæ fiduciam. Nulla enim ibi iustitia est, ubi arrogantia regnat. Ideo adiecit Lucas, *Et qui aspernabantur cætos.* Quod vitium Paulus dum arguit, simul docet fiduciam boni operis simpliciter non esse malam. *Opus suum unusquisque probet, & sic habebit gloriam in semetipso, non in altero.* Unusquisque suas actiones consideret, & sic in sua sola conscientia gloriandi materiam habebit, non in peccato alterius, sicut iste Pharisæus fecit. Sic Calvinus quod Christus de saturitatis fiducia, eaq; falsa acvana, dixit, trahit ad omnem fiduciam circa bonorum operum iustitiam condemnationem, & (quod impudentius est) ad ipsam quoque bonorum operum iustitiam damnandam. Quod ergo dixit, *damnari Pharisæum quia operum fiducie inuititur, falsum est.* Rursum quod addit, *eum cum sua precatione reiectum esse, falsum est.* Nam ut bene notavit S. August. *Quæ in verbis eius quid Deum rogauerit, & nihil inuenies.* Sed & quod addit, *reprehensum Pharisæum quia meritis suis inuititur ut Deum propitium habeat, falsum similiter est.* Reprehensionis cause ille sunt quas Euangelium expressit, non quas Calvinus finxit. Nempe *quod confidebat in se tanquam iusto, & quod alios aspernabatur.* Illa quoque confidentia damnatur, quia cum aliorum contemptu coniuncta, ideoque vana ac falsa erat.

Aduertit hoc ipsum Calvinus, & diluere conatur. *Sed queritur* (inquit) *quomodo tanta iam sanctimoniam præditus fuerit, qui impio fastu excæcatus erat? Neque enim aliunde manat tanta integritas nisi à Dei Spiritu, quem certum est minime in hypocritis regnare.* Hæc ille. Est bona & valida obiectio, & quæ firmiter probat hunc Pharisæum non habuisse veram iustitiam

Caluini  
tria men-  
dacia.  
Serm. 36.  
de verbis  
Domini.

tiam operum, neque in vera iustitia fiduciam potuisse, sed larvam tantum externam iustitiæ habuisse, & opera quædam bona iuxta substantiam actus, cum cor interea factu & hypocrisis plenum esset. Ad hanc ergo obiectionem quid respondeat Calvinus, attentè dispiciamus. *Respondeo* (inquit) *externa tantum larva fuisse confusum, ac si occulta & interior cordis immundities in rationem non veniret. Quare licet pravis concupiscentijs intus scateret, quia tamen non nisi ex specie iudicatur, securè innocentiam obiciendit.* Hæc ille. Atqui hoc totum obiectionem confirmat, non soluit. Quum enim hoc totum non nisi hypocritam illum fuisse conuincat, in hypocritis autem Spiritus S. (vt ipse Calvinus dixit) non regnet, & vt plenius Scriptura dicit, *provisus non habitet, sed fugiat* fictum, perspicuum est, nullam in isto sanctimoniam, nullam veram iustitiam fuisse; ideoque contra piam & humilem iustitiæ bonorum operum fiduciam hoc exemplum non facere.

Addit adhuc aliquid Calvinus. *Dominus quidem ipsum vanitatis non coarguit, quod sibi falso tribuat quod non habet; tenendum tamen est, neminem à rapina, iniustitia, libidine, & alijs vitijs purum esse, nisi qui Spiritu Dei regitur.* Hoc totum est quod respondet, & hæc tandem aliquid respondiisse videtur; quia iam inuenit, quomodo in tanto hypocrita Spiritum Dei regnare ostendat. *Nemo, inquit, purus est à rapina & alijs vitijs, nisi qui Spiritu Dei regitur.* Primum Pharisæus iste non se dicit purum ab his vitijs, sed tantum ab actu flagitiorum, quod non esset raptor, iniustus, adulter. Atqui ab actibus flagitiosis abstinent innumeri ethnicici, qui Spiritu Dei non reguntur. Deinde non omnis qui ab ipsis etiam pravis affectibus immunis est, ex dono fortè Spiritus S. à Spiritu S. regitur. Qui enim à Spiritu S. regitur, non solū ab illis

Calvinus  
obiectionem  
quam  
mouet,  
non soluit,  
sed confirmat  
Sap. 1.

ab illis pravis affectibus, sed etiam ab hypocrisis & impio factu imprimis purus est. Nihil ergo omnino respondit Calvinus, & manet obiectio firma, ideoque & tota eius prior disputatio vana. Denique *insignis hic locus*, vt eum vocat, nihil eum inuat, nihil Catholicam doctrinam lædit, quæ docet ex bonorum operum iustitia homines coram Deo verè iustos esse; quia talis iustitia verū Spiritus S. donum est, & veram fiduciam parit, quatum in Domino gloriatur, tum in semetipso gloriā habet; *1. Cor. 1. Gal. 6,* quod vtrumque Paulus dixit: sed non, sicut iste Pharisæus, *gloriam habet in altero.* .j. non se præfert alijs, nec de aliorum peccatis, quibus ipse caret, gloriandi materiam accipit.

## IN LUCÆ CAP. 19.

8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.*

**H**ANC quoque historiam Euangelicam suo fermento corripit Calvinus, & tantam illustrem pœnitentis peccatoris satisfactionem omnibus modis obscurare, suamque solidam fidem, hoc exemplo periclitantem, fouere & stabilire conatur. Primum garrit opus ipsum esse potuisse esse vitiosum. *Possit* (inquit) *quis omnia sua in pauperes erogare, cuius tamen liberalitas nibili esset coram Deo.* Ita primum vellicat factum, quia potuit esse non bonum. Mox tamen agnoscit hoc factum Zachæi ex vitiâ radice interioris pœnitentiæ prodijisse. Veluit nihilominus pro sua mordendi libidine hunc vnum illi dentem prius infingere. Addit deinde & aliū quem alius impreflit, totumque pium Zachæi studium dilacerat. *Sicuti* (inquit)

Pœnitentia & satisfactio Zachæi defenditur.

Calvini dentes canini.



Impostu-  
ra Caluini  
returatur.

Eleēmo-  
synæ lar-  
gioris  
Caluini-  
stis displi-  
cent.

(inquit) *Paulus de pœnitentia diffrens ad Eph. 4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem manibus laboret, ut alijs subueniat; ad hæc officia nos hortatur, ex quibus intelligant homines nos esse in melius mutatos. Ergo à corde incipiendum est, sed operibus testanda simul est nostra sîpîscentia.* Hæc ille. Impostor impius omnia pœnitentiæ opera & hoc Zachæi factum nihil aliud vult esse, quàm testimonia conuersionis coram hominibus, coram Deo autem ipsa opera nihil valere. Sic iuxta Caluinum eleēmosyna clanculū facta, oratio in cubiculo clauso, ieiunia, & omnis mortificatio occulta (quæ maximè Christus commēdat Matth. 6.) nihil valebunt, quia coram hominibus nihil testari possunt. Alium adhuc dentem infigit. *Zachæus suo exemplo alios minimè obstrinxit, ut se dimidia bonorum suorum parte denudent: sed tantum tenenda est regula quam Dominus prescribit, ut nos et nostra omnia consecremus in sanctos vsus ac legitimos.* Exemplū quidem Zachæi non obstringit, sed hortatur, & documento est sequi volentibus. An putat Calvinus hoc Zachæi factum non fuisse diuitiarū suarum vsum sanctū ac legitimū? Cur ergo Christus hoc eius propositum audiens, illud non reprobauit? Imò eum approbavit, subiungens eum esse filium Abrahæ? Deinde si iuxta Paulum opus pœnitentiæ sanctū ac legitimū est, ut qui furatus est, nō solum nō furetur amplius, sed etiam manibus laboret, ut habeat unde tribuat nec sîtatē patienti, quare opus pœnitentiæ sanctum quoque ac legitimū non erit, si pœnitens peccator exemplo Zachæi dimidium bonorū suorum dat pauperibus? Sed Calvino ac Calvinistis diuitiarū vsum nec sanctus nec legitimus videtur, quoniam tam largæ eleēmosynæ sunt, ut vel dimidium bonorum detur, vel (ad quod Christus diserte hortatur) totum vendatur, & detur pauperibus.

ribus Nam & hæc Christi verbā non secus deprauauit Calvinus, ut ibi dictum est. Ita animi sensus diuinis Scripturis penitus contrarios gerunt. Math. 19.

Pergit adhuc magis mordere, totāque hanc historiam Euangelicam magis dilacerare Calvinus *Christus* (inquit) *testimonium Zachæo reddens, quoniam dicitur, Sa'us huic domui facta est, nihil in eo fuisse simulatum pronuntiat. Neque tamen salutis causam bonis operibus Zachæi ascribit, sed quia conuerso illa certum erat diuinæ adoptionis pignus, meritò inde colligit domum illam salutis esse heredem. Et hoc quoque verba sonant. Nam quia Zachæus vnus sit ex Abrahæ filijs, ratiocinatur saluam esse eius domum. Porro ut quis censeatur inter Abrahæ filios, si dem eius imitetur nec, se est.* Hæc ille. Breuiter respondeo: Bona opera Zachæi non fuerunt salutis eius causa, sed fuerunt fructus pœnitentiæ digni, & satisfactiones pro peccatis, quales Calvinus cum suis pati non potest. Non fuit Zachæi conuersio adoptionis diuinæ pignus, sed ipsamet adoptio diuina, cuius fructus erant ista bona opera. Iam enim totus conuersus ad Deum, ideòque adoptatus in filium, profert opera filio digna, & præcedentium peccatorum satisfactiones: quia illis remissis, pœna tamen manebat temporalis. Christi autem ratiocinatio, *saluam esse domum quia filius Abrahæ fuerat, nec solam eius fidem, nec sola hæc opera considerauit, ut causam adæquaram, sed ipsam Dei electionem.* Censeri autem inter filios Abrahæ, non solum fidei imitationem requirit, quam solum ponit Calvinus, sed etiam bonorum operum Abrahæ, dicente Christo Iudæis; *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Ioan. 8. Adiungit tamē Calvinus. Imò hæc laudem Scriptura proprie fidei tribuit, quod germanos Abrahæ filios ab extraneis discernat. Sciamus ergo eam præcipue in Zachæo laudari, cuius gratia factum est ut bona

Caluini  
ares, vt  
Scripturã  
Iudicet.

Iac. 2.

Gal. 3.

*bona quoque opera Deo placerent. Hæc ille. Artificiose laudẽ Zachæi à bonis operibus quã Euãgeliũ expresit, ad vnã fidẽ quã Euãgeliũ tacuit, traduxit. Sed Scriptura nõ minus propriẽ ex bonis operibus discernit filios Abrahę quã ex fide, vt verba Christi citata nos docuerunt. Fides quoque non secus Deo placeat propter bona opera, quã bona opera propter fidem. Imò *Abrahę fides ex bonis eius operibus consummata est*, ait Iacobus, & *sine bonis operibus fides inanis ac mortuã est*; nec filios Abrahę sola fides facit, sed *fides per charitatem operans*. Ita totã hanc Zachæi conuersi commendationem ac laudem totãque hanc historiam Euãgelicam impius Calvinus penitus inuerrit atque peruertit. Fingit postea *ex audita redemptione Eccl. siẽ, & mundi reconciliatione per Christum, eiusque doctrinã fide, salutem Zachæi originem accepisse*. Sed hæc fictio in litera Euãgelica nullum fundamentũ haber, ideoque vt commentum humanum & Calvinianum penitus reijcienda est. Zachæi salus ex interna Christi gratia qua sese apud eũ inuitauit, vt hęc Euãgelium narrat, originem accepit. Alia salutis eius origo extra verbum Dei fingenda non est.*

## IN LVCÆ CAP. 20.

45. *Qui volunt ambulare in stolis.*

Caluini  
maledicentia  
re-tunditur.

**S**CRIBARVM factum & ambitionem ad vniuersum Catholicę Ecclesię clerum maledicus Calvinus contorquet, sacrum Dei verbũ transferens in maledicentię suę libidinem, sicut alijs suis dogmatibus Dei gratiam in luxuriam transferet. *Ratione* (inquit) *non caruit, Doctores ita vestiti, vt in eorum habitu plus gratiã & modestiã quam*

*quã in vulgari extaret. Scribæ verò id perperam ad luxum & pompam conuertcrant. Quod exemplum ad se traxerunt sacris Papales, in quibus constat si olos nihil aliud esse quã superbę tyrannidis insignia. Hęc ille non vt Scripturarũ interpres, sed vt conuitiator maledicus: nec certas personas perstringens, sed in vniuersũ Ecclesię clerũ virulentia suã effundens. Tali spiritu ducitur, qui Euãgelicę veritatis tot seculis deperditę restauratores, & noui totius orbis Apostoli haberi volũt. Hęc sanẽ Caluini vox superbę tyrannidis insigne est. Quo perspicue demonstrat, quod nunc calamo ausus est, id gladio se tentaturum si facultas daretur, vt tanquam alter Nero vnum toti clero caput exoptans, illud vnico ictu rescare posset. Nec enim sic vnquam Nero Romani populi sanguinem, sicut iste hæreticus totius Catholici cleri infamiam & interitum situit. Adeo quauis vel capta vel quaesita occasione in vniuersum cleri Christiani corpus, absque villo discrimine, rabido ore fertur. Sed Dei beneficio sololatrato nocuit, morsu petere non potuit. Quam tyrannidem Calvinus ipse Genetę exercuerit, nostri in Anglia Calvinopapistę scriptis libris ediderũt.*

## IN LVCÆ CAP. 22.

20. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.*

**H**IC modus loquẽdi apud Lucã proprius aliqua explicatione indiget. Matth. & Marc. verba Christi ad alteram speciem sic referũt: *Hic est sanguis meus noui testamẽti*: vbi absque vlla sermonis figura, quod in calice erat, Sanguis Christi esse affirmatur. Hic verò de calice

N n non

non dicitur, *Hic est sanguis meus novi testamenti*; sed dicitur, *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo*: ubi calix, siue id quod in calice est, non vocatur sanguis Christi, sed vocatur testamentum in sanguine. Hic ergo insurgit hæreticus, & ait. *Hæc est Spiritus Sancti expositio quædã calix vocatur à Matthæo & Marco sanguis, quia testamentum est in sanguine. Sic palàm ostenditur non alia ratione calicem vocatum esse sanguinem Christi, nisi quia nobiscum fœdus æternum pepigit, ut sanguine semel effuso, spiritualiter nunc epulemur. Nam & sic Paulus Christi verba retulit sicut hic Lucas. 1. Cor. 11.* Sed responde, nec Lucam nec Paulum Matthæi & Marci verba exponere, nec etiam causam reddere cur apud illos calix vocetur sanguis. (Hæc duplex hæreticorum assertio voluntariù est ipsorum commentum.) Calix apud alios Euangelistas ideo vocatur Sanguis, quia, quod in calice erat, sanguis Christi fuit, vt apud Matth. latius diximus. Hic à Luca & postea à D. Paulo calix vocatur ipsum nouum testamentum in sanguine Christi, quia in calice non solum sanguis Christi est (quod alij Euangelistæ dixerunt) sed quia est hic per modum sanguinis fœderalis seu testamentarij. Modum (inquam) & finem porrecti à Christo calicis explicatius & plenius enarrare Lucas voluit quàm alij duo Euangelistæ. Quum ergo dicit, *Hic est calix*, vel, *Hic calix est* (nã verbum *est* in Græco non habetur, ideòque vtrobique poni potest) *nouum testamentum in sanguine meo*; voluit Spiritus S. docere quare calix à Christo benedictus & porrectus & ab Apostolis bibendus erat. Nempe quia ille calix, id est, quod in calice erat, iuxta communem loquendi modum esset ipsum nouum testamentum in sanguine siue per sanguinem, id est, haberet & porrigeret sanguinem ad fan-

Caluinus in Harmonia in hunc locum.

Calix cur nouum testamentum in sanguine Christi.

fanciendum & confirmandum nouus fœdus ac nouum testamentum cum populo Dei. Ex quo necessariò sequitur, verum sanguinem non figuratiuum in calice contineri, quia vini haustus hoc fœdus constituere aut confirmare non potuit. Hic ergo Christi sermo à Luca relatus (nam vt rûmque Christum dixisse dubitari non debet, & hanc formam verborû posterius dixisse verisimile est, quia priorum quandã ampliacionem continent) nec causa nec expositio est prioris sermonis ratione vocabuli *sanguinis*, aut cur & quomodo calix vocatus sit *sanguis*, sed est expositio quædã & apertior enunciatio ratione vocabuli *noui testamenti*, & cur à Matthæo ac Marco de calice dictum sit: *Hic est sanguis meus novi testamenti*. Nempe quia in illo sanguine (hausto videlicet & accepto) sanciretur & confirmaretur nouum testamentum cum nouo populo Dei, sicut per sanguinis vitulorû & hircorum, qui immolati fuerant, asperisionem super populum, vetus illud fœdus sanciebatur & confirmabatur, dicente Moysè quum aspergeret: *Hic est sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus*: id est, huius sanguinis asperisionem sancitur & percutitur & consummatur fœdus inter Deum & vos; vt ille sit Deus vester, & vos populus eius. Sic enim in Cruce quidem immolatus est Christi sanguis in remissionem peccatorum, sed in hoc sacrificio loco asperisionis externæ bibitur & hauritur intime, vt in illo & per illum sanciat & confirmetur nouum testamentum ac fœdus inter Deum & nos nouum populû eius. Hanc ob causam dixit de calice Christus, non solû apud Matth. & Marcum, *Hic est sanguis noui testamenti*, (quæ verba non nisi sanguinis existentiam notant, qui aliquo modo ad nouum testamentum pertineat) sed a vobis

Lucam dicit: *Hic calix nouum testamentum in sanguine meo*: quæ verba ostendunt calicem à Christo porrectum sic noui testamenti sanguinem esse, vel ad ipsum sic pertinere, vt calix ille sit etiã ipsummet nouum testamentum (quatenus illud confirmat) in sanguine suo: videlicet illo hausto & accepto quod in calice erat, de quo propterea adiecit. *Qui pro vobis effundetur*: quæ verba ad ipsum calicem referenda sunt (vt textus Græcus *ὁ οὖτος ἕρπυλον* in recto casu perspicue ostēdit) quia quod in calice erat pro nobis effundendum fuit non vtique vinum, sed sanguis Christi. Hic ergo verborū Lucæ totus & germanus sensus est: Hic calix qui pro vobis effundetur (id est, hoc quod in calice est pro vobis effundendum) est ipsum nouum testamentum, quatenus confirmat illud (sic enim circumcisio vocatur fœdus & pactum inter Deum & Abraham, quia fœderis confirmatio erat) cum nouo Dei populo faciendum in meo sanguine: vt intelligatis tum sanguinem meum esse pro vobis effundendum & immolandum quem vobis porri-go, tum illum ipsum sanguinem à vobis hauriendum nouum fœdus cōstituere & confirmare inter Deum & vos, quia hoc accepto sanguine eritis intimè cum Deo coniuncti, facti nunc os ossibus meis, & caro de carne mea: non fide tantum, sed & re ipsa. Plura apud Mattheum vide.

32. *Ego rogavi pro te vt fides tua non deficiat. Et tu conuersus confirma fratres tuos.*

Petri primatus.

CHRISTVS in omnium Apostolorum communi periculo pro Petro specialiter rogans ne eius fides deficeret, postea que addens vt ille

ille conuersus alios cōfirmaret, in illis verbis & non defecturã Petri fidẽ, & supremã ceteros corroborandi potestatem manifestè docet, simulque maiorẽ illũ, de quo cōtentio erat, obiter ostendit. Sic ex hoc loco collegerunt Patres, S. August. in lib. de qq. noui & vet. test. q. 79. & serm. 124. de temp. Leo Magnus in anniuersario assumpt. suę: Ambros. in Psal. 43. Theophylactus in hunc locum: Bernard. Epist. 190. ad Innocẽtium Papam: Lucius Papa in epist. decretali. Notandum verò quòd Calvinus in commentarijs ad hunc locum horum verborum tractationem penitus pretermisit, & Institut. lib. 4. vbi omnibus Scripturis pro primatu Petri respondere conatur, hunc locũ penitus dissimulat. Beza quoque in Annotationibus suis ad hæc verba nihil profus annotat. Aperta veritas os illis obrurauit, satis alioqui ad aliquid semper cauillandũ callidis. Sed nec in Marlorati cathena contra Petri primatum, ita luculenter tot Patrum testimonijs roboratum, aliquid affertur.

38. *Ecce duo gladij hic.*

DIVS Bernardus in lib. 4. de consideratione ad Eugenium alludens ad hæc verba, duplicè ponit in Rom. Pontifice iurisdictionis gladium; vnũ spiritualem, alterum temporalem; vt illum manu, hũc nutu suo proferrat. Deuoluit hoc in Canonittas Calvinus, & sic contra eos declamat: *Quod hinc eliciunt Canonistæ cornutos suos Episcopos duplici iurisdictione esse præditos, non solum putida est allegoria, sed proteruum ludibrium quo Dei verbo insultant. Atqui huc dementia prolabi oportuit Antichristi mancipia, vt palam sacrilego contemptu sacra Dni oracula calcarent.* Hęc ille rabula. Sanctissimum

Caluini  
maledicentia re-  
tunditur.

& doctissimum Bernardum sub nomine Canonistarum insectans, Antichristi mancipium vocat: Sensum eius allegoricum proteruum ludibrium verbi Dei, & sacrilegum Scripturę contemptum nuncupat. Sed nullo argumēto, ratione nulla allegoriam refutat. Ita conuitiator maledicus, & impurus rabula, bacchari & furere nouit: solidis argumentis alicuius falsi conuincere non nouit. Tameñ autem allegoria minus propria & accommodata esset, non tamē qui ea legitimē vritur (nam ad rem ipsam quod attinet, Calvinisticus iam in Anglia clerus duplicem iurisdictionē sine vllō scrupulo imō magno cum fastu retinet: vel insultat Dei verbo, vel ludibrio eoque proteruo insultat, vel sacrilego contemptu sacra Dei oracula lacerat. Schemata hæc sũnt spiritus maligni & mendacis qui in Caluino loquitur.

42. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me.*

**Q**UIA hic locus videbatur Arianis fauere, utpote qui, si de morte imminente intelligatur, diuinitati Christi derogare videatur, & quia alioqui indignum videretur quod Christus mortem timuerit, quam hætenus lætanter adijisse visus est, sed & charitati eius in Deum detrahere putari posset, quom multi martyres ex maxima in Deum charitate mortē intrepide adierint, multi interpretes, etiã veteres, non mortem temporalem imminentē, sed aliud quiduis Christum hic deprecando exhorruisse docent: ut vel Apostolorum scandalum, vel Iudæ flagitium, vel Iudæorum reiectionem, vel persecutorū suorum pœnas, vel denique suorum infirmitatem & dispersionem quia eos paruulos relinquebat, quæ omnia

omnia in hunc locum Hilarius, Hieronymus, Ambrosius magis coniectando quàm asserendo tradunt. Basilius futuram plurimorum incredulitatem Christum deprecatum fuisse affirmat. Hæretici hodie & Calvinus maximē, ut doceat Christum non aliter descendisse ad inferos, quàm quod anima eius pœnas infernales passionis suæ tempore subiret, totum hunc locum non de mortis temporalis timore, sed de mortis æternę horrore, summa cum impietate ac blasphemia exponunt. Ad illa verba, *Cœpit pauere & tædere & mœstus esse. Vnde* (inquit Calvinus) *Christo mæror & anxietas & formido, nisi quia in morte tristius aliquid & magis horribile concepit quàm separationem anima & corporis.* Et paulo post. *Non mortem horruit simpliciter quatenus transitus est à mundo, sed quia formidabile Dei tribunal illi erat ante oculos. Quare nihil mirum si horribilis exitus abissus metu & anxietate duriter eum cruciatu.* Rursum ad illa verba, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Animum (inquit) filij Dei mors per se non cruciasset, nisi cum Dei iudicio sensisset sibi esse negocium. Deinde ad hæc verba, *Pater, si vis, &c.* ita scribit. *Queritur quid orando Christus profecerit. Apostolus ad Heb. 5. dicit ex auditum fuisse à suo metu (lic enim legi vult, non pro sua reuerentia) Id porro non quadraret, si mortem simpliciter timuisset Christus, quia ab ea liberatus non fuit. Vnde sequitur, grauioris mali timore ad deprecandam mortem fuisse adæsum. Nempe quum iram Dei sibi propositam videret, quatenus ad eius tribunal totius mundi peccatis oneratus se steterat, necesse illi fuit profundum mortis abyssum exhorrescere. Hęc ille. Mox huius diri & insoluti horroris certū argumentum fuisse ait sudorem Christi sanguinem, quem statim Lucas commemorat. Si cui enim mortis timore hoc contingat (ait Calvinus) p̄sillo ac muliebri cum animo esse dicemus. Hęc in hunc locum Calvinus. Sed*

Lib. 4.  
contra  
Eunomium.

In Matth.  
26. ver. 37  
Caluini in  
Christum  
doctrina  
blasphemia.

Ver. 38.

in Institut. sua lib. 2. c. 16. num. 10. & seqq. hanc suam blasphemiam luculentius exponit. Ait enim hanc Christi in horto tristitiam exordium fuisse descensus eius ad inferos. Tunc enim *cum in-ferorū copijs & aeternae mortis horrore confectis manibus la-ētati fuisse*: tūc diros in anima cruciatus dānati ac perditū hominis pertulisse: tunc pēnas omnes à damnatis expetēdas Christum in anima persoluisse, hoc vno excepto, quod non poterat in illis detineri: tunc denique Christum orante, non ut immūis esset à morte, sed ne absorberetur ut peccator, quia formidabilem illam abyssum sentiebat, se à Deo derelictum & alienatum esse, omnia irati Dei signa expertus est, maledictionem & iram Dei timuit, in quo timore diros & horribiles cruciatus perpessus fuit, videns se ad tribunal Dei reum stare nostrā causa. Hæ sunt hoc loco Caluini & aliorum hēreticorum hodie blasphemie. Ad quas refutandas tria sunt explicanda. Primū, quid Christus timuerit & deprecatus fuerit: secundò quomodo: tertio, quare.

Ad primum quod attinet, Christus propter solam mortē temporalem imminentē mæltus fuit, patrem orauit, in agonia factus sanguinem suda-uit. De tristitia sua dixit Christus: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. j. ita tristis ut parum absit à morte, nempe de qua paulo antè dixerat. *Filius hominis secundum quod definitum est vadit: veruntamen vae homini illi per quem tradetur*, scilicet ad mortem temporalem. Quid deprecatus fuerit, oratio ipsa loquitur: *Transfer à me calicem istum*. Nempe de quo postea dixit Petro percutienti gladio. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum*? Deinde si Christus orans, *Transfer à me calicem*, intellexit iram & maledictionem Dei ne absorberetur ut peccator; tunc in verbis sequentibus, *Non mea voluntas fiat, sed tua*, intelligendum est, voluntatem Dei patri-

Christus quid deprecatus sit. Confessio horrenda sed necessaria ex Caluini doctrina.

tris fuisse, Christumque ei sese conformasse, ut Christus maledictionem & iram Dei incurreret, eaque absorberetur ut peccator, ut profundam mortis abyssum sentiret, ut damnati ac perditū hominis cruciatus nō solū exhorresceret, sed etiā pateretur. Hæc enim omnia Christū & timuisse & deprecatum fuisse Caluinus vulg. Non nisi ergo mortē temporalem timuit, eamque deprecatus est.

Quod quomodo fecerit, nunc explicandum. Nempe volūtate naturali, nō deliberata. Habuit Christus affectus humanos & naturales, sed non ut nos inuoluntarios, aut qui rationem præuenirent, sed quos liberè in se suscepit quando voluit & quantum voluit; quod multis verbis perspicuè docēt SS. Patres, Augustinus tract. 49. in Ioannē, & de Ciuitat. Dei lib. 14. cap. 9. Gregorius Moral. in Iob lib. 3. cap. 13. Hieron. in cap. 26. Matth. Sic de Christo dicitur Ioan. 11. *Infermit spīritu, & turbauit seipsum*. Sic Christus hoc loco, quia voluit, *cæpit contristari & maestus esse*: & morte imminenti cum omnibus suis pœnis atque ignominisante oculos suos liberè posita, naturaliter illā timeret, dolet, ac deprecatur: sed voluntate deliberata, quæ mortē illam cū omnibus suis circumstantijs (maximè respectu finis, quod esset obedientiæ opus & redemptio mundi) prorsus acceptauit. Verba igitur illa, *Pater mi, transfer à me calicem istum*, non continent *uotum abruptum & inconsideratum, & orationem non meditatā*, ut impius Caluinus ad hæc verba scribit, sed voces sunt voluntatis naturalis, quam hīc Christus meditatē & liberè exercere voluit: idque has ob causas: primū, ut in parte quoque rationali non solo corpore pro nobis pateretur: deinde ut suam tum in nos cha-

Quomodo Christus mortem deprecatur.

ritatem, tum in Patrem obedientiā clarius ostenderet. Nempe facta omnium & singulorum quæ pati debuit apprehensione viuacissima & liberissima, ex illa seipsum turbare, affligere, & vsque ad sanguineas guttas naturam commouere atque percellere voluit.

Cur mortem Christus exhorruit.

Cur autem morte ante oculos ad vitium posita tam vehementer eam exhorresceret, (quod 3. loco explicandū diximus) multæ rationes afferri possunt. Quatuor adfert Cornelius Ianfenius. Primam passionis generalitatem; quia ab omni hominū genere & in omnibus corporis membris, & in omnibus quib⁹ potest homo pati, passus est. 2. passionis genus & qualitatem, quæ erat crucifixio. 3. complexionis nobilitatem, quæ dolores omnes magis reddidit sensibiles. 4. doloris puritatem, omni videlicet consolatione spoliatam: quibus addi possunt exactissima futurorum omnium dolorum scientia; item summa mortis indignitas, propter personæ suæ summam excellentiam, de qua Paulus dixit, *Recogitare eum qui talcm sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictio- nem*; deinde & summa persecutorum ingratitude, quam ipse Christus considerans dixit: *Multa bona opera operatus sum inter vos, propter quod eorum vultus me interficere?* Hæc talia erant vt eorum viua & exacta consideratio sudorem sanguineum naturaliter elicere potuerint. Alius illè timor maledictionis & iræ Dei quem blasphemè ponit Calvinus, in Christum cadere non potuit, dicente Propheta de Christo: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: à dexteris est mihi, ne commouear.* Vidē contra has Caluini blasphemias multo plura suprā ad Matth. cap. 27. ver. 46. & infrā ad Ioan. c. 12. ver. 27.

Heb. 12.

Ioan. 10.

## IN LVCÆ CAP. 23.

34. *Pater ignosc illis, Non enim sciunt quid faciunt.*

**D**VBITARI hîc potest, quomodo tanquam causam benignissimæ suæ intercessionis, crucifigentium ignorantiam ponat Christus. Nam Scribas & Phariseos saltē ac Principes populi ex destinata malitia, & vt Pilatus bene aduerterat, ex inuidia Christum ad crucifigendum postulasse manifestè constat, vt propterea ignorantia, qua laborabant, ex malitia fuerit, & inexcusabilis. *Obcæcati Iudæi in malitia sua* (ait B. Leo) *in quod prorupissent facinus nesciebant.* At qui ignorantia tunc demum peccatū imminuit, & facilioris veniæ causa esse potest, quando qui ex ignorantia peccās, si sciret veritatem, nō peccaret. Talem autem fuisse Iudæorum crucifigentium Christū, Paulus manifestè affirmat dicens: *Si cognouissent, nūquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Et Petrus non solum de vulgo, sed & de principibus Iudæorum qui Christū crucifixerūt, dixit: *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* Christus ergo de ignorantia hîc loquitur excusabili, quæ talis erat, vt, si sciuisent quid facerent, nō essent facturi. Causa quidem huius ignorantie in multis fuit malitia & inuidia, sed quæ erat corrigibilis. Calvinus, vt hunc nodum soluat, in alterum extremum defertur. *Verisimile* (inquit) *est Christum non pro omnibus orasse, sed tantum pro misera plebe, quam zelus inconsideratus non autem delibata impietas rapiebat.* Nam vt de Scribis & sacerdotibus nulla fuit spes residua, pro illis frustra orasset. Hęc ille. Du.

Serm. 15.  
de pass.  
Domini.

1. Cor. 2.

Act. 3.

Caluini  
duplex  
error.

Serm. 8.  
& 9. de  
verbis  
Apostoli.

Act. 6.

Pœnitentia  
& satisfactio-  
nis ne-  
cessitas  
defendi-  
tur.

Dupliciter errat: primum quod orauerit pro sola plebe. Nam Lucas apertè de plebedicit: *Sequebatur eum turba multa populi & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum.* Petrus quoq; Principes non secus ex ignorantia peccasse quàm populum lococitato affirmauit. Alter error magnam habet impietatem, Christum frustra pro Scribis oraturū. Nam de his ipsis dicit S. August. hæc Christi verba tractans. *Insani sunt, medicus sum: sciant, patienter fero: cum occiderint, tunc sanabo.* Serm. 8. & 9. de verbis Apostoli. Sic Beatus Leo loco citato: *Miseriticos Dominus, qui etiam interfectores suos sua morte volens saluare, pro ignorantia fauientium de crucis altitudine supplicabat.* Et iterum serm. seq. *Qui venit peccatores saluos facere, nec ipsis quidem interfectoribus suis misericordiam denegauit.* Rursum August. serm. 59. de verb. Domini: *Credentes sanguinem eius biberunt, quem sciendo fuderunt.* Vnde & Lucas alibi ait: *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* Vbi bonus Beza voculam *sacerdotum* è textu expungere studiose conatur.

43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

**E**TIAM ex hoc dulcissimo diuinæ misericordie flore aliquid veneni fugere, aliquid quod contra pietatem diceret in hoc tanto opere pietatis aduertere, & ad summam Christi bonitatem oculum nequam adferre Caluinus potuit. Ex his quippe Christi verbis misericordia & amore plenis, fiduciam ac præsumptionem impiam stabilire, satisfactionis necessitatem ac fructum tollere, confessionis vsum sublannare, homo impius conatur. Audiamus loquentē belluā. *Primo* (inquit) *notanda est incredibilis facilitas, quod sine mora latronem tam humaniter complectitur, sibi que beate*

vi

*vite socium fore promittit. Quare minime dubium est, quin sine exceptione omnes admittere paratus sit qui ad eum confugiant. Vnde certò statuere licet, modò memor sit nostri, nos saluos fore. Porro fieri non potest vt eorum obliuiscatur, qui suam ei salutem commendant.* Per has dulces benedictiones seducit Caluinus corda innocentium. Christi quidem facilitas ac misericordia incredibilis in hac parte fuit: sed & latronis fides, charitas, spes, totaque pœnitentia admirabilis erat, vt mox dicetur: sine quibus similem sibi certò promittere à Deo misericordiam, magna temeritas ac præsumptio est. Est quoq; minime dubiū, quin sine exceptione omnes admittere paratus sit Deus qui ad eum confugiant; sed qui ita confugiunt vt oportet, qui non cum sola fide aut fiducia Caluiniana, sed qui cum fide vera Catholica, cum humili & veraci pœnitentia, cum flagranti charitate, cum inuocatione debita, cum peccatorum præritorum acri odio, cum serio & firmo emendationis proposito, ad Deum confugiunt. Qui ita ad Deū confugiunt, sine exceptione omnes admittere paratus est Deus: non quòd his positis admittere teneatur Deus, sed quia hoc diuinæ bonitati congruit, & hanc nobis spem diuinitus reuelatę Scripturę faciunt. *Nec tamen certò statuere licet* (vt loquitur Caluinus) *modò memor sit nostri, nos saluos fore: sed certò optimè sperare licet, qui ad Deum confugiunt sicut oportet, illorum Deum non immemorem fore, sed ad salutem recipere. Nec etiam fieri potest vt eorum obliuiscatur, qui suam ei salutem commendant, modò illa commendatio ordine ac debite fiat, iuxta ea quæ Deus in Scripturis ab illis exigit, qui se illi commendant, & ad eum confugiunt. Lauamini, mundi estote, auferite malū cogitationū vestrarū ab oculis meis, quiescite agere peruersę, disicite bene facere.*

Præsumptio Caluiniana rejicitur.

Modus confugiendi ad Deum. Esai. 1.



facere querite iudicium subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dñs. Si fuerint peccata vestra vt coccinū, quasi nix dealbabitur. Hoc est confugere ad Dominum: hoc est suā ei salutē commendare: hoc est Deūm sui memorē habere.

Sed iocus ac ludus hæc sunt, prout huius postea imposturæ quæ dabunt. Quod si (inquit) latroni tam facilis transitus in cælū fuit, quia in vltima verū omnium desperatione recubuit in Christi gratiā, multo magis hodie Christus mortis victor manū ē solio suo nobis porriget, vt in vitæ societate colligat. Aduerte imposturā. Facilis (inquit) illi transitus in cælū fuit, quia in vltima verū omnium desperatione recubuit in Christi gratiā. Fallit lectorē impostor.

Latroni  
vnde tam  
facilis in  
cælū trans-  
itus.

Nō propter hanc causam tā facilis huic latroni in cælū transitus fuit: non quia in vltima verū omnium desperatione, hoc est, vbi nihil in eo erat vnde veniā speraret, nulla fides, nulla penitentiā, nulla charitas, (hæc enim certē vltima est hominis peccatoris desperatio) hoc solo nomine, quod in Christi gratiā recubuit, id est, hoc solo nomine quod fiducia salutis cōcipere ausus fuit, tā facilis illi in cælū transitus fuit. Imō neq; propter illā fiduciā omnino tā facilis illi in cælū trāsitus fuit. Fuit sane illa eius fiducia, qua in Christi gratiā recubuit, vna egregia dispositio qua veniā peccatorū cōsequēbatur; dispositio inquā, non causa aut meritū; nisi nunc animo in diuersa mutato penitentiā peccatoris (cuius hæc fiducia & spes veniæ vna pars est) remissionis peccatorū causam ac meritū saltē de cōgruo esse, fateri Calvinus velit. Ait enim: *Quia in Christi gratiā recubuit. Qui* modus loquendi causam & rationē denotat. Sed certē hæc in latrone fiducia & spes veniæ qua in Christi gratiā recubuit, fuit vna egregia dispositio ad veniā à Christo consequendam. Sed nec fuit sola dispositio, quan-

quādo fides eius planē admirabilis, cōfessio quoque fidei nobilissima, charitas admodū feruens & egregia, peccatorū suorū aperta professio, aliq; adhuc plura non secus eū ad hanc veniā disponebant, quā fiducia concepta; nec ad tam facilem in cælū transitum, id est, ad talē veniam qua paradysum ei eodem die promitteret, vlla dispositio illa erat. Nam ad veniā quidem peccatorū & ad iustificationē impij disponit penitentiā, fides, fiducia, aliæq; virtutes ex speciali Dei gratia productæ: sed ad gloriæ mensurā aut gradū, (qualis hic vnus erat, confestim in paradiso esse) sicuti nec ad ipsā gloriā adeundā illa disponunt, quum in huiusmodi glorificatione tota gloria sit pura gratia. Est enim vita æternā quibusdā mera gratia, qui nihil ad eam cōsequendā iam iustificati operari potuerunt; quibusdam verò, qui iam iustificati bona opera fecerunt, & gratia, & merces.

Duobus igitur modis fallit lectorē Calvinus. Quod enim in Christi gratiam hic latro recubuit, nec tam facilis in cælū trāsitus vlla causa fuit, nec ipsius remissionis peccatorū sola causa aut sola dispositio fuit. Quod ipsemet Calvinus ex parte nobis explicabit. Primū enim de fide huius latronis dicit. *Nescio an à mūdo condito magis rarū & memorabile fidei exemplū vnquā extiterit. Nā repētē altius penetrat quā Apostoli omnes & reliqui Discipuli, in quibus docēdis tantū operæ consumpsit ipse Dñs. Deinde confessionē fidei non minus admirabile agnoscit. Neque id modō (inquit) sed Christū in patibulo regē adorat, regnū eius celebrat in horrenda & plus quā deformi abiectiōe, moribundū pronūtiat vitæ auctorē. Postea patientiā ac tolerantiam eius predicat. Quod autem cruciatus suos animosē negligens, imō quasi sui oblitus ad spem & desiderium occultæ vitæ rapitur, sensim humanum superat. Quare & mortificatio*

Latronis  
vitiæ vir-  
tutes præ-  
ter fidu-  
ciam.

Latronis  
virtutes.

*cationem carnis, & patientiam, & fidei altitudinem, & spei constantiam, & pietatis ardorem ab hoc Magistro discere non pudeat. Hæc hoc loco Caluinus ab a Ambrosio prius ac b Leone Papa diligenter obseruata. Quibus adhuc adijcere licet humilem peccatorum suorum confessionem, Nos digna factis recipimus; honoris Christi defensionem, Hic autem nihil mali fecit; charitatem erga proximum (vt notauit in hunc locum Beda) qua eum fraternè corripuit dicens, *Nec tu Deum times, &c.* Propter has igitur tot ac tantas virtutes, non propter solâ fiduciam qua in Christi gratiam recubuit, facilem à Christo veniam impetrauit?*

Pergamus nunc cum Caluino. *Absurdū enim (inquit) esset, ex quo chirographū nobis contrariū affixit cruci, mortemque & Satanam profligauit, & in sua resurrectione triumphum egit de mundi principe, nobis nō æquè facilem & promptum esse ac latroni transiitum à morte in vitam. Quisquis ergo vera fide animæ suæ custodiam Christo moriens tradet, non extrahetur in longū tēpus vt suspensus languat, sed eius voto eadē, qua erga latronem usus est, benignitate Christus occurret.* Hæc Caluiniana collectio dupliciter claudicat. Primum, quia non sequitur: Christi nunc maior est gloria quā in Cruce fuit, ergo par & eadē misericordia. Non enim à ratione diuinæ gloriæ, sed à ratione immensæ charitatis Dei & Christi, misericordia ortū capit. Christi autem in nos immensa charitas nunquam ardentius flagrauit quā in cruce, *vbi corculay calcavit solus, & non fuit vir de gentibus cum eo, ab omnibus derelictus, vbi precii redemptionis de facto persoluit, vbi vicima mactata adhuc in ara stetit; vbi se totū pro nobis obtulit, vbi se maximè Patri humiliauit.* In hac igitur tā ardenti flamma maiores scintillæ hinc inde euolarunt. Orat pro persecutori-

Caluiniana collectio dupliciter claudicat,

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.

toribus, Matre commendat discipulo: exclamat. *Sitio;* non potū, sed salutē humanā: denique huic latroni paradifum promittit. Hic magis sese diffudit misericordia, vbi magis exaruit charitas. Hic mustū propinauit, qui adhuc in torculari stetit; & facilius atque vberius bibit, qui fonti proximus astitit. Deniq; Christi in terris beneficia gratiæ singularia, nō sunt exēpla sed miracula. Deinde fallit iterū tota Caluini consecutio, nisi eadem fide, fortitudine, patientia, alijsque virtutibus animæ suæ custodiam Christo morientes tradimus, quibus suam hic latro Christo commendauit. Vnde sapienter Augustinus: *Antè mibi latronis fidē ostendit, & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere.*

Sed nūc quò tota Caluini tendat oratio, & quos hæctenus cuniculos egit, qui nunc proximè sequitur verborum fragor ostendit. *Itaque accessat putidum illud Sophistarum commentū de pœnæ repetitione quam culpa remittitur, quia videmus vt Christus, quē reatu absoluit, simul à pœna liberet.* Huc hæctenus collinauit Caluinus; ad hoc venenū tandē instillantū Christi gratiā & bonitatem hæctenus prædicauit. Sed nec antegressè orationis filum huius conclusionis telâ texere potuit; nec quod nūc dicit, aliquam nouam texturâ adfert: Christus latronē sic à reatu absoluit vt à pœna liberet; ergo quoties culpa remittitur, nulla est pœnæ repetitio. Tā malè factum hoc argumentū est, vt eius inanitas vel puero transpareat. A particulari concludit generale. Quis puer hoc vitiū non videt? A fidei exēplo tā raro ac memorabili quale à mūdo condito non extitit, (sūt Caluini verba) ad fidē simpliciter verā, qualis in quolibet credente necessariò reperitur, argumentatur. Argumenti absurditatem quis non aduertit? A multis cum fide virtutibus coniunctis ad solam fidem ra-

Serm. 1.  
 fer. 3. post  
 Domin.  
 Palm.

Manet  
 pœna re-  
 missa  
 culpa.  
 Caluini  
 putidum  
 & puerile  
 argumen-  
 tum.

tio cinatur. Quam hoc à ratione imò & à pietate procul alienum sit, quis ignorare potest? Denique ex priuilegio gratiæ in Cruce factę, regulam communem statuit. Consequentia vanitatem quis tandem approbabit?

At aliquid lux collectioni obijcere vult ipse Calvinus. Vafre. Quasi nihil aliud obijci queat aut debeat. Atqui quæ nos iam contra obiecinus, soluat qui potest Calvinista. Audiamus interea quid ipse sibi opponat, & quomodo soluat. *Nec obstat* (inquit) *quod latro pœnam cui addictus erat, nihilominus ad extremũ usque sustinet: quia hic nulla cõpensatio nobis fingenda est quæ ad placandũ Dei iudicium piaculi vice sit: (quæ admodum Sophistæ delirant) sed pœnis corporalibus simpliciter electos suos Dominus ad displicentiã & odiũ peccati erudit. Itaque Christus latronẽ paternã disciplinã ad abnegationẽ adductũ, quasi gremio suo excipit, non ad ignẽ purgatorij ablegat. Latronẽ illa pœna, cui addictus erat, ad placandũ Dei iudicium aliquam cõpensationem attulisse, nõ improbabiliter dici potest, si illã pœnam sceleribus suis debitã (quod publicẽ professus est, dicens, *Nos digna factis recipimus*), veluti illis iuste debitã alacriter suscepit; & in aliquã compensationẽ à Deo acceptari humiliter petierit. Quod vt eum fecisse plusquam probabile est, quia qui mentẽ fide illuminauit, animũ quoque pœnitentiæ studio imbuisse (quũ fides & pœnitẽtia pariter in Scripturis coniungantur) dubitari vix debeat; ita etsi non fecerit, nec de tali compensatione cogitauerit, tamẽ propter causas antedictas, ab alijs peccatoribus nullam à Deo pœnã temporalẽ remissis peccatis exigi nullo modo cõsequitur. Pœnã autẽ temporalis cõpensationem ad placandũ Dei iudicium piaculi vice per solui; nõ est Sophistarum deliriũ, vt hic delirat Calvinus, sed est di-*

uina.

uinarum Scripturarũ & SS. Patrum luculenta & sapiens doctrina: quã diligenter explicatã & contra omnes Caluini cauillationes solidẽ defensionem videre licet apud Rob. Bellarminum: ne hic frustra actum agamus.

Proprium autem hoc loco Caluini deliriũ, quo imperito lectori nebulas offudit, paucis refutabo. *At pœnis corporalibus simpliciter electos suos ad displicentiã & odiũ peccati Dominum erudire. Sic atronẽ paternã disciplinã ad sui abnegationem adductũ affirmat.* Ad latronẽ quod attinet, non illa supplicij pœna ad sui abnegationẽ, sed admirabilis diuini Spiritus gratia eãque repentina & efficacissima, ad memorabilẽ istã conuersionẽ, cum tot virtutibus coniunctã, adduxit: quod ipse Calvinus hoc loco non diffiteatur. *Quo* (inquit) *maiori admiratione digna est Spiritus S. gratia, quæ tam luculentẽ hic se exercit.* Pœna quam sustinuit, nõ fuit paternã disciplina, qua eũ Deus erudit; sed fuit debitũ sceleribus supplicium, quo digna factis accepit. Paternã disciplinã qua De<sup>9</sup> suos filios castigat, vt Paulus ad Heb. prolixẽ docet, non est pœna flagitij debita; sed est varia pro Christi nomine & pro veritate afflictio, persecutio, bono iũ rapina, iustis & credẽtibus propter ipsã iustitiã iniusta, propter fidei confessionẽ suscepra, propter veritatis & pietatis defensionẽ tolerata. Quũ enim dixisset, *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnũ certamen sustinuisstis passionũ*, &c. móxque adie-

Contro-  
uer rom. 2  
de pœnit.  
lib. 4. c. 8.  
& seqq  
Item cap.  
14. &  
seqq.

Satisfac-  
tionis  
pœnæ &  
disciplinæ  
paternæ  
differen-  
tia.

H. b. 10.  
32.  
36.

Heb. II.

36. direntur *distenti sunt*, vt 7. filij Machabeorū; *ludibria*  
 37. & *verbera experti*, *in super* & *vincula* & *carceres*, vt Ierē.  
 & Michęas; *lapidati sunt*, vt Zacharias sacerdos &  
 Naboth; *secti sunt*, vt Elaias à Manasse Rege; *tenta-*  
 38. *ti sunt*, vt Ioseph & Iudith; *in occisione gladij mortui sūt*,  
 vt 85. sacerdotes ab impio Saul interfecti; *circueiunt*  
*in melotis*, *in pellibus caprinis*, *egentes*, *angustiati*, *afflicti*,  
*quibus dignus non erat mundus*, qui videlicet tot his ma-  
 lis ac pœnis corporatibus non ad odiū peccati, sed  
 ad virtutis ac pietatis incrementa erudiebantur;  
 tandem ad ipsos Hebręos rediens, *Per patientiā* (in-  
 quit) *curramus propositum nobis certamen*: mōxq; Chri-  
 sti redemptoris exemplo ob oculos proposito, vt  
 3. *non fatigentur animis suis deficientes, quia nondum vsque ad*  
 4. *sanguinem resistissent aduersus peccatū repugnantes*, id est,  
 contra infidelitatis & abnegationis Christi tenta-  
 5. tiones; *prolixē docet*, vt *non negligant disciplinam Do-*  
 6. *mini, quia Deus quos diligit castigat, & flagellat omnem filiū*  
*quem recipit*. Tota hæc castigatio paterna nō est eru-  
 ditio ad odiū peccati quod perpetrarunt, & cuius  
 nomine puniuntur, vt hic latro punitus est; sed est  
 eruditio ad odiū peccati ne perpetretur, & vt pos-  
 sint aduersus peccatum repugnare etiam vsque ad  
 sanguinē resistendo. Quare totā hanc doctrinam  
 11. postea concludens, ait. *Omnis disciplina in presenti quiz-*  
*dem non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructū*  
*pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitię*: id est, ijs  
 qui per patientiam malis asueuerunt, & longa ex-  
 Rom. 5. ercitantione probati fuerunt, (*tribulatio enim patientiā*  
*operatur, patientia probationem*) fructū duplicē adfert;  
 primum *pacatissimum*, siue tranquillitatis & pacis  
*supervixor*, quia animo pacato omnia tolerat; dein-  
 de iustitię *diversorum*, quia facit hominem iustum  
 quatenus ea admonitus peccatū fugit, Deoq; ar-  
 etius adhæret, quod alijs verbis antea dixerat, *Deū*

*nos erudire ad id quod vile est in recipiendo sanctificationem*  
*eius, eis το μεταλαβείν τῆς ἀγιότητος αὐτοῦ*, id est,  
 propter nostrā vtilitatem, vt sic eruditi participes  
 simus eius sanctitatis quæ in Deo est, siue vt si-  
 mus sancti ac iusti pro modulo nostro, sicut Deus  
 est. Hęc est paterna disciplina qua iusti, & electi, &  
 filij Dei exercentur, ad fugam peccati, & sanctita-  
 tis ac iustitię incrementum; nō illa quā fingit Cal-  
 uinus, qua impij & peccatores percutiuntur, ad dis-  
 plicientiā & odium peccati in quo sunt, vel quod  
 perpetrarunt. Vicinitate & affinitate verborū fal-  
 lit lectorē Calvinus. Paterna quippe Dei discipli-  
 na ad peccati odium erudit, ne committantur, vt  
 Apostolus nos docuit, & eius finis est nostra sancti-  
 ficatio, iustitia, corona. Disciplina & castigatio  
 qua Deus punit peccatores vt à peccato desistant  
 (in quo genere dictum est, *Multiplicate sunt infirmita-*  
*tes eorū, & postea accelerauerunt*: & rursus, *Vexatio dabit*  
*intellectum*) est quidem aliquo modo paterna, quate-  
 nus misericorditer ad emendationē prouocat; sed  
 quia necdū tales filij sunt, nō eos propriē vt pater  
 filios castigat, sed vt dominus seruos ad officium  
 reuocat. Castigatio autem illa qua iam sibi recon-  
 ciliatos certis adhuc pœnis Deus subijcit, non est  
 paternæ misericordię, sed diuinæ iustitię opus;  
 quia *vniversæ vię Domini* circa peccatores *miser cordia*  
 & *veritas*. Ideo *miser cordiā & iudiciū* cętat ei Prophe-  
 ta. Ideo vocatur, *miser cors & miserator & iustus*. Ideo  
 rursus dicitur, *Patiens & longanimis & multę misera-*  
*tionis, & verax*. Sic præcedit misericordia iustitiam;  
 & quibus præstitit Deus misericordiā, ab illis ad-  
 huc exigit iustitiā: non quidem summam, sed neq;  
 nullā. Dimisit Deus filijs Israel orante Moyse fœ-  
 dam illam rebellionē & murmur contra Moysem  
 & Aaron. *Dimisi* (inquit) *iuxta verbum tuum*. Tamen

Vicinitate  
 verborum  
 fallit Cal-  
 uinus.

Psal. 24.  
 Psal. 100.  
 Psal. 111.  
 Exod. 34.

Num. 14

vide quid addat. *Autamen non videbunt terram pro qua iuravi patribus coram.* Rursum atrox illud idololatrię crimen de vitulo aureo orante similiter Moysē dimisit Deus, ne profusus eos à facie sua reijceret, aut fœdus cum eo abrumperet: sed addit. *Ego in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Postquam Davidi pœnitenti Propheta dixerat, *Transulit Dominus peccatum tuum,* quo reparatam cum Deo amicitiam ei significavit: adiecit tamen ut iustitię quoq; diuinę locū adhuc esse intelligeret, in pœnā quidē adulterij, *Filius qui natus est tibi, morte morietur: in pœnā homicidij, Non recedet gladius à domo tua in eternū.* Sic nimirum misericors & miserator est Dñs, & iustus.

Sed necdū Caluino cauillandi finis. *Notandū* (inquit) *præterea est, quibus clauibus latroni aperta fuerit regni cælorū ianna. Neq; enim hic vel Papalis cōfessio vel satisfactio in ratione veniunt: sed pœnitētia & fide contentus est Christus, ut ad se venientē vltro excipiat.* Breuiter respondeo: Neq; etiā hic vel Euangelica prædicatio, vel disciplina cōfessorialis, vel Baptismi susceptio, vel Cænę Dominicę participatio in ratione venerūt, sed pœnitentia & fide contentus est Christus, ut ad se venientē vltro excipiat. Nō videt cæcus hereticus hoc insulso cauillo non aliter explodi quæ sua secta in peccatoris cōuersione vel sanctificatione adhibere solet, quā quę in Ecclesia Catholica perpetuò adhibita fuerūt. An quia Christus per excellentiā vno verbo peccata remisit Magdalenæ, paralytico, & huic latroni, idcirco in Ecclesia Christi omnis Sacramentorū & disciplinæ Ecclesiasticę vsus veluti res ridicula exploderetur, ut sola sufficiat pœnitentia & fides corā Deo? An quia Christus sine clauibus regnū cælorū aperuit, idcirco clauēs regni cælorū à Christo Petro datæ in puteū projicientur? An idcirco Ecclesia nullas clauēs habet?

Hæc

Hæc sunt insulsa & putida Caluini cauilla, nulla refutatione digna. Garrit tamen adhuc in hoc suo insipido cauillo mirè sibi placens. *Atq; hinc* (inquit) *melius iterū confirmatur quod nuper attigi, si quis grauetur latronis vestigijs insistat, & præuente sequi, dignū esse eterno exito: quia impio fastu seipsum ab aditū cælorū arces. Et certè sicut in latronis persona cōmune obtinēda venia pignus nobis omnibus Christus dedit, sic rursus tanto miserū illum honore dignatus est, ut omni propria gloria exuti, non nisi in vna Deimisericordia gloriemur. Quid si verò & serio se quisque nostrū excutiat, merito nos pudefaciet immensa scelerum nostrorū congeries, ut hominē perditum, qui mira gratia salutē adeptus est, ducem & antesignanū habere minime pigeat.* Hæc Caluinus, quibus nescio an aliquid magis vel impiū vel stolidū scribere potuerit. Vult nos latronis vestigijs insistere, & præuente sequi. Quomodo verò? An ut tota vita latrocinemur, aut scelera scelerib; accumulē? sicut ille? Quid nī? ait Caluinus. *Nā si serio se quisq; nostrum excutiat, merito nos pudefaciet immensa scelerū nostrorū cōgeries.* Ergo omnes etiā in Christo ab infantia regeneratos sceleratā vitā ducere, & latroni isti similes esse Caluinus iudicat? Omnino eum ita iudicare, hæc verba cōuincunt. Nisi enim sceleratā vitam duxerint, quomodo immēsa scelerū congeries vnusquisq; pudefaciet, aut quomodo latronis vestigijs insistet? Sed absit hæc tanta impietas à Christianis peccatoribus. Qui in adulta ætate ad Christum accedunt, poterit illis fortalīe cū Apostolo dici: *Hæc quidem fuistis, adulteri, rapaces, &c.* Sed an illud quoq; cōtra Apostolū dicitur; Adhuc etiam tales estis istis? Ac verò ab ineunte ætate in Christo regenerati si immensam scelerū congeriē vnusquisq; habet vnde pudefiat, quæ tandē erit inter fidelē & infidelē,

Caluini  
puccidum  
cauillum.Caluinus  
vult omnes esse  
sceleratos  
latronis  
exemplo.

1. Cor. 11.

Rom. 6.

Christianū & Paganū discrepantia? Ergo omnes seruiunt iniquitati ad iniquitatē, & exhibent membra sua seruire immunditiæ ad iniustitiam, nec vllus est qui exhibet membra sua seruire iustitiæ in sanctificationē, de quo iterū agere gratias Apollolus possit, & dicere, *Gratias ago Deo quod fuistis serui peccati, nunc autē ex corde obedistis in formā doctrinæ in qua traditi estis.* Imò nec quando hoc dixit, iuxta Caluinum vera dixit, quia immensa scelerum congeries vnumquemque pudefaciebat, & latronis vestigijs insisterē debuerunt. Sed est hæc Caluini impia ac detestabilis doctrina, cuius alibi notas deprehendimus, & hinc argumentum præbet; sic ex iustitia Christi imputata, & gratuita peccatorū remissione, omnes esse iustos, vt in seipsis maneant impij, scelerati, pleni immunditiæ, & omnibus flagitijs contaminati. Propterea quoque vult in latronis persona cōmune obtinendæ veniæ pignus omnibus dari: quasi quod ille speciali priuilegio obtinuit, ab omnibus certa fide & ex cōmuni lege expectandū sit: vt videlicet post vitā sceleratē ac flagitiose diuorsissime ductā, vnico hoc verbo, *Memento mei Domine*, salui fiant. Docet quidē hoc exemplum non esse de Dei miseratione vllō tempore desperandū. Sed aliud est, non abijcere spem vt Dei misericordiā quouis articulo implores; aliud & longē aliud, in quauis diuturna impietate certā tibi ex sola inuocatione salutē polliceri: aliud non desperare, aliud præsumere: aliud in naufragij periculo tabulā arripere, aliud absq; nauigio te mari cōmittere: aliud in urgente morbo medicū aduocare, aliud nullam sanitatis curam gerere. *Si bene memini* (ait a D. Bernardus) *vnū latronē in toto Canone Scripturarū inuenio sic saluatū. Noli ergo huic tam periculosa expectationi te committere. Dicit aliquis in corde suo, ait b Augustinus, Nō*

Caluini  
Epicurea  
& execranda  
doctrina.

Latronis  
exemplū  
quid  
doccat.

a Serm. 38  
in paruis  
serm.  
b Serm. 1.  
fer. post  
Dom. Pal.

me

me adeo contristet conscientia reā; video sub momento latroni sua crimina donata. Inmittit diabolus securitatē, vt inferat perditionem. Sed diaboli partes Caluinus hic agit: & quod in Augustino sequitur, ex Caluini doctrina locū habuit. *Nec dinumerari possunt quantos hæc inanis spei umbra deceperit.* Innumeri quippe Caluinistæ hac fiducia Caluiniana decepti, cuius in hoc latrone cōmune pignus tot verbis persuasit Caluinus, in hæresi & vitæ turpitudine perierunt. Sanè vt eum meritō iudices insanire qui se quadriduo post mortē resuscitandum persuadeat, quia vnum Lazarum quadriduanum Christus resuscitauit; ita prorsus insanus iudicandus est, qui tota vita flagitiose ducta, id sibi certò persuadeat in immensa illa scelerum congerie, se sola fide ac fiducia sua, omnium præteritorum veniam, idque sine vllis igne emendatorio pœnis, facile & vnica inuocatione impetraturum, quia vni latroni similem gratiam Christus fecit. Certè non magis in latronis persona commune omnibus obtinendæ veniæ pignus est, quàm in Lazari persona commune omnibus post quadriduum resuscitandi pignus erat.

## IN LVCÆ CAP. 24.

39. *Videte manus meas & pedes meos, quia ego sum. Palpate & videte, quia spiritus carnis & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

**C**ONTRA realem & corporalem inuenerabili Eucharistia præsentiam valere hunc locum, multum sibi persuasit Caluinus, persuaserunt & alij nostri temporis sectarij. Sic enim scribit hoc loco Caluinus. *Quum Christus*

palpabile esse suam corpus pronuntiat, & solidis offibus com-  
 pactum, hisque notis discernat à spiritu; scilicet & verè adduc-  
 et us est hic locus à nostris hominibus ad refellendum crassum  
 errorem de transubstantiatione panis in corpus Christi, vel de  
 locali corporis presentia, quos homines præpositi in sacra  
 Cæna fingunt. Audiuimus propositionem Caluini.

Trasub-  
 stantiatio  
 deiecur.

Duo ex his verbis probare vult: primum nullam  
 esse panis in corpus Christi transubstantiatione:  
 deinde nullam esse localem corporis Christi in  
 sacra Cæna præsentiam. Attende an aliquod ho-  
 rum probet. Nam (inquit) illic volunt esse Christi cor-  
 pus, ubi nullum corporis signum apparet. Si nullum in sa-  
 cra Cæna corporis Christi signum apparet, & pa-  
 nis ille Eucharisticus verum Christi corpus non  
 est; an non Caluinus Christi verba, Hoc est corpus  
 meum, penitus & omnino inania reddit. Si enim  
 panis ille benedictus à Christo, nec corpus eius  
 est, nec signum corporis, quid erit? Deinde quo-  
 modo Caluinus illa Christi verba super Matthæum  
 exponens, affirmat, panem, quia symbolum est corporis  
 Christi, vocari corpus, si nullum hinc signum corporis  
 apparet? An non & sibi apertè contradicit, & ver-  
 ba Christi penitus euacuat.

Dicit aliquis Caluinista, nullum hinc corporis signum  
 apparere, quia non videtur vlla species corporis, &  
 hoc Caluinum dicere voluisse, quia alio in loco  
 conuersionem panis in corpus Christi, fictitiam  
 vocat illusionem, cuius nullus in terris oculus testis est. Sed  
 hæc nihilo melior ratio est; quia ipsa infidelitatis  
 vox est: Non video corpus adesse, & ideo non cre-  
 do adesse. Atqui Sacramentum religionis hoc est,  
 & ex fide totum intelligendum; non alimentum  
 refectionis, & ex sensu iudicandum. Antiqua Ec-  
 clesia hortatur vt verbis Christi credamus, & sen-  
 sus iudicium fugiamus. Contrà Caluinus, sensus  
 iudi-

Institut.  
 lib. 4. c. 17  
 num 15.  
 Caluini  
 vox infi-  
 delis.

iudicium vrget, Nullum hic apparet corporis signum. Corporis  
 Non credo quod dicitur, sed volo ad oculum de-  
 monstrari quod dicitur. Digna Caluino blasphem-  
 ia. Sed audiamus antiquæ Ecclesiæ voces, & in-  
 fidelitati Caluinianæ vt apta veneno antidora  
 opponamus. Verbis Dei (ait Chrysostomus) falli non  
 possumus. Sensus verò facile decipitur. Quoniam ergo ille  
 dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed  
 credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Ipse Domi-  
 nus Iesus (ait Ambrosius) testificatur nobis quod corpus  
 suum accipimus & sanguinem. Nunquid debemus de eius  
 fide & testificatione dubitare? Voluit Dominus Iesus (ait  
 Epiphanius) dicere, Hoc meum, scilicet, hoc & hoc, (v erbum  
 corporis tacet mysterij celandi causa) & nemo non  
 fidem habet sermone. Qui enim non credit esse ipsum verum  
 sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audis  
 uimus, id credimus esse ipsum. Succinctus Leo Mag-  
 nus. Hoc ore sumitur quod fide creditur: quia de veritate  
 corporis nihil ambigitur. Cum Christus ipse affirmet (ait  
 Cyrillus Hierosolymitanus) ac dicat de pane, Hoc est  
 corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Hæc Anti-  
 quitatis testimonia ad simplicè fidem Christi ver-  
 bis habendam hortantur. Caluinus non credit,  
 sed aliquod apparens corporis signum flagitat.

Audiamus nunc illas voces quibus iubet iudiciū  
 à sensibus auocare. Credamus Deo (ait eadē hac de  
 re Chrysostomus) nec repugnemus ei, etiam si sensui &  
 cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit. Sic  
 idem iterum & eodem loco Cyrillus. Quamuis sen-  
 sus tibi suggerit panem & vinum esse, tamen fides te con-  
 firmet: nec ex gustu rem iudices. Nec dissimiliter Am-  
 brosius. Fortè dicas, Quomodo vera caro & verum sanguis?  
 qui similitudinem video, nō video sanguinis veritatem? Dixi  
 tibi de sermone Christi, qui operatur vt possit mutare & con-  
 uertere genera instituta naturæ. Hæc est veteris Eccle-  
 siæ fi-

Christi  
 præsentia  
 credenda,  
 non vi-  
 denda.  
 Homil. 5;  
 in Matth.

De Sacra-  
 lib. 4. c. 5.  
 in An-  
 chorat.

Serm. 6.  
 de ieiunio  
 7. mensis.  
 Catech. 4.

Homil. 8;  
 in Matth.  
 ubi supra.

De Sacra-  
 ment. lib.  
 6. cap. 1.

siæ fides, hæ voces eorum qui fidei Christianæ lumina & decus extiterunt. Fidem, non sensum, in tanto religionis mysterio consulendam docent. Calvinus novus Capharnaita non credit mutari panem in corpus, quia nullum corporis signum apparet.

Sed pergamus ad sequentia; & quomodo illas duas assertiones suas ex his Christi verbis probet, attentè dispiciamus. Hoc autem (inquit) modo sequetur naturam suam mutasse, ut esse desierit quod erat. & vnde ab ipso Christo probatur verum esse corpus. Existimat, posita vera panis in corpus Christi transubstantiatione, naturam corporis Christi esse mutatam, ut iam destinat esse corpus palpabile & visibile, ex quibus conditionibus probavit hoc loco suum verum corpus adesse. Sed non attendit, Christum ex huiusmodi conditionibus probasse suum corpus adesse, quia voluit illud visibile exhibere, & præsentiam ocularem probare, ad resurrectionis suæ vereque resuscitatæ carnis fidem faciendam; in Sacramento autem idem Christi corpus adesse, tanquam in Sacramento, tanquam in mysterio, & sub aliena specie non propria; nec ut videatur ac palpetur, sed ut accipiatur ac manducetur; nec in fidem resurrectionis factæ, sed in alimentum spirituale, ac religionis usum: ad quæ omnia nec palpari nec videri aut opus est, aut convenit. Rursum non attendit verum ac naturale corpus tum palpabile tum visibile ex sua natura esse, quando de facto præsens nec palpari nec videri à præsentibus potest, diuina aliqua virtute impediente ne illa potentia reduca, ut in actum. Nonne Elizeus palpabilis ac visibilis erat, quando totus exercitus Regis Syriæ cæcitate percussus (non omnimoda, ut nihil viderent, sed certa quadam & singu-

Corpus palpabile est, quod aliquando palpari non potest. 4. Reg. 6.

singulari ut eum non viderent) ab eo in mediam Samariam duceretur? Nonne equi illi & currus ignei in circuitu Elizei, quos puer eius ad tempus videre non potuit, visibile tamen ex se & palpabile erant? Quum eidem Elisco Elias diceret, Si videris me quando tollar à te, fiet tibi quod postulasti, bene sciebat se natura visibile, suo tamen discipulo potuisse fieri inuisibile, non ex nimia loci distantia, aut ex discipuli cæcitate, sed ex supernaturali aliquo impedimento. Et ut de Christi corpore loquamur (cui cum diuina natura hypostaticè coniuncta esset, multa ab illo non humanè sed diuinè & præter corporum naturam facta esse mirari non debemus sed credere) quando cum duobus discipulis euntibus in Emmaus ambulabat & sermones conferebat incognitus (quia tenebantur oculi eorum ne cognoscerent eum) tamen si ab illis non videbatur, propterea non erat visibilis? Rursum quando Christus volentibus eum interficere Iudæis, transiens ibat per medium eorum, nec ab illis palpatas nec visus, an propterea illo tempore mutata corporis eius natura fuit, ut nec palpabilis nec visibilis esset? Denique quum Paulo in via Christus apparuit, ille solus Christum vidit, alij omnes, qui cum Paulo erant, vocem quidem audierunt, neminem autem viderunt: an propterea visibilis Christus non erat, quia à quibusdam non videbatur? Friuolum igitur est Caluini argumentum: Christi corpus in sacra Cæna nec palpatum nec videtur, ergo naturam suam mutauit, ut non sit amplius palpabile ac visibile, vnde verum adfuisse corpus discipulis suis probavit.

Videamus reliqua. Si contra excipiant: latius tunc fuisse confixum, pedes duorum vulneribus fuisse perforatos, atque etiam manus, nunc autem illa sum & integra in celo esse Christum, facile discutitur hoc cavillum. Neque enim

Ibidem.

4. Reg. 2.

Luc. 24.

Iuc. 4.

Act. 9.



enim hoc tantum agitur quali habitu apparuerit, sed quid refertur de vera carnis suae natura. Hoc autem tanquam proprium illi tribuit, palpabile esse, ut à spiritu differat. Ergo hodie quoque discrimen istud carnis à spiritu manere necesse est: quod perpetuum esse, ex Christi verbis statuere licet. Cavillator ineptus ac futilis obiectionem fingit ac format quam vix puer obijceret aut formaret. Nos verò contra Calvinum & suos illos omnes, quorum in hac re consentientem sententiam profert, non illud nugamentum excipimus, sed illa duo quae iam diximus: ac maximè posterius illud quod ex Scripturis ostendimus, esse aliquod corpus natura sua palpabile ac visibile, quod tamen aliquando nec palpari nec videri potest, non propter impedimentum aliquod naturale ex parte palpantis aut videntis, sed ex diuina aliqua virtute & causa: Non magis igitur naturae carnis Christi repugnat, quòd in venerabili Sacramento nec videatur nec palpetur, aut citra miraculum palpari ac videri nequeat, quàm eidem naturae repugnauit, tam à Iudæis quàm à discipulis suis interdum nec videri nec palpari potuisse. Et sicut in illis exemplis mansit natura corporis Christi integra, ut ex sua natura palpabile ac visibile esset, tametsi nec videri nec palpari tunc potuit: eodem modo in sacra Cæna manet natura corporis Christi integra, ut ex sua natura palpabile ac visibile sit, tametsi quia sub Sacramento adest, nec eum in visibili specie palpari conuenit, nec videri nec palpari possit. Ex duabus igitur propositionibus suis, neutram probauit. Vnam probare conatus in probatione defecit. Alteram de locali presentia nec attigit quidem. Ita videlicet scitè ac verè à suis hominibus hunc locum adductum iactitat Calvinus, id est, infulle prorsus & falso. Nam & de locali

Caluini  
artes.

cali presentia id breuiter dico, naturam corporis intrinsecam id non requirere ut semper sit in loco, tametsi sit locale (ut sic dicam) & in loco esse aprum natum. Quum enim causa formalis ab effectu suo separari possit (etsi effectus à causa non separetur, quia prior illa est, posterior iste) ipsius autem esse in loco, siue de facto extendi in loco, causa formalis est, in seipso esse extensum & posse extendi in loco, profecto non magis absurdum est corpus natura extensum, de facto non extendi in loco, quàm absurdum est causam separari à suo effectu, aut (quod modò ex Scripturis ostendimus) corpus esse palpabile & non palpari, visibile & non videri. Sic igitur Christi corpus naturale tametsi sit natura sua extensum, non est tamen necesse ut vbicumque est, ibi quoque per modum extensi corporis & in loco localiter adsit. Quamquam Christus ad distinctionem spiritus & corporis humani, non ponit loci mensuram, sed carnem & ossa. Sed hac de re accuratius differendi hic locus ac tempus non est. Legat studiosus lector hac de re Claudium de Sainctes in opere Cap. 4. Eucharistico, Repetir. 4. & Rob. Bellarminum tom. 2. Controuers. lib. 3. Cap. 7.

Antidotorum in Euange-  
lium D. Lucae  
FINIS.

